ARS SCIENDI
SIVE
LOGICA.

Nova Methodo disposita, et novis præceptis Aucta.

Opera & Studio *T. G.* M. A. *V. D. M.*

LONDINI,
Impressa Prostant Venum apud *Franciscum Hicks* Bibliopolam juxta *Trin. Colleg. Cantabrigiæ*. 1682.

Nobili & vere Generoſo Juveni, Domino Clotworthæo Skeffingtonio, Magnificæ familiæ Maſſareniacæ hæredi optimæ ſpei, εὐπραξίαν καὶ χαίρειν.

CUM de tractu ſequenti typis mandando cogitarem, occaſionem mihi oblatam ſenſi, officii teſtandi erga aliquem eorum quibus arctius devinctus ſum. Cur autem aliis omnibus te, in hoc negotio prætulerim, rationes fuerunt graviſſimæ. Quanquam metuendi cauſæ non deerant, ne quod in hoc genere præſtiti meritis tuis minus reſpondeat. Viliorem autem lucubrationem perſonæ eximiæ dicare & legendam offerre, non poteſt ab

injuria excuſari, niſi animus ſcribentis, defectus operis compenſare putetur. *Vilem* autem merito dicerem, ob ſermonis & ſtili humilitatem, ut reliqua omnia taceam : *lucubrationem* vero, quia maxima ejus pars, nocturna luce, (ſi ita loqui liceat,) gravioribus interdiu negotiis alio vocantibus, ſcripta eſt. Verum cum libri non quibuſvis nuncupandi ſint, ſed vel iis, quorum nomina publicis elogiis extare merentur ; vel qui ex eorum lectione proficere poſſunt, (ut nihil dicam de illis qui veritati patrocinentur, cum quicquid hic dicitur in ſolius rationis clientelam ſe dedere neceſſe ſit,) neminem alium familiarem habui, in quo amb

bo iſta concurrunt. Virtutes tuas in tam tenella ætate prædicare, ſi eſſet facultas, animus tamen non eſt. Has enim mallem luce propria, quam mutuatitia ſplendere; ſicut & vere ſplendere incipiunt, et nova quotidie incrementa habituras ſpero: nam agnitio quæ veritatem rei ipſius non tantum non ſuperat, ſed etiam multum abeſt ut adæquet, oſtentationi affinis videri non debuit. Alterum vero quod attinet, licet multa hujus generis optime ab aliis conſcripta jamdudum omnium manibus terantur, non tamen deſperabam fore ut horum etiam lectione aliquid emolumenti ferres. Cauſam etiam non minimam ipſe de-

diſti, cur opuſculum hoc judicii publici periculum experiretur. Quæ enim ſparſim in alio quodam magni ſimul & nullius nominis Autore, eo nempe qui *Artem cogitandi* compilavit, et contractius in ſcriptis legiſti, hic collecta & acceſſu non exiguo aucta habes. Hoc etiam accedit, quod libellum hunc publici juris faciendo meæ etiam erga te gratitudinis & obſervantiæ teſtimonium ederem. Utque eo nomine gratus & acceptus tibi ſit, quem, ſi votis hic quidquam præſtari poſſet, vel tui unius cauſa multo elaboratiorem & utiliorem optarem, petit & expetit

Generoſitatis tuæ obſervantiſſimus

T. G.

AD

Lectorem.

MIrabuntur forte quidam, et indignabuntur alii, post tot Syſtemata, Compendia, Synopſes, Inſtitutiones, et ſi quæ alia ſint nomina, quibus ſcripta logica venire ſolent, eſſe aliquem, præſertim nominis in orbe literario plane obſcuri, qui aliquid

quid hujus generis evulgare præſumat. Sic enim actum agitur, et libri ſine neceſsitate multiplicantur; quin & aliorum, de hoc Argumento induſtria ſupercilioſe contemnitur. Quam enim incredibile eſt, aliquid rectius, aut utilius, in hoc opuſculo, præſtitum eſſe, quam in aliis jam præſtitum eſt? Equidem, quæ has aut ſimiles accuſationes repellat, apologiam operoſam inſtituere, non ſatago. Niſi enim opus ipſum, ſe, apud æquos & peritos ſcriptorum cenſores, defenderit, ſupervacanea erunt omnia verba mea quibus defenſionem illius conarer. Solum igitur quid in eo a me revera præſtitum eſt, ingenue & aperte exponam. Cum præter ſuperiores Tractatus Logicos, (in quibus ſyſtema-

Ad Lectorem.

ſyſtemata Keckermanni & Inſtitutiones Burgerſdicii, præcipuos exiſtimo,) duo alii nuper ad manus perveneruut, Logica Johannis Claubergii, *et* Ars cogitandi *gallice primum ab Autore anonymo conſcripta, et ab alio quodam (qui nomen quidem ſupprimit, ſed terſæ latinitatis & judicii limati viſus eſt) eleganter verſa ; utrumque quidem optime de Logica & illius ſtudioſis meritum eſſe cenſui ; poſteriorem quidem, quod plurima utiliter, præſertim in parte communi immutavit, quædam etiam nova adjecit ; priorem, quod Hermeneuticam, Didacticam & Criticam addidit, quæ in ſuperioribus ſyſtematis deſiderabantur ; neuter tamen per ſe, finem hujus Artis,*

æque

æque fæliciter ac uterque ſimul, aſſecutus videretur : cum etiam plures ante annos, ab amico quodam, viro clariſsimo, uti aliquid in hoc genere conſcriberem, vel potius compilarem, rogarer, operæ pretium mihi facturus videbar, ſi utriuſque tractatus medullam in unum colligerem, et nonnihil immutarem, ac pro mea tenuitate adjicerem. Poſteriorem etiam minus aptum tyronibus erudiendis ideo exiſtimavi, partim quia Autor, cum pontificius eſſet, præcepta logica alicubi ad cauſam Antichriſtianam fulciendam inflexerat ; partim, quia multas digreſsiones immiſcuit, et in exemplis longius excurrit, adeoque ad doctos potius oblectandos, quam diſcentes inſtituendos, qui nuda, ſimplicia

plicia & aperta præcepta requirunt, compoſitus ſit. Poſterior hic defectus in Claubergio *etiam frequenter occurrit, in quo præcepta ſæpe cum rationibus, limitationibus, continuatis, et prolixis, ita complicantur, ut tyroni difficile ſit ea diſtinguere. Ut nihil nunc dicam de incommoda prolixitate, et repetitionibus non paucis. An autem delectum meliorum recte fecerim, & additamenta mea neceſſaria ſint, judicii lectoris periculum nunc ſubeundum eſt.*

Cauſabuntur etiam nonnulli ſcripta iſtiuſmodi a profeſſione noſtra eſſe aliena, et ab iis exarari debere qui ſe unice ſtudio Philoſophiæ addixerunt.

runt. Non diffiteor qui in ſtudio illo quotidie verſantur, inſtructiores ut plurimum eſſe poſſe, ad ejuſmodi tractatus componendos & refingendos. Affirmo tamen nemini magis neceſſariam eſſe peritiam eorum quæ in Logica præcipua ſunt, quam qui λόγον ἔμφυτον ſubminiſtrant, λογικὴν λατρειαν hominibus commendant, et de λογῳ illo æterno qui caro factus eſt, et ſanam mentem homini lapſo reſtituit, ex officio diſſerunt. Et licet qui profeſſione tantum philoſophi ſunt, in aliis Philoſophiæ partibus occulatiores eſſe poſſunt, aut debent, nulli tamen, qui circa cogitationes ſuas recte formandas & gubernandas exercetur, frequentior datur occaſio obſervandi quid

quid recta ratio, de norma & modo ſciendi præſcribit, quam qui in textus ſacri Analyſi, in controverſiis de fide & Religione dijudicandis, et verum a falſo, certum a dubio diſcernendo quotidie fere occupantur. Si igitur & hi, in Logica, quid rectum & obliquum, quid utile & inutile, quid magis minuſve neceſſarium, non minus quam alii tenere poſſint, quid abſurdi faciunt ſi homines ſuæ profeſſionis, præſertim vero S. Miniſterii candidatos, ad ſtudium & intelligentiam hujus Artis, non tantum verbis, ſed etiam opere hortentur, et eadem opera aliorum etiam commodo inſerviant? Denique curioſitatem eorum, quibus ſtyli ſimplicitas diſplicebit;

cebit, non moror, ſed in aliorum judicio & approbatione acquieſco, qui recte norint, omnia in hujus generis ſcripto nude & aperte eſſe exponenda. Vale.

Errata.

PPæmonitus ſis Lector utincuriam Typothetarum ſponte tuâ corrigas ubi unâ tantum literâ ſe prodet; et ſequentia errata ſic emendes. *pag.* 21. *lin.* 22. poſt exiſtentiæ ſcribe *& non-exiſtentiæ. pag.* 171. *lin.* 13. pro applicatio ſcribe *explicatio. pag.* 216. *l. penult.* pro acceptione repone *exceptione. pag.* 238. *lin.* 28. mutes notum in *ignotum.* Vale.

ARS.

ARS SCIENDI
SIVE
LOGICA.

Prolegomena.

1. *Logica est ars, per quam dirigimur ad ratione nostra recte utendum, in cognitione rerum quærenda.* Brevius, *Ars sciendi.* Ratione autem recte utimur, cum recte concipimus, et loquimur. Logica enim dicitur a voce λόγος, quæ tum rationem in mente residentem, tum sermonem ore formatum significat. Aliter Dialectica a διαλέγω, quasi *Ars disserendi*, dicitur.

2. Conceptus est *Idea* rei in mente. Rem enim quodammodo repræsentat. Quatuor autem sunt genera conceptuum, sive operationum mentis nostræ, *Apprehensio simplex*, *Judicium*, *Discursus*, et *Dispositio*, sive *Methodus*. Quæ omnia aliquo modo per præcepta logicæ diriguntur.

cebit, non moror, ſed in aliorum judicio & approbatione acquieſco, qui recte norint, omnia in hujus generis ſcripto nude & aperte eſſe exponenda. Vale.

Errata.

PRæmonitus ſis Lector ut incuriam Typothetarum ſponte tuâ corrigas ubi unâ tantum literâ ſe prodet; et ſequentia errata ſic emendes. *pag.* 21. *lin.* 22. poſt exiſtentiæ ſcribe *& non-exiſtentiæ. pag.* 171. *lin.* 13. pro applicatio ſcribe *explicatio. pag.* 216. *l. penult.* pro acceptione repone *exceptione. pag.* 238. *lin.* 28. mutes notum in *ignotum.* Vale.

ARS.

ARS SCIENDI
SIVE
LOGICA.

Prolegomena.

1. *Logica est ars, per quam dirigimur ad ratione nostra recte utendum, in cognitione rerum quærenda.* Brevius, *Ars sciendi.* Ratione autem recte utimur, cum recte concipimus, et loquimur. Logica enim dicitur a voce λόγος, quæ tum rationem in mente residentem, tum sermonem ore formatum significat. Aliter Dialectica a διαλέγειν, quasi *Ars disserendi*, dicitur.

2. Conceptus est *Idea* rei in mente. Rem enim quodammodo repræsentat. Quatuor autem sunt genera conceptuum, sive operationum mentis nostræ, *Apprehensio simplex*, *Judicium*, *Discursus*, et *Dispositio*, sive *Methodus*. Quæ omnia aliquo modo per præcepta logicæ diriguntur.

cebit, non moror, ſed in aliorum judicio & approbatione acquieſco, qui recte norint, omnia in hujus generis ſcripto nude & aperte eſſe exponenda. Vale.

Errata.

PPæmonitus ſis Lector utincuriam Typothetarum ſponte tuâ corrigas ubi unâ tantum literâ ſe prodet; et ſequentia errata ſic emendes. *pag.* 21. *lin.* 22. poſt exiſtentiæ ſcribe *& non-exiſtentiæ. pag.* 171. *lin.* 13. pro applicatio ſcribe *explicatio. pag.* 216. *l. penult.* pro acceptione repone *exceptione. pag.* 238. *lin.* 28. mutes notum in *ignotum.* Vale.

ARS SCIENDI
SIVE
LOGICA.

Prolegomena.

1. *LOgica est ars, per quam dirigimur ad ratione nostra recte utendum, in cognitione rerum quærenda.* Brevius, *Ars sciendi.* Ratione autem recte utimur, cum recte concipimus, et loquimur. Logica enim dicitur a voce λόγος, quæ tum rationem in mente residentem, tum sermonem ore formatum significat. Aliter Dialectica a διαλέγειν, quasi *Ars differendi*, dicitur.

2. Conceptus est *Idea* rei in mente. Rem enim quodammodo repræsentat. Quatuor autem sunt genera conceptuum, sive operationum mentis nostræ, *Apprehensio simplex, Judicium, Discursus.* et *Dispositio*, sive *Methodus.* Quæ omnia aliquo modo per præcepta logicæ diriguntur.

3. *Apprehenſio* ſimplex eſt illa mentis operatio, per quam res, ſimplici modo, inſtar ſenſus externi, aut imaginationis, intuemur, nihil expreſſe de illis affirmando, vel negando: ut cum ſigillatim concipimus *equum*, aut *curſum*.

4. *Judicium* eſt, quo ſtatuimus aliquid alicui convenire, vel non convenire, affirmando ſcilicet, vel negando, ut *equum currere*, vel *non currere*.

5. *Diſcurſus*, qui aliter *Argumentatio* dicitur, eſt per quem, unum judicium ex alio elicimus; ſive unam veritatem, aut falſitatem ex alia colligimus: ut cum ex eo quod percipiamus *equum currere*, inferimus eum *pedes alternatim tollere & ponere*. Aut cum Carteſius primo ſtatuit mundum eſſe indefinite extenſum, indeque infert non poſſe ſimul eſſe plures mundos.

6. *Diſpoſitio* denique, ſive *Methodus*, eſt per quam judicia, et ratiocinationes noſtras, eo ordine inſtituimus, qui rebus intelligendis, et memoria tenendis, maxime idoneus eſt.

7. Recte igitur ratione utimur cum recte apprehendimus, rectum judicium de rebus ferimus, firmas veritatum conſequentias nectimus, et debito in judicando et ratiocinando, ordine progredimur.

8. *Objectum* logicæ *primarium* ſunt quatuor iſtæ operationes mentis. Qui enim illas recte formare et gubernare noverit, facilius

Ser-

Sermonem externum recte instituet: et major est perfectio recte concipere, quam recte loqui.

9. De vocibus tamen et sermone externo tanquam *objecto secundario* agit logica. Hæc enim signa sunt, quibus conceptus nostros interpretamur. Non tamen Etymologiam aut Syntaxin orationis tradit; hoc enim Grammaticæ munus est: Nec quantitatem seu numeros, ut Poetica: Nec ornatum, et τὸ πιθανον, ut Rhetorica; sed eam ita seligere, et ordinare docet, quo res clare et distincte, ac secundum nudas et simplices naturas suas, audienti representare possit.

10. Ad logicam etiam pertinet *ordines* rerum generales, et *attributa* communissima proponere, et explicare. His enim ignoratis, nec fieri possunt opera quæ facienda præscribit, nec facta intelligi. Ordines vero rerum particulares, et attributa propria, reliquis disciplinis exquirenda relinquit.

11. Logicæ finis præcipuus est, ut, in cognoscendo, et differendo, facilius et certius procedamus. Per naturam quidem omnes homines ratione utuntur: et multi perfectius qui logicæ imperiti sunt, quam qui eam didicerunt. Unde scientiæ acquisitio non tam huic arti debetur, quam felicitati ingenii, ejusque usui sedulo et prudenti: Facit tamen, ut facultate, qua per naturam, experientiam, aut institutionem pollemus, facilius, et rectius

utamur. Hinc in ea, non ſcientia ipſa, ſed modus ſciendi quærendus eſt.

12. Deinde beneficio logicæ, certiores reddimur, nos ratione noſtra recte uti: et errores in quos vel noſmet-ipſi, vel alij incidunt, facilius detegimus. Licet enim ſolo lumine naturali, vitium concipiendi et loquendi ſæpe perſpiciamus, in quo tamen illud ſitum ſit, et quænam illius ſit cauſa, et ratio, non ſtatim indicare poſſumus. Quemadmodum illi, qui pingendi rudes ſunt, imagine informi offendi poſſunt; in quo tamen manus pictoris aberraverit, oſtendere nequeunt.

13. Eſt etiam utilitas quædam logicæ accidentaria, quatenus ex ea uberiorem mentis noſtræ notitiam conſequimur: dum ſcilicet varios modos contemplamur, quibus in operationibus ſuis procedit.

14. Duo ſunt mentis noſtræ excercitia, quæ præceptis logicæ diriguntur, *Geneſis* et *Analyſis*. Geneſis eſt thematis cujuſlibet tractatio; id eſt, cognitionis inventio ſeu productio. *Thema* dicitur quicquid menti cognoſcendum proponitur. Analyſis eſt, tractationis jam factæ reſolutio, ſive ſingularum partium notatio.

15. Utraque duplex. Alia enim eſt Geneſis per quam noſmetipſos, cognitionem acquirendo, inſtruimus, quæ Geneſis abſolute; alia per quam alios docemus, ſeu viva voce,

ſeu

seu scriptis, quæ *Didactica*, id est, *Ars docendi* dicitur.

16. *Analysis* itidem, alia est *pura*, in qua partes tractationis tantum resolvuntur. Alia quæ non solum istud præstat, sed etiam sensum Authoris, sicubi obscurus aut incertus sit, investigat, et exponit: quæ idcirco a nupero quodam scriptore, *Hermeneutica*, id est, *Ars interpretandi* vocatur. Alia per quam examen eorum, quæ nobis aut aliis cogitata vel dicta sunt, instituimus, recta probantes, vitiosa & falsa rejicientes, quæ *Critica* & *Elentica* est.

17. Præcepta logicæ, alia Generalia sunt, quæ omnibus istis exercitiis dirigendis, communiter inserviunt: alia Specialia, quæ singulis accommodantur. Unde logicam dividimus in communem & specialem. Pars communis sex tractatus complectitur. Primus est de ordinibus rerum generalibus, et attributis communissimis. Secundus de vocibus, et Oratione. Tertius de Idæis simplicibus, et Apprehensione simplici dirigenda. Quartus de judicio, et propositione. Quintus de Discursu. Sextus de Dispositione, seu Methodo.

LOGICÆ Generalis.

CAP. I.

Duo ordines Rerum, Subſtantia et Modus Attributorum Diviſiones primæ.

1. AD mentem dirigendam in proſecutione Scientiæ primum præceptum generale eſt, *Res omnes & earum attributa, ad certos ordines reducere.* Quum enim cognitionis noſtræ, directrix ſit logica, conſentaneum muneri iſti eſt, ut quænam nobis cognoſcenda ſunt, ſummatim proponat. Deinde, ſicut quædam ſunt præcepta, quæ omnibus rebus, ita etiam, alia ſunt, quæ huic & illi generi tractandis, deſtinantur. Illa autem intelligi nequeunt, niſi ſumma genera rerum præcognita ſint. Per attributa etiam ſua, unamquamque rem cognoſcimus. Attributorum igitur loci communes notandi ſunt, ut ſingulorum ad exemplar, ſingularum rerum at-

attributa, facilius inveniamus, aut certiores ſimus nos inveniſſe.

2. *Ordines* rerum *duo* ſunt, *unus Subſtantiarum*, *alter Modorum*, quæ Subſtantiis inſunt. Subſtantia eſt res per ſe ſubſiſtens. Subſiſtere per ſe dicimus quod vel exiſtit per eſſentiam, adeoque neceſſario, et ſemper fuit, et erit (qua ratione ſolus Deus per ſe ſubſiſtit;) vel, ut exiſtat, ſolo influxu Dei conſervante indiget; ſic per ſe ſubſiſtunt angeli, homines, beſtiæ, plantæ, et omnes ſubſtantiæ creatæ.

3. Modus eſt res ſubſtantiam aliquam eſſentialiter afficiens. Poteſt quidem una Subſtantia aliam afficere, verùm non per ſe, ſeu per eſſentiam ſuam, ut Modus, ſed unionis interventu. Unde Modus *per ſe*, nec exiſtit unquam, nec exiſtere poteſt, ſed ſemper exiſtit in Subſtantia aliqua à qua dependet.

4. Subſtantiarum duo ſunt genera, *Spiritus*, et *Materia*. Spiritus eſt Subſtantia percipiens: Materia, perceptionis expers. Modi manifeſti Spirituum ſunt, *perceptio*, *appetitio*, *averſatio*, ἀντικίνησις, et *habitus*. Materiæ vero, *Unio* & Situs partium, *figura*, *motus* & quies. Sed an omnes illi Materiæ proprii ſint, ambigitur. Atque hæc in preſenti, de ordinibus rerum generalibus, tenuiſſe ſufficiat.

5. *Attributum* rei, eſt quicquid ipſi verè convenit; adeoque per quod res intelligitur,

et explicatur. Tunc enim rem percipimus, cum attributum aliquod illius tenemus, illiusque attributum esse novimus : et quamdiu ipsi nihil tribuimus, nisi ratio aliqua suprema ac simplicissima sit, ut res, aliquid, nonnihil, nullum de illa conceptum formamus, ne quidem apprehensionem Simplicem.

6. Res autem cui attributa conveniunt, quatenus ipsi conveniunt, *Subjectum* dicitur. Sic *homo* ad *animal*, *vivens*, *Substantiam*, *doctum*, *peccatorem*, &c. Subjectum est : hæc autem sunt hominis attributa. Utrumque, tum subjectum, tum attributum, *Terminus* dicitur ; habita scilicet, ratione propositionis, quam hinc inde, terminat. Item *thema incomplexum*, seu simplex, quia per se, nihil expresse affirmat, vel negat, ut propositio.

7. Potest unicum & idem, si ad diversa referatur, esse & subjectum, et attributum. Sunt enim omnes modi, attributa suarum Substantiarum ; habent tamen sua attributa, quorum respectu, subjecta sunt. Exempli gratia, *Figura* est attributum Substantiæ extensæ finitæ ; subjectum tamen eorum quæ de ipsa demonstrant Geometræ. Possunt etiam duo, alternis vicibus, esse subjectum & attributum ; ut *homo* & *ratione præditus*.

8. Nec tamen dantur attributa attributorum in infinitum : verum sunt termini nonnulli

nulli per ſe evidentes ſive quæ nulla declaratione per attributa indigent, quippe per ſe ſimpliciſſimi, ut *aliquid*, *nonnihil*, *eſſe*.

9. Attributorum diviſiones primæ, et maxime communes, ſunt quæ ſequuntur. Primo, alia ſunt attributa *poſitiva*, quæ rem repreſentant, ut habentem aliquid. Alia *negativa*, quæ rem repreſentant, ut non habentem. Sic animatum, cum homini tribuitur, hominem repreſentat, ut habentem vitam: at *inanimatum*, cum cadaveri, aut lapidi tribuitur, ſignificat ea vita carere.

10. Attributa negativa ſunt *infinita*. De qualibet enim re, negare poſſumus omnes alias, quæ ſub conceptum noſtrum cadere poſſunt, et omnia earum attributa propria. At poſitiva ſunt *finita*, poſſuntque omnia, præſertim quæ rei declarandæ apta ſunt, enumerari.

11. Ex attributis negativis, nonnulla ſunt quæ omnem rem, ſive (ut ita loquamur) omnem *realitatem* negant, ut *non-Ens imperceptibile*: alia aliquam tantum: ut *immateriale*, non negat, niſi materiam, et quæ ipſi propria ſunt. Sola poſteriora rebus explicandis, apta ſunt.

12. Deinde, alia ſunt pure negativa, quæ *puram negationem*, ſeu carentiam denotant. Pura autem carentia dicitur, quæ carentia eſt, et nihil aliud. Alia ſunt *privativa*; quæ una cum carentia, capacitatem ſubjecti connotant,

notant, ad rem, quam negant, habendum. Sic *invisibile* est attributum mentis nostræ pure negativum: nihil enim aliud significat, quam quod mens non possit esse objectum visus: at *ignarum*, privativum est, et præter carentiam Scientiæ, potentiam receptivam illius in mente connotat.

13. Secundo, alia sunt attributa *simplicia*; cum unum tantum alicui tribuitur; ut homini, *Sentire*, *ratiocinari*. Alia *complexa*; cum plura instar unius tribuuntur; ut homini esse *animal ratione præditum*: Socrati esse *Ethnicum* doctum.

14. Tertio, alia sunt quæ, secundum id quod *proprie* significant, rebus conveniunt: ut homini *ridere*, parti superiori animalis esse *caput*: alia secundum id quod *improprie* significant, quæ idcirco *Tropica* et Analogica vocantur: ut cum campo *risus* tribuitur, et origo fluminis, *caput* dicitur.

15. Quarto, alia sunt communia; quæ pluribus rebus conveniunt; ut Spiritui et materiæ *per se subsistere*: alia propria, quæ uni soli; ut Spiritui *se movere*. Sed quod respectu unius proprium est, respectu aliorum est commune. Ut licet proprium Spiritui sit, *se movere*, commune tamen est menti humanæ, et angelo.

16. Ex attributis communibus, alia omnibus rebus, sine exceptione, aut omnibus rerum generibus, puta substantiæ, et modo conveniunt

niunt; ut esse *unum*, *verum*, *bonum*, *subjectum*, *adjunctum*, *causam*, *causatum*, *genus*, *speciem*, et istiusmodi. Quæ, quia omnes ordines rerum pervagantur, *Transcendentia* vocantur; et *notiones secundæ*, quia secundis cogitationibus a nobis apprehenduntur. Nam mens nostra, primo res singulares percipit; deinde, singularibus collatis, secundum attributa communia, notiones universales format. Et universalibus rursus similiter collatis, universaliores, dum tandem ad attributa universalissima seu suprema perveniat. Et talia sunt quæ in Logica proponuntur & explicantur. Alia sunt attributa singulis rerum generibus propria, quæ in inferioribus disciplinis traduntur.

17. Plurimæ aliæ sunt divisiones attributorum, quæ infra suis quæque locis occurrent. Hic porro notandum est, easdem sæpe esse divisiones rerum ac attributorum. Dividuntur enim res per attributa opposita. Unde hic dividi possent res in negativas, et positivas, simplices & compositas; et negativæ in pure negativas, seu puras negationes, et privativas, seu privationes: item in communes & proprias. Sed ex divisionibus attributorum præcedentibus satis intelligi possunt.

CAP.

CAP. II.

Eſſentia & Accidens, Genus, Differentia, Species & Individuum.

1. SEquitur, ut de attributis rerum communiſſimis, ſingulatim dicamus. Eſt igitur primum omnium attributum cujuſque rei, *habere aliquam Eſſentiam propriam*, ſive realis illa ſit, ſive tantum intelligibilis. Ex hoc enim pendent reliqua omnia. Secundum ſit, *habere aliquid additamenti*, vel *acceſſorium*; aut *additamento*, quod naturaliter admittit, aut exigit, *privari*; quod *accidens* dicitur. Duo iſta, quia immediate oppoſita ſunt, ſimul explicabimus. Nihil enim in ulla re cogitari poteſt, quod nec Eſſentia aut de eſſentia ſit, nec accidens.

2. *Eſſentia* rei eſt *totum* illud, per quod res eſt, id quod eſt. Totum dico quia ſi minus toto ſit, non dicitur eſſentia rei, ſed aliquid *eſſentiale*, ſeu de Eſſentia. Aliter Eſſentia eſt totum, per quod res in proprio eſſe intrinſece conſtituitur. Sic *corpus*, *mens*, et utriuſque *unio* ſimul, ſunt eſſentia hominis. Per ea enim homo eſt homo. Quodvis autem ex illis ſeparatim, eſt aliquid homini

mini eſſentiale, ſeu de illius eſſentia.

3. *Accidens* eſt, quod rei in eſſe ſuo jam conſtitutæ ſupervenit, et in eſſe perfecto permanenti decedit, aut decedere poteſt. Adeoque ſine quo res eſt id quod eſt: Sive quod adeſt & abeſt, (ſucceſſive ſilicet) ſine rei interitu, hoc eſt, ſalva rei eſſentia. Ut eſſe *divitem*, *pauperem*, *doctum*, *rudem*, &c. Sunt hominis accidentia. Hinc ſequitur eſſentiam rei, *unicam* eſſe; accidentia eſſe multa.

4. Hinc oritur diviſio attributorum maxime attendenda, in *Eſſentialia* & *Accidentaria*. Præcipua enim in rebus contemplandis, cura noſtra eſſe debet, eſſentias, et attributa eſſentialia invenire, et ab accidentibus ſecernere. Sola enim accidentia noſſe; eſt in cortice hærere, nec tam res ipſas, quam alias ſcire, quæ cum ipſis conjunctæ ſunt.

5. Attributum eſſentiale eſt, ſine quo res eſſe nequit, et idcirco negari nequit de re ſine contradictione, hoc eſt, quin ſequatur, rem non eſſe illam, quæ eſt. Attributum accidentale contra, abeſſe poteſt, a re, et de ea negari, ſine contradictione. Sic *conſtare tribus lineis*, et *tribus angulis* ſunt de eſſentia Trianguli: Quodvis enim horum ſi tollas, deſtruitur eſſentia & idæa trianguli. At quod lineæ iſtæ longiores, vel breviores ſint, rectæ, vel curvæ, et quod omnes anguli ſint acuti, aut unus ſit rectus, vel obtuſus

iſta

iſta, inquam, omnia, accidentia ſunt tria guli.

6. Attributum eſſentiale, vel eſt *commun* vel *proprium*. Hanc diſtributionem ut intel ligas, (quandoquidem, quod uni proprium eſt, aliis eſt commune, et viciſſim) Notan dum eſt, ſubjectum attributorum quorum cunque, vel eſſe *ſpeciem*, vel *Individuum* Species ita ſubjectum eſt, horum attributo rum, ut plura ſub ſe contineat quibus ipſ tribuitur. Ut, *homo*, *equus*, *arbor*. *Hom* enim ad *animal*, et *rationale*, eſt ſubjectum ad hunc vero & illum hominem, eſt attribu tum. Hinc una & eadem ſpecies reſpect diverſorum eſt, et ſubjicibilis, et prædica bilis.

7. Individuum vero ita ſubjectum eſt, u nallatenus attributum ſit. Nulla enim ſub continet, quæ de ipſo prædicari poſſunt. Un de & *Individuum* dicitur, non quia divid nequit in plures res, ſed quia dividi nequ in plura, de quibus poſſit affirmari. Si *Socrates* eſt individuum humanum: *Gabri* Angelorum, *Motus ſolis* eſt individuum mo tûs.

8. Jam vero ut proximam attributorum eſſentialium diſtributionem intelligas, ſcien dum eſt, individuorum creatorum nulla eſ attributa eſſentialia propria, ſed tantum acc dentialia. Quicquid enim eſt de eſſentia *Socra tis*, ut hic homo eſt, de eſſentia etiam eſt ho

minu

minum reliquorum. Deitatis tamen glorioſæ, multa ſunt attributa propria, ut infinitudo, æternitas, independentia, &c. cum tamen maxime individua & ſingularis ſit.

9. Speciei attributa communia, *Generica* vocantur, propria vero, *differentiæ* perfectæ, et adequatæ. Et è communibus, quod habet ſe ad modum rei per ſe ſtantis, hoc eſt, concipitur ad modum ſubſtantiæ, ſive reipſa ſubſtantia ſit, ſive non, *Genus* vocatur. Ut *animal* ad hominem, color ad albedinem: Unde ſemper nomine ſubſtantivo, ſicut & ſpecies, ac individuum, exprimitur. Quod vero concipitur ad modum rei adjacentis alteri, vocatur Differentia generica; modo, ut innuimus, attributum ſit eſſentiale commune. Ut *Senſitivum*, et per ſe ſubſiſtere ad hominem.

10. Differentia perfecta & adequata eſt, quæ reciproce convenit ſpeciei, eamque ab omnibus aliis diſtinguit. Cum differentia generica & genus ipſum, ſpeciem cui tribuuntur a quibuſdam tantum, aut multis, vel pleriſque diſtinguat, at non ab omnibus: Ut *ſenſitivum* ad animal; *ratione præditum*, ex vulgari ſententia, ad hominem.

11. Attributum *reciprocum* vocamus, cum nihil continetur ſubſubjecto, cui attributum non convenit; et rurſus nihil continetur ſub attributo, cui ſubjectum non convenit. Sic *omne animal eſt ſenſitivum* & *omne ſenſitivum*

eſt

eſt animal. Alexander *Magnus fuit everſor regni Perſici*, et *nullus alius.* Non enim tantum generum & Specierum, ſed etiam individuorum, ſunt attributa reciproca.

12. In omni attributorum eſſentialium ſerie, quædam ſunt *proxima*, reliqua *remota.* Ex remotis autem, id quod remotiſſimum eſt, *genus ſupremum*, reliqua genera & Species ſubalternæ vocantur, *ex. g.* hæc ſunt attributa eſſentialia hominis, *animal*, *vivens*, *corporeum*, *Subſtantia*, *ens.* Et animal quidem, genus proximum eſt, Ens vero, vel, (ut alii volunt) ſubſtantia, eſt genus ſupremum, quod nullum habet genus ſuperius: Reliqua ſunt genera & ſpecies ſubalterna; hoc eſt, unumquodque reſpectu ſuperioris, eſt ſpecies, reſpectu inferioris, eſt genus: Ut exempla jam data oſtendunt. *Superius* autem dicitur, quod magis commune; *inferius* quod minus.

13. Similiter in quavis iſtiuſmodi ſerie, ſi aliquod attributum deſignes, unum illius eſt ſubjectum *proximum*, reliqua, ſi modò alia fuerint; *remota.* Et ex remotis, individua ſunt ſimpliciter ultima; ex illis vero quæ attributa eſſe poſſunt, *ultimum* eſt ſpecies infima: Ut in hac ſerie, *Ens*, *Subſtantia*, *corporeum*, *vivens*, *animal*, *homo*, *Socrates.* *Ens* eſt ſupremum attributum, proximum illius ſubjectum eſt *ſubſtantia*: reliqua ſunt ſubjecta remota: Et ex illis *homo* eſt ſpecies infi-

infima, *Socrates* denique est subjectum omnium simpliciter ultimum. Ejusmodi series subjectorum & attributorum, *linea categorica* a Peripateticis dicitur, et in omnibus rerum ordinibus, tam Substantiarum quam Modorum, reperitur.

14. Differentiæ duo munera sunt, *dividere Genus* in suas species, quæ ad minimum duæ sunt, quarum idcirco differentiæ sunt oppositæ, easque dissimiles reddunt; et *constituere speciem*, unà cum genere. Species enim est quasi compositum quoddam ex genere & differentia propria. Genus autem omnes gradus essentiæ superiores continet. Et in illa compositione genus habet analogiam quandam ad materiam; differentia ad formam. Sicut enim Materia indifferens est ad plures formas, ita ratio generis ad plures differentias, quarum nullam determinate vel exigit, vel respuit. Hinc differentia extra conceptum generis est, et habet se ad ipsum instar accidentis. Hæc omnia, ut evidentiora evadant, alicui exemplorum, quæ supra adduximus, applicanda sunt.

15. E duabus differentiis idem genus dividentibus, non necesse est utramque esse positivam. Ut enim duæ res essentiis differant, sufficit si alteri aliquid desit, quod in alterius essentia continetur. Sic differunt duæ lineæ inæquales, item spiritus & materia, (in eorum hypothesi qui extensionem non

 mate-

materiæ propriam, ſed utrique communem faciunt,) quod ille perceptivus ſit, hæc minime.

16. Dividitur differentia eſſentialis in *Primam* & *Secundam*. Prima, quæ & nobiliſſima cenſetur, eſt illa a qua reliquæ dependent, ipſa vero a nullo pendet. Secunda eſt quæ pendet ab alia priori, ſcilicet, quæ cauſa ſeu ratio eſt, cur ſubjecto conveniat. Et peculiari applicatione vocis *Proprium*, *proprietas*, et *Affectio*, græcis πάθος dicitur. Sic *habere tres angulos*, eſt prima differentia trianguli: at quod tres illi anguli æquales ſint duobus angulis rectis, proprium, ſeu proprietas dicitur. Et in Spiritu prima differentia eſt *virtus percipiendi*, ex qua fluit ſecunda, nempe, *virtus appetendi*; et ex hac rurſus tertia, ſcilicet, *potentia ſe movendi*. Ideo enim appetit, quia percipit, et ideo ſe movet, quia appetit.

17. Ex his quæ hoc capite diximus, colligere licet duas proprietates terminorum ſimplicium, quæ ambæ termino communi, altera etiam ſingulari, ſeu individuo convenit, nempe, *extenſionem* & comprehenſionem. Extenſio eſt collectio inferiorum, quæ ſub termino communi continentur; Comprehenſio eſt collectio omnium attributorum eſſentialium, quæ in idæa rei continentur. *Ex. g.* In extenſione *animalis*, continentur *homo* & *beſtia*, et omnia utriuſque individua, hoc

eſt

eſt omnia animalia. At in comprehenſione illius, nihil horum continetur, ſed *ſenſitivum*, *vivens*, *corporeum*, *ſubſtantia*, *ens*, et quæcunque in comprehenſione horum omnium reperitur, hoc eſt omnia attributa eſſentialia.

18. Hic notabis, quo major eſt comprehenſio, eo minorem eſſe extenſionem; et quo minor eſt comprehenſio, eo majorem eſſe extenſionem, et viciſſim. Unde ſequitur comprehenſionem Individui eſſe maximam, cujus extenſio nulla eſt: at generis ſupremi, ſive attributi altiſſimi, extenſionem eſſe maximam, comprehenſionem vero minimam. Item majorem eſſe comprehenſionem Speciei infimæ, quam generis infimi, (*infimum* autem genus dicimus, quod non poteſt dividi in ſpecies ſubalternas, ſed tantum in infimas,) extenſionem vero minorem. In exemplis ſupra adductis, hujus rei veritatem experire.

19. Colligere etiam ex dictis licet, omnia attributa ſimplicia eſſe tria, *Genus*, *Differentiam*, et *Accidens*. Omnia enim attributa rerum, vel ſunt eſſentialia, vel accidentaria. Et attributa eſſentialia, ſunt genus, et differentia. Vulgaris vero logica attributorum ſimplicium quinque capita ſtatuunt, *Genus*, *Speciem*, *Differentiam*, *Proprium* & *Accidens*: Quam recte vero iſtud fiet, in Elencticis diſquiretur.

CAP. III.

Subjectum & Adjunctum.

1 QUævis res, quatenus aliquid præter eſſentiam habet, aut aliquo quod exigit, privatur, *Subjectum* dicitur. Illud vero quod ipſi præter eſſentiam accedit, ſicut & carentia illius quod exigit, *Adjunctum* appellatur. Eſtque nihil aliud quam ipſum accidens, de quo capite præcedenti diximus. Unde ſubjectum ſemper eſt eſſentia aliqua, ſub ratione habentis, aut carentis. Et hinc ſumere licet primam diviſionem adjuncti, in poſitivum et negativum, ſeu privationem. Ipſæ enim privationes inter adjuncta recenſeri ſolent.

2. Subjectum aliud eſt attributionis, ſeu prædicationis, cujus correlatum eſt attributum. Aliud receptionis cui adjunctum reſpondet. Differunt duo iſta ſubjectorum genera, quod prius non diſtinguatur adæquate à ſuo attributo: poſterius ſemper diſtinguatur adæquate a ſuo adjuncto. Nihil enim ſui ipſius adjunctum eſt. *ex. g. Homo* eſt ſubjectum attributionis ad *doctum*: hoc enim non diſtinguitur adæquate ab homine: ſi quidem ſignificat aliquid *habens doctrinam*, quod ſecundum id quod directe ſignificat, eſt ipſe homo.

At

At homo eſt ſubjectum recipiens reſpectu doctrinæ, et doctrina non eſt illius attributum ſed adjunctum: et ſecundum totum quod ſignificat, eſt diverſum ab homine.

3. Subjectum ſic acceptum, de quo nunc agitur, vel eſt *pure recipiens*, vel etiam *ſuſtentans*. Subjectum pure recipiens dicitur, a quo adjunctum in eſſe ſuo non pendet. Sic *corpus hamanum* ſubjectum animæ rationalis dicitur. Non enim pendet anima rationalis a corpore; ſed ſeparatim ab eo exiſtit: *veſtis* eſt adjunctum hominis, *arma* militis. Subjectum ſuſtentans eſt, a quo eſſentialiter pendet adjunctum. Sic omnes ſubſtantiæ ſubjecta ſunt ſuorum modorum, qui a ſubſtantiis eſſentialiter pendent.

4. Per analogiam quandam ad duo iſta ſubjectorum genera, iſtud etiam ſubjectum recipiens dicitur, cum quo aliquid, quod extra conceptum eſſentiæ eſt, conjungitur, licet ab eo diſtinctum realiter non ſit. Sic *creatura* eſt ſubjectum exiſtentiæ; et hæc ſunt illius adjuncta: *Genus* eſt ſubjectum ſuarum diffentiarum; ut animal rationis, et irrationalitatis; et hæc ſunt illius adjuncta. Sed ſubjecta & adjuncta iſtiuſmodi *Metaphyſica*, aut *logica*, a multis dicuntur, nempe, in noſtro modo concipiendi; ad differentiam ſubjectorum & adjunctorum quæ proprie talia ſunt, et *Phyſica* vocantur, et ſemper realiter diſtinguuntur a ſe invicem. Concipimus

enim creaturam tota essentia sua constare, sive actu existat, sive non. Et concipimus essentiam generis separando ab illo quamlibet ex differentiis determinate: ut cum dicimus animal secundum se, et qua animal, nec esse rationale determinate, nec irrationale.

5. Adjunctum aliud est natura sua adjunctum; scilicet quod existere nequit, nisi in subjecto sustentante ut omnes modi substantiarum, et privationes; *ex. g. Justitia* & *injustitia*, *scientia* & *ignorantia*: aliud ex accidenti, et per aliud; nempe per unionem distinctam cum subjecto: sic una substantia est adjunctum alterius. *v. g. Mens*, et *vestis* sunt adjuncta corporis. Prius adjunctum *inhærens*, posterius *adhærens* dicitur. Prius subjecto convenit sine unione distincta: concipi enim nequit figuram aut motum inhærere substantiæ figuratæ, aut motæ, per unionem distinctam: posterius vero per unionem, qui modus est, tum subjecti, tum adjuncti.

6. Unitur vero adjunctum istiusmodi cum subjecto, vel unione stricte dicta, quæ *Physica* vocatur, ut anima corpori: vel per contactum, ut vestis: vel per solam relationem; quo casu disjunctum est quoad locum a subjecto. Sic *opes* inter adjuncta hominis censentur.

7. Hinc statuere licet quænam ex adjunctis *interna* sint, quænam *externa*. Interna maxime proprie sunt quæ inhærentia dicuntur;

tur; Externa vero, quæ ſubjecto adſunt per contactum tantum, aut relationem. Quæ vero phyſica unione cohærent cum ſubjectis, ut pili & cornua corpori animalis, et mens reſpectu corporis, rectius adjuncta unita, quam vel interna vel externa dicuntur. Quandoque enim intra ſubjectum ſunt quandoque extra, quandoque partim intra, partim extra.

8. Secundo adjunctum aliud eſt *commune* multis ſubjectis, nempe in ſpecie ſua; ut *albedo* chartæ, lacti, cygno: aliud uni *proprium*; ut Julio Cæſari, quod *primus Romanorum Imperator* fuerit, et *Gallos* ſubjugatos *Imperio Romano adjecerit*.

9. Tertio aliud *ſeparabile* eſt a ſubjecto, per cauſas ſcilicet, naturales, aut artem humanam. Aliud *inſeparabile*. Exempla ſunt obvia. Dico *per cauſas naturales*, vel *artem humanam*, quia abſolute, et divinitus, omne adjunctum ſeparari poteſt. Eſt enim extra eſſentiam ſubjecti: Unde abeſſe poteſt ſine contradictione.

10. Quarto aliud eſt *neceſſarium*, quod ſubjectum ex ordine naturali exigit. Sic *ſol*, *luna* & reliqua aſtra adjunctam habent rotunditatem. Aliud eſt *contingens* quod ſubjectum non exigit, ut *albedo* ad equum. Et hoc rurſus vel *raro* convenit ſubjecto, ut homini ſex digiti in altera manu; vel *Sæpe*, ut bovem eſſe nigrum; vel plane *indifferens*

eſt ut conveniat vel non, ut alea ludentem vincere.

11. Ex adjunctis externis, quædam vocantur *circumſtantiæ*; ſed actionum præcipue humanarum adjuncta ſunt; ut *Tempus, quando*, aut quamdiu aliquid actum eſt; *locus* in quo; *perſona* a qua; *inſtrumenta* quibus; *modus* quo. Sed quænam inter circumſtantias numeranda ſunt, nondum conſentiunt Philoſophi. Eidem adjunctorum ordini accenſentur *antecedentia*, *concomitantia* & *conſequentia*, reſpectu temporis & loci.

12. Si igitur adjunctorum alia adjuncta ſint, hoc eſt, ſi quod unius reſpectu adjunctum eſt, reſpectu alterius eſt ſubjectum; manifeſtum eſt, accidentia, quæ ipſa adjuncta ſunt, habere ſuas eſſentias et rationem ſubjectorum ad ſua adjuncta. Et de adjunctis adhærentibus nempe ſubſtantiis, dubitari nequit. Sed de modis ſubſtantiarum, præter actiones, idem nonnulli pronunciant. *Ex. g.* Celeritatem & tarditatem Modos, adeoque adjuncta motus ſtatuunt, quas alii forte differentias facerent eſſentiales, ſeu ſpecificas.

CAP.

CAP. IV.

Ens actu, et potestate, Non-Ens, esse alicubi, et aliquando.

1. TErtium attributum omnium rerum commune est *posse existere*, cujus ratione *Entia realia* res vocantur. Posse autem existere, illa omnia putanda sunt, in quorum idæa seu essentia, nulla est repugnantia, sive contradictio. Hoc est ubi una pars essentiæ, alteram non evertit, sed omnes amicè consentiunt.

2. Quod non repugnat ut existat, vel jam actu existit, et est *Ens simpliciter*: vel tantum potest existere, estque *Ens potestate*, et secundum quid. Utrique communis est non repugnantia existendi. Enti enim potestate aperte convenit. Sed & Enti existenti, seu actuali convenire, hinc concluditur, quod *actus non tollit potentiam.*

3. Quid sit esse vel existere, adeoque posse existere, per se manifestum est, nec definitione indiget. Sed distingui potest existentia in *Instantaneam*, per quam res pro parte tantum indivisibili temporis existere intelligitur; et *continuatam*, qua pro Parte divisibili existit.

exiſtit. Et ejuſmodi exiſtentia *duratio* dicitur. Eſtque vel *finita* ſeu temporaria, vel infinita, ſeu æterna, ſive a ſola parte poſt, quomodo mentes noſtræ infinitam durationem habituræ ſunt, vel etiam a parte ante; quæ eſt duratio primæ Entis, nempe, Numinis diviṇi.

4. Ens poteſtate, vel eſt *pure poſſibile*, quod nec exiſtit, nec extiturum eſt, ſed tantum poteſt exiſtere, ut alius mundus; vel etiam *futurum*, ſcilicet, quod determinatur ad exiſtendum, pro aliquo tempore ſequenti. Ut reſurrectio mortuorum, et judicium extremum. Quod enim pure poſſibile eſt, indifferens etiam eſt ad exiſtendum, vel non.

5. Enti opponitur *Non-Ens*, quod ſimiliter ac Ens, vel eſt ſimpliciter tale, vel ſecundum quid. Non-Ens ſimpliciter eſt cui repugnat exiſtere, quod ἀδύνατον *Impoſſibile* dicitur. Ex eo dignoſcitur, quod talem eſſentiam intelligibilem habeat, cujus una pars alteram evertit, ut *Quadratum rotundum*, *alius Deus*. Non-Ens ſecundum quid eſt, quod actu quidem non exiſtit, poteſt tamen exiſtere; ſive illa exiſtendi poteſtas pura ſit, ſive cum determinatione ad exiſtendum conjuncta: adeoque idem eſt cum poſſibili & futuro.

6. *Impoſſibile* aliud eſt abſolute, et ſimpliciter tale, nempe, quod ex nulla hypotheſi poſſibili, potuit, aut poteſt exiſtere; ut in exem-

exemplis proxime adductis. Aliud eſt Impoſſibile *ſecundum quid* tantum; ſcilicet vel *ex hypotheſi*, quæ aliter eſſe potuit; Nempe ſi non ſit futurum, cum futurum eſſe potuit, (*Ex. g.* Ex hypotheſi, quod Deus alium mundum condere nolit, impoſſibile eſt alium mundum exiſtere; non tamen ſimpliciter, ſed tantum ex iſta hypotheſi:) vel *per cauſas creatas*; ut impoſſibile eſt angelum producere ſubſtantiam: vel *certo alicui ordini* rerum; ut impoſſibile eſt beſtiam ratiocinari, percipere res Spirituales. Quod enim uni poſſibile eſt, alteri eſt impoſſibile.

7. Deinde aliud eſt *naturaliter* impoſſibile, ſcilicet, quod naturæ rei plane repugnat, aut virtutem naturalem plane ſuperat: adeoque quod quis, quamvis maxime vellet, præſtare nequit; ut hominem montes tollere, camelum per foramen acûs traducere: aliud *moraliter* quod creatura rationalis ob diſpoſitionem animi optimam aut pravam præſertim voluntatis, præſtare nequit: ut improbum quamdiu improbus eſt, bene agere; probum flagitiis ſe ipſum dedere.

8. Denique aliud eſt poſſibile, et impoſſibile, *in ſenſu compoſito*; ut poſſibile eſt ſedentem, etiam dum ſedet canere: at ſtare dum ſedet, impoſſibile eſt. Aliud *in ſenſu diviſo*: ſic poſſibile eſt ſedentem ſtare, hoc eſt, alio tempore, quam quo ſedet, ſeu modo ſeſſionis exuto.

9. Non-

9. Non-Ens, prout conceptum aliquem noſtrum terminat, *Ens-rationis* dicitur. Et idcirco definitur Ens Rationis quod *tantum exiſtit objective* in mente: hoc eſt, mentis objectum eſt, ſeu ab ea apprehenditur, et percipitur. Hoc ſenſu nonnulli, ſola illa quæ ſimpliciter impoſſibilia ſunt, comprehendunt: ut *Chimæra*, *Materia cogitans*: Alii etiam poſſibilia, ut *roſa in hyeme*, *mons aureus*.

10. Hinc *quartum* attributum omnibus rebus commune, *habere* aut *poſſe habere eſſe objectivum*; hoc eſt, terminare aliquem actum potentiæ cognoſcitivæ, aut appetitivæ. Qua ratione res dicuntur imaginabiles, intelligibiles, appetibiles, averſabiles. Et hic eſt latiſſimus conceptus quem de rebus formamus: juxta quem diſtinguuntur in poſitivas, et negativas, exiſtentes, poſſibiles, et impoſſibiles, imaginarias & reales. Unde *res* in latiſſima ſua ſignificatione eſt, quicquid *cogitari* aut *nominari poteſt*: cui opponitur Non-imaginabile, Imperceptibile, quód apprehendi nequit, niſi ſub ratione communi non-imaginabilis, &c. ſeu ut loquuntur Scholæ in *actu ſignato*.

11. *Quintum* attributum commune eſt, *eſſe alicubi*: hoc eſt eſſe in aliqua parte ſpatii localis, quod omnes vel inviti apprehendunt, et infinitum ac plane immobile reperiunt. Quidnam vero iſtud ſit, purum ne Non-Ens,

ac imaginarium, ut plerique ſtatuunt, an extenſio materiæ, ut Carteſius, an divina immenſitas, ut alii, in Phyſiologia diſquirendum eſt. Deo tamen proprium eſt eſſe ubique.

12. *Sextum* attributum eſt *eſſe aliquando*, ſeu coexiſtere alicui parti ſpatii temporalis, quod (ut locale,) omnes ſimiliter agnoſcunt; et ſemper fluere vel inveniunt, vel fingunt, per continuam ſucceſſionem prioris, et poſterioris. Huc etiam ſpectat *eſſe aliquamdiu*; quod idem eſt cum duratione de qua ſupra ſectione 3. Sicut igitur eſſe alicubi omnes differentias loci, ita etiam eſſe aliquando omnes differentias temporis complectitur.

13. Duo iſta attributa immediate & neceſſario ſequntur exiſtentiam actualem; ſi enim res nullibi, aut nunquam eſt, ne quidem eſt. Nullibi igitur & nunquam eſſe, ſolis non-entibus conveniunt: niſi quod ens poſſibile alicubi & aliquando ſit poteſtate. Actu enim nuſquam eſt, niſi (ut dici ſolet,) in virtute ſuarum cauſarum: quo nihil aliud ſignificatur, quam cauſas illius actu exiſtere, vel omnes, vel ſaltem ſupremam, nempe, Deum.

CAP.

CAP. V.

Identitas, Diſtinctio & Relatio.

1. SEptimum attributum eſt, quo res *eadem eſt cum ſeipſa*: Octavum, qua *diſtincta eſt* ab omni alia. *Identitas* eſt per quam res per ſe ſpectata, ſive ad ſe comparata ſeipſa dicitur, ſuamque ipſius habere naturam; Diſtinctio vero, per quam res ad aliam comparata, dicitur non eſſe illa, ſed alia ab illa; adeoque aliam habere naturam, licet non neceſſario diſſimilem. Poſſunt enim quæ diſtincta ſunt, eſſe exacte ſeu in omnibus ſimilia: ut *duæ lineæ æquales*, *duo ova* ejuſdem avis. Quæ vero diſſimilia ſunt, *differre* dicuntur, quod plus importat quam ſimpliciter diſtingui.

2. Identitas igitur negationem mutationis innuit: et *Idem*, ac *immutatum* in eſſentia, et partibus principalibus, idem ſunt. Identitas enim cum mutatione in accidentibus aliiſque quæ in re, minus principalia ſunt, conſiſtere poteſt. Verum ſi res in Eſſentia, vel minimum mutetur, non eſt eadem ſed alia. Unde *Eſſentiæ* rerum, ut numeri, *in indiviſibili* conſiſtere dicuntur.

3. Iden-

3. Identitas, alia eſt *perfecta*, et abſoluta, cum res nullam omnino mutationem ſubiit. hoc modo Deus ſemper idem eſt; nec enim novorum accidentium acceſſu aut receſſu mutatur. Novæ enim relationes ad creaturas quas induit, mutationem non inferunt. Alia eſt *imperfecta*, cum aliquid de Eſſentia rei detractum eſt, modo pars minus principalis ſit: ſic domus eadem dicitur, ſi Muri remanſerint; licet reliqua perierint. Vel cum, manente eſſentia, mutatio eſt in ſolis accidentibus. Sic *Socrates ſenex* & *puer*, *doctus* & *indoctus*, *ſanus* & *æger*, idem dicitur, in eſſentia ſcilicet. Simpliciter enim Idem ſub iſtis mutationibus eſſe nequit.

4. Deinde alia eſt *Identitas realis*, cum res vere & ſtricte illa ipſa eſt, quæ fuit: qua ratione materia rerum corporearum, ſub innumeris mutationibus, ſemper eadem eſt, in ſpecie, et eſſentia. Alia *moralis*, cum diverſitas, licet ſit, non attenditur, aut ratio illius non habetur. Sic quæ in continuo fluxu ſunt, eadem dicuntur, licet re vera ſint diverſa, ut *fluvii*, *flammæ*, *venti*.

5. Tertio, alia eſt *Identitas Individualis*, nempe, unius individui cum ſeipſo; ut in prioribus exemplis. Alia, (quæ in Scholis *formalis* dicitur,) *Generica* vel *ſpecifica*; ſcilicet convenientia plurium ſpecierum, aut individuorum, in natura communi. Quæ enim exacte conveniunt, *idem* dicuntur. Sic

omnes

omnes homines ejuſdem naturæ eſſe dicimus, licet revera unuſquiſque propriam habeat naturam, a reliquis diſtinctam. Hæc de Identate.

6. *Diſtinctio* triplex eſt, *realis*, *modalis* & *formalis* ſive *rationis*. Diſtinctio realis dici poteſt, quæ non fingitur ſed eſt in rebus ipſis. Sed ſic omnes iſti diſtinctionum ordines reales ſunt. Verum diſtinctio *realis* hic dicitur, quæ eſt inter diverſas res, quarum una non eſt modus alterius. Ut *inter* duas *ſubſtantias*, puta mentem & corpus in homine. Quæ enim diſtincta ſunt, poſſunt eſſe unita. Deinde inter duos modos, ſive diverſarum ſubſtantiarum, ſive ejuſdem: ut inter figuram terræ, et motum ſolis: inter ſcientiam, et probitatem in Socrate. Denique inter unam aliquam *ſubſtantiam*, et *modum alterius*: ut inter corpus humanum, et figuram corporis equini. Quæ his modis diſtinguuntur, nullum eorum requiritur ut alterum exiſtat. Excipe tamen diſtinctionem inter Deum & creaturam, et inter perſonas S. Sanctæ Trinitatis. Nec enim creatura exiſtere poteſt ſine creatore, quæ tamen ab eo maxime diſtinguitur. Nec Pater æternus abſque Filio, et S. Sancto eſſe poteſt, nec viciſſim: diſtinguuntur tamen diſtinctione reali, ut ſacræ literæ probant.

7. *Diſtinctio Modalis* eſt inter ſubſtantiam, et quemlibet ex ſuis modis: ut inter ceram

&

& imaginem ipſi impreſſam ; inter rem quæ movetur, et motum ſuum. Quæ ſic diſtinguuntur, poſſunt quidem (in creatis) ſeparari, nequeunt tamen ambo ſeparatim exiſtere : ut in datis exemplis patet. Deinde alterum poteſt concipi non concepto altero : ſed non viciſſim. Ut concipere poſſumus Ceram nihil cogitantes de effigie, quæ ei imprimitur : at concipere nequimus effigiem quin alicui ſubſtantiæ inhærere intelligamus.

8. *Diſtinctio Rationis* eſt inter rem & quodvis ex attributis ſuis eſſentialibus ; item inter attributa illa ad ſe invicem comparata, modo non deſignent partes rei realiter aut modaliter diſtinctas. Et ex eo oritur, quod una & eadem res, licet per ſe ſimplex, plurimas alias reſpiciat, quæ realiter diſtinctæ ſunt, vel negationes earum connotet. Unde diſtinctio *Rationis* vocatur, non quaſi a mente ſeu ratione noſtra fieret, (ſic enim non eſſet vera, ſed ficta,) ſed quia diverſæ illæ habitudines & negationes, *Rationes* rerum vocantur. *Ex. g.* In Angelo *virtus intelligendi & volendi*, realiter, ſunt ipſa entitas angeli, quæ tota eſt intellectiva, et volitiva. Diſtinguuntur autem per diverſas habitudines, ſeu reſpectus ad operationes diverſas, nempe ad actus intellectus, et voluntatis, quos entitas angeli connotat. Similiter duo iſta attributa angeli, *Inviſibilitas*, et *Impalpabilitas*, quæ

 revera

revera ſunt ipſa angeli entitas, diſtinguuntur per negationes rerum diverſarum, nempe, viſus & tactus, quas entitas angeli connotat.

9. Diſtinctio iſta *formalis* dicitur, quia rationes iſtiuſmodi ex quibus oritur, ſunt veluti formæ quædam, ſeu modi rerum eſſentiales. Unde in Scholis formalitates appellantur. Dicitur etiam diſtinctio *virtualis*, quia diverſa rei attributa eſſentialia, idem ſæpe præſtant quod diverſæ entitates præſtare ſolent. Adeoque ſunt veluti perfectiones rerum diverſarum in unum collectæ. Ut in anima rationali, virtus vegetandi, ſentiendi, et intelligendi, quæ ſigillatim in rebus realiter diverſis reperiuntur, puta in planta, beſtia, et angelo.

10. Diſtinctio realis maxima eſt, Modalis media, Rationis minima. In hoc tamen diſtinctio rationis, reali ſimilis eſt, quod eorum, quæ per eam diſtinguuntur, alterum clare concipi poteſt altero non concepto. Modali vero diſſimilis, cujus alterum membrum non poteſt clare concipi quin alterum confuſe ſaltem concipiatur. Ut in angelo, concipere poſſumus inviſibilitatem non concepta impalpabilitate: at modum concipere non poſſumus, quin confuſe ſaltem concipiamus ſubjectum quod afficit.

11. Quævis ex his diſtinctionibus, rurſus dividitur in *adæquatam*, et *inadæquatam*. Diſtinctio

ctio adæquata, hoc eſt *perfecta* & *totalis*, dicitur, cujus neutrum e membris alterum includit. Sive cujus membra prorſus diſtincta ſunt. Inadæquata eſt, cujus alterum membrum alterum includit, ſed non viciſſim. Si enim membra reciproce ſe mutuo includerent, eſſet tum diſtinctio (quod dici ſolet) ſine diſtinctione: id eſt, ficta, aut plane nulla. Sic in homine; *Mens* & *corpus* diſtinguuntur realiter-*adæquate*, quia neutrum in alterius idæa includitur. At homo ipſe diſtinguitur a *mente* ſua, aut *corpore*, ſolum inadæquate, quia homo includit mentem, et corpus; at nec mens, nec corpus ſeorſim, hominem includit. Similiter inter *motum* & *rotunditatem* eſt diſtinctio adæquata; quia neutrum alterum includit: at inter *rotundum* & *rotunditatem*, *rem motam*, et *motionem*, diſtinctio eſt inadæquata, quia *rotundum* in idæa ſua, *rotunditatem* includit: at *rotunditas* eſſentialiter quidem reſpicit id quod rotundum eſt, ſcil: ſubjectum rotunditatis, ipſum tamen in idæa ſua non includit. Denique inter *virtutem intelligendi* & *volendi* in angelo diſtinctio eſt adæquata, licet rationis: at inter *virtutem intelligendi* aut *volendi* & *angelum* ipſum, ſolum inadæquata eſt.

12. *Nonum attributum* commune eſt, quod *qualibet res ad quamlibet aliam, aliquo modo referatur*, quod in abſtracto, *Relatio*, *reſpectus*, græcis σχέσις *habitudo* dicitur. Ver-

ſatur autem relatio omnis inter ea quæ aliquo modo diſtincta ſunt. Idem enim ad ſeipſum qua idem, referri nequit. Ex his autem unum vocatur *ſubjectum* relationis, quia relatio concipitur in eo contineri; nempe illud quod reſpicit aliud, ut *pater* filium. Alterum vocatur *terminus*, ſcilicet, id quod alterum reſpicit; hoc eſt quod ab eo reſpicitur; ut *filius* a patre.

13. Cum autem omnis relatio mutua ſit, ſicut ſubjectum reſpicit terminum, ita rurſus terminus ſubjectum; et idcirco *correllatum* dicitur. Unde inter quævis duo relatorum, bina eſt relatio. Ut per unam relationem Pater filium reſpicit, per aliam filius patrem. Nec enim idem eſt eſſe Pater ac eſſe filius.

14. Quædam tamen ſimili plane ratione, ſe mutuo reſpiciunt, quæ idcirco *Synonyma*, id eſt, ejuſdem nominis ſunt; et relata *æquiparantiæ* vocantur: ut *ſimile*, *æquale*, *amicus*. Nam omne ſimile eſt ſimile alteri ſimili; et omne æquale habet coæquale: et amicus eſt amici (ἀντιφίλος) amicus. Alia diſſimilibus relationibus ad ſe referuntur, et idcirco *heteronyma*, diverſi nominis ſunt; et relata *diſquiparantiæ* appellantur, ut pater et filius, Dominus & Servus.

15. Deinde quædam relata *per ſe*, ſeu per ſuas entitates, ſe mutuo reſpiciunt; ut duæ *albedines* per ſe ſimiles ſunt. Alia tertium quid requirunt, quod *Fundamentum* dicitur,

citur, quo posito oritur, seu resultat relatio. Sic, ut inter virum & fœminam, relationes Mariti et uxoris exsurgant, requiritur conjugium; et ut inter duos homines, relationes domini & servi oriantur, requiritur contractus, vel ut alter alterum emerit, aut bello ceperit, &c.

16. Eorum, quæ per se, ad se invicem referuntur, relationes *essentiales* sunt, et tolli nequeant manentibus subjectis. Sic *causa* essentialiter, ut causa, *causatum* respicit, *accidens subjectum*, &c. Et Deus per essentiam ad creaturas possibiles refertur, et illæ rursus ad Deum. Relationes ejusmodi omnes ordines rerum percurrunt, et idcirco *transcendentales* appellantur. Quæ vero propter fundamentum aliquod ad se referuntur, modo id neutri essentiale sit, accidentales sunt, ut relationes patris et filii, domini & Servi.

17. Hinc sumere licet divisionem rerum in *absolutas* & *respectivas*, seu relatas. Respectivæ sunt, quas jam explicavimus. *Absolutæ* res dicuntur, non quæ omnis penitus relationis ad alias vacuæ sint, (nulla enim est res quæ ad aliquam aliam, sub aliqua ratione, non refertur,) sed quæ sub aliqua ratione ad nullam referuntur. Sic *existens*, et *Unum* termini absoluti sunt. Res enim ut existentes, et unæ, ad nullum referuntur: Deus est absolutus ab omni causa; Substantia absolvitur

a ſubjecto inhæſionis: Chriſtus Salvator ſecundum naturam humanam, eſt ἀπατωρ, ſecundum divinam ἀμητωρ.

CAP. VI.

Unum & unitas, ſingulare & univerſale.

1. DEcimum *attributum* commune eſt *Unitas*, ſeu *eſſe unum*. Unitas eſt, per quam res non eſt plura: adeoque in *negatione pluralitatis* conſiſtit, Differt ab *unione*, quod unio ſolius rei compoſitæ; unitas vero etiam rei ſimpliciſſimæ affectio ſit. Differt *unum* ab *unico*, quod unicum omnia alia ſui ordinis neget: ut *Deus* unicus dicitur, quia nullus eſt alius Deus: et *ſol unicus* dicitur, quia non eſt alius Sol. At unus dicitur *Deus* quatenus ipſe non eſt plures dii; et Sol dicitur unus, quia ipſe non eſt plures ſoles.

2. Unitati opponitur *multitudo*, ſeu pluralitas, quæ *numerus* dicitur. Is autem alius eſt definitus, cujus omnes partes, nempe unitates, aliquo modo deſignantur; ut *binarius*, *ternarius*. Alius *indefinitus*, qui contra:

tra: ut *multi, pauci, aliquot*. Plurimæ aliæ ſunt Numeri diviſiones, quas tradunt Arithmetici.

3. Dividitur unum primo, in *ſingulare* & *univerſale*: et Unitas in *individualem* & *univerſalem*. Singulare dicitur, quod pluribus non ineſt per multiplicationem ſui, adeoque quod vel pluribus non ineſt, vel ſi inſit, non tamen in illis multiplicatur. Sic *Socrates* eſt homo ſingularis, quia nulli ineſt. Et *ſcientia Socratis* ſingularis eſt, quia ſoli Socrati ineſt. Et *Deitas*, licet pluribus perſonis inſit, ſingularis tamen eſt, quia in illis non multiplicatur; ſed una & eadem eſt in omnibus. Singulare aliter *individuum* dicitur, quia dividi nequit in plura ejuſdem nominis & naturæ.

4. Diſtinguitur Individuum primo in *determinatum*, quod *ſignatum*; et *indeterminatum*, ac *Vagum*, quod *particulare* vocatur. Individuum determinatum eſt, quod diſtincte concipitur; ut *Socrates hæc arbor*. Indeterminatum, quod indiſtincte; ut *aliquis*, *quidam*, *nonnullus*. Ubi notandum eſt omne individuum ex ſe et aparte rei, ut loquuntur, eſſe determinatum, et diſtinctum ab omni alio: adeoque individuum indeterminatum eſſe, tantum ratione conceptus, aut ſermonis noſtri. Unde *diſtincte concipere* hic, eſt concipere eſſe hoc aut illud & nullum alliud. *Indiſtincte* vero eſt concipere, eſſe unum aliquod quidem, de quo tamen non conſtat, ſitne hoc, an illud, an aliud.

5. Deinde Individuum aliud eſt *incompletum*; ſcilicet quod incomplete concipitur, aut deſignatur; nempe ſub attributo aliquo communi: (in ſe enim omne individuum eſt completum in ſua ratione & ordine) *v. g.* cum Socrates conſideratur ut *hoc rationale*, *hoc animal*, *hoc vivens*, *hæc ſubſtantia*, *hoc Ens*. Aliud eſt *completum*, quod nomine proprio deſignatur, aut communi reſtricto, totam eſſentiam exprimente; ut *Socrates*, *hic homo*, *hoc animal rationale*: vel nomine communi per Antonomaſiam pro proprio: ut *Philoſophus* pro Ariſtotele, *Apoſtolus gentium* pro Paulo. Vel denique accidente proprio, ut *Everſor regni Perſici* pro Alexandro Macedone.

6. *Univerſale* multis modis dicitur. Aliud enim eſt univerſale in *cauſando*, nempe cauſa multorum effectuum: Sic *Sol* cauſa univerſalis eſt plantarum, quæ illius beneficio e terra oriuntur: Aliud in *ſignificando*, id ſcilicet quod multa ſignificat, ut vox *homo* omnes homines: Aliud in *repreſentando*, nempe conceptus, vel idæa multa repreſentans: ut *idæa hominis*, in mente, omnes homines: Aliud denique in *eſſendo*, quod hic conſiderandum eſt. In reliquis enim acceptionibus, id quod univerſale dicitur, revera eſt, aut eſſe poteſt ſingulare, ut in exemplis datis patet.

7. Eſt

7. Eſt igitur Univerſale ſtricte ſumptum, ſeu in eſſendo, *unum multiplicatum in pluribus*; ſive, *natura in pluribus ſimilis.* Univerſale enim, eſt unum in pluribus, non per ſtrictam identitatem, eo modo quo natura ſolis eſt in his tribus, *lucido, calido* & *orbiculari*, Et *Deitas* in tribus perſonis divinis; ſed per identitatem analogicam, hoc eſt per ſimilitudinem. Quæ enim exacte ſimilia ſunt, unum dici ſolent. Sic natura humana una dicitur in omnibus hominibus, quia omnes omnium hominum naturæ per ſe ſpectatæ, ſimiles ſunt, et idcirco univerſalis vocatur. Duo igitur ad univerſale neceſſaria ſunt, *pluralitas* naturarum, et earundem *unitas*, hoc eſt ſimilitudo eſſentialis. Hinc patet, licet omne univerſale commune ſit, non tamen omne commune eſſe univerſale; ut in ſingulari exemplo Deitatis.

8. Quadrifariam diſtinguitur univerſale in Eſſendo, 1. Ratione *Loci*: ſic Eccleſia chriſtiana, *Catholica*, hoc eſt, univerſalis dicitur, eo quod per plurimas gentes, multis in locis, diffuſa ſit; Et morbi paſſim graſſantes, univerſales vocantur. 2. Ratione *Temporis*: qnomodo conſenſus hominum in agnitione Numinis ſupremi, univerſalis eſt. 3. Ratione *ſubjectorum* univerſale dicitur quod pluribus ſubjectis ineſt. Subjecta receptionis, non attributionis, hic intellige. Sic figura eſt modus univerſalis materiæ, quia omnibus illius

lius partibus divisibilibus inest. 4. Ratione *Inferiorum*, quæ subjecta attributionis sunt. Quomodo *ratio figuræ* in genere, universalis est, ad omnes figuras particulares. Et in hac acceptione plerique Logicorum universale intelligunt.

9. Universalitatem in Essendo, sequitur universalitas in prædicando, ut vocatur, seu *prædicabilitas*; id est, aptitudo affirmandi de pluribus. Ideo enim natura aliqua prædicari potest de pluribus; quia pluribus inest; juxta dictum vulgare, *prædicari sequitur inesse*. Inest autem *pluribus tota* quidem unicuique, verum non secundum *extensionem*, sed secundum *comprehensionem* tantum. Vel, ut alii loquuntur, tota *intensive* singulis subjectis, aut inferioribus inest, non *extensive*.

10. Universalia, adeoque prædicabilia, quinque communiter statuuntur, *Genus*, *Species*, *Differentia*, *Proprium & Accidens*. Ex quibus quatuor priora universalia sunt ratione inferiorum, et illis insunt per identitatem. Universale enim nihil est reale distinctum a suis inferioribus. *Ex. g.* Genus non distinguitur realiter ab omnibus suis speciebus. et sic de reliquis. Quintum vero universale est ratione subjectorum, quibus non per identitatem, sed per inhæsionem, adhæsionem, aut relationem convenit, ut supra de Adjunctis diximus. Quatuor priora sic distingues. *Genus* est unum quid in pluribus speciebus:

Species

Species in pluribus individuis, aut quæ ſolis accidentibus differunt. Differentia, ſi generica ſit, eandem unitatem cum genere; ſi ſpecifica, eandem cum ſpecie ſortitur. Species vero totam aliquam eſſentiam denotat, Genus & Differentia qua talia, partem tantum. Proprium denique eſt differentia ſecunda, adeoque eandem unitatem cum prima obtinet. Atque ad hæc quinque capita, omnia attributa rerum ſimplicia revocantur. Ex his intelliges quid ſit unitas generica & ſpecifica, quæ duæ differentiæ ſunt unitatis univerſalis.

CAP. VII.

Simplex & Compoſitum, Totum & Pars, unum per ſe & per Accidens.

1. SEcundo dividitur Unum in *Simplex*, et *compoſitum*: hoc eſt in rem Simplicem, et compoſitam: et Unitas in unitatem *Simplicitatis*, et *Compoſitionis*. Simplex dicitur, quaſi *ſine plica*, quod pluribus non conſtat;

conſtat; ſive ad cujus conſtitutionem, qua tale eſt, plura non concurrunt. Eſtque aliud *abſolute* ſimplex ut punctum in linea, et ex communi ſententia, omnes ſubſtantiæ immateriales. Aliud *ſecundum quid*, et in certa aliqua ratione, ſic linea ſimplex eſt, ſecundum latitudinem, et ſuperficies ſecundum profunditatem; cum, aliis reſpectibus, utraque compoſita ſit. Simplex etiam dicitur, cujus omnia quæ ipſum conſtituunt, licet plurima ſint, ejuſdem ſunt Speciei, hoc eſt, natura ſimilia; comparate ſcilicet ad illud quod ex heterogeneis conſtat. Ut *ignis*, *aqua*, *aer*, *lux*, *albedo*. Similis autem naturæ eſſe habentur, in quibus nulla differentia apparet.

2. *Compoſitum* dicitur, quod pluribus aliquo modo unitis conſtat. In eo duo conſideranda ſunt, *principia componentia*, quæ inſtar materiæ ſunt, et eorum *unio* quæ veluti forma eſt. Compoſitio enim formaliter, ut modus rerum quæ componuntur, eſt unio aliqua, non autem actio Efficientis per quam plura uniuntur, quæ *unitio* potius, quam Unio dicenda eſt. Eſt igitur Unio modus quidam diſtinctus a rebus unitis, et per diviſionem ab illis ſeparabilis. Omne enim compoſitum diviſibile eſt; vel phyſice & realiter, per realem ſeparationem partium; vel Mathematice, ſeu potius logice, per cogitationem. Cum ſimplicia, in ea ratione qua ſimplicia

plicia ſunt, ne cogitatione quidem dividi poſſint.

3. Tot ſunt ſpecies rerum compoſitarum, quot modis res diverſæ combinari poſſunt. Unde compoſitum aliud eſt *reale*, cum partes componentes realiter diſtinctæ ſunt, et proprie unitæ. Aliud *rationis*, cum partes ſola ratione diſtinguuntur: quarum idcirco Unio non eſt Unio proprie, ſed *identitas*. Deinde compoſitum reale, aliud eſt, cujus partes unione Phyſica cohærent; aliud cum ſola relatione.

4. Unione Phyſica cohærent plures ſubſtantiæ, quæ interdum ſunt ejuſdem ſpeciei; et tum compoſitum *homogeneum* dicitur: ut cum plures guttæ aquæ in vaſe colliguntur, et unum continuum fiunt: interdum diverſæ; et tum compoſitum *heterogeneum* nuncupatur. Sic mens & corpus unum compoſitum faciunt, quod *homo* vocatur. Et varia ſubſtantiarum genera corpus humanum conſtituunt, ut *Caro*, *Sanguis*, *Os*, *Nervus*, *Cartilago*, *Cerebrum*, &c.

5. Sola relatione cohærent, primo, partes compoſitorum, quæ *collectiva* & *aggregata* vocantur. Ex quibus nonnulla habent partes contiguas, non tamen proprie unitas, ut *acervus*, *civitas*: quædam disjunctas quoad locum, ut *Eccleſia*, *Respublica*.

6. Secundo, eodem modo cohærent ſubjectum & modus, et unum compoſitum conſtituunt.

ſtituunt. Nec enim Unio phyſica hic ſtatuenda eſt; quia modus per ſe, non autem mediante alio modo (qualis eſſet unio phyſica,) ſubjectum afficit. Compoſitum iſtiuſmodi pro differentiis modorum ſeu formarum, triplex eſt. *Naturale*, quod a cauſis naturalibus eſt: ut *ignis*, ex Carteſio, eſt compoſitus ex materia in partes valde exiguas diviſa, et motu earum vario, ac ocyſſimo: *Artificiale*, quod ab arte; ut *cathedra* ex materia ſolida, et figura: et *Supernaturale*, cujus forma vel modus eſt donum aliquid ſupernaturale; ut *revelatio*, *fides Chriſtiana*. Compoſitum ab ejuſmodi cauſis diverſis dicitur, cum forma ab illis proficiſcitur, licet ſubjectum aliunde ſit.

7. Compoſitum rationis dicitur, quod ex pluribus ſola ratione diſtinctis quaſi coaleſcit, nempe, attributis, aut rationibus; quorum unio eſt, ut ſupra monuimus, omnium realis identitas. Sic quævis res compoſita eſt ex eſſentia, et exiſtentia, ex genere, et differentia, et reliquis attributis, quæ in comprehenſione illius continentur. Unde compoſitum iſtiuſmodi *logicum* & *metaphyſicum* dicitur.

8. Compoſitum vero ex attributis eſſentialibus, quæ realiter-inadæquate diſtinguuntur, et quibuſvis accidentalibus, partim reale dici poteſt, quatenus ſcilicet attributa illa realiter diſtinguuntur; partim rationis dicendum eſt,

eſt, quatenus non diſtinguuntur, niſi ratione. Sic homo componitur ex *corporeo* & *rationali*. Et Socrates ex *docto* & *probo*: lac ex *albo*, *liquido* & *dulci*. Attributa enim iſta partim ſignificant ea quæ realiter diſtincta ſunt, ut *corporeum* materiam, *rationale* mentem; partim quæ realiter idem; Ut *corporeum* rem materia conſtantem, *rationale* rem, (et eandem quidem,) ratione præditam. Omnia enim attributa ejuſdem rei, directe ſignificant ſubjectum aliquod commune, (quod in attributis accidentalibus maxime apparet.) cujus ratione unum quid efficiunt.

9. Compoſiti cujuſlibet pars aliqua, præſertim forma, aut quæ formæ rationem habet, ſeorſim ſpectata, *Abſtractum* dicitur. Sicut & compoſitum ipſum præſertim illud quod ſubjecto & modo conſtat, *Concretum* appellatur. Et, ſi partes ſubſtantiæ ſint, concretum *ſubſtantiale* dicitur: ſi altera modus ſit, aut privatio, *accidentale* vocatur: Sed minus recte. Poteſt enim una ſubſtantia eſſe accidens alterius. Sic *anima* per ſe conſiderata, abſtractum eſt; *animatum* vero, quod anima & corpore conſtat, concretum. Sic *albedo* & *album*, *cæcitas* & *cæcum*. Quin et eſſentiam rei a re abſtrahimus: ut cum in homine conſideramus præciſe *humanitatem*, in angelo *naturam angelicam*. In illo caſu res conſideratur ut concretum ex eſſentia & accidente, uno aut pluribus. Homo enim præ-

ter

ter humanitatem varia accidentia includit.

10. Supra Cap. 1. Diviſimus res ſimplices in ſubſtantias & modos. Ex his vero quæ proxime dicta ſunt, ſumere licet diviſiones rerum compoſitarum. Quædam enim componuntur ex pluribus ſubſtantiis, quædam ex ſubſtantia & modo, vel modis: quædam denique ex pluribus modis: Ut *forma*, prout pulchritudinem, aut difformitatem, aut medium inter utramque denotat, eſt quid complexum ex figura, ſitu partium, et colore. Exempla reliquorum ſupra dedimus.

11. Compoſitum, dum conſideratur ut omnia continens quæ ad rem, in hac vel illa ratione conſtituendam requiruntur, *totum*, ſeu *integrum* dicitur. *v. g. tota humanitas* omnia illa denotat quæ humanitatem conſtituunt, puta corpus, mentem, et eorum unionem. Huic opponitur *pars*, una, aut plures infra omnes. Nam omnes partes ſimul, cum unione, non differunt a toto. Pars igitur eſt aliquid compoſiti præter unionem: differt tamen totum a compoſito, quod compoſitum toto latius pateat. Nam plures partes totius, infra omnes, cum ſua unione, compoſitum quoddam faciunt: Non tamen ſunt totum illud cujus partes ſunt. Verum quia omne compoſitum, totum quoddam ſub aliqua ratione eſt; (ut pars, quatenus ſuis etiam

partibus conſtat, totum dicitur, *Ex. g.* In corpore humano, *Manus, pes, oculus*) idcirco iiſdem modis dividitur totum, quibus ſupra diviſimus compoſitum.

12. Sed diviſio totius maxime celebris, et cujus maximus in ſcientiis uſus, eſt per quam dividitur in *Univerſale* & *integrale*. Univerſale *totum* dicitur reſpectu inferiorum, et hæc iſtius partes *ſubjectivæ* vocantur; quia in extenſione univerſalis continentur, de quibus affirmatur, non reciproce. Item partes *potentiales*, quia nullum ex illis in comprehenſione univerſalis, ſi ſecundum eſſentiam ſpectetur, actu continetur, ſed tantum potentia. Sic *genus* eſt totum ad ſuas ſpecies; et *Species* totum eſt ad ſua individua. Et genus, puta animal, ſi ſecundum eſſentiam ſpectetur, nec eſt homo, nec beſtia determinate, et actu; ſed tantum alterutrum indeterminate, et potentia utrumque.

13. Totum integrale, ut quibuſdam placet, omnia reliqua tota & compoſita, complectitur. Alii ſtrictius totum integrale accipiunt, pro ejuſmodi toto, cujus non omnes partes ad eſſentiam ipſius conſtituendam neceſſariæ ſunt: ſed quædam ad perfectionem illius accidentalem pertinent. Hinc totum diſtinguunt in *eſſentiale*, cujus omnes partes neceſſariæ ſunt ad rem, prout talis eſt in ſpecie, conſtituendam: Sic *materiam* & *formam* eſſentialem, partes eſſentiales, et totum ex il-

ter humanitatem varia accidentia inclu
dit.

10. Supra Cap. 1. Diviſimus res ſimpli
ces in ſubſtantias & modos. Ex his ver
quæ proxime dicta ſunt, ſumere licet diviſi
ones rerum compoſitarum. Quædam enim
componuntur ex pluribus ſubſtantiis, quæ
dam ex ſubſtantia & modo, vel modis
quædam denique ex pluribus modis: Ut *for
ma*, prout pulchritudinem, aut difformita
tem, aut medium inter utramque denotat
eſt quid complexum ex figura, ſitu partium
et colore. Exempla reliquorum ſupra de
dimus.

11. Compoſitum, dum conſideratur u
omnia continens quæ ad rem, in hac vel illa
ratione conſtituendam requiruntur, *totum*
ſeu *integrum* dicitur. *v. g. tota humanita*
omnia illa denotat quæ humanitatem conſti
tuunt, puta corpus, mentem, et eorum unio
nem. Huic opponitur *pars*, una, aut plu
res infra omnes. Nam omnes partes ſimul
cum unione, non differunt a toto. Pars igi
tur eſt aliquid compoſiti præter unionem: dif
fert tamen totum a compoſito, quod compo
ſitum toto latius pateat. Nam plures partes
totius, infra omnes, cum ſua unione, com
poſitum quoddam faciunt: Non tamen ſunt
totum illud cujus partes ſunt. Verum quia om
ne compoſitum, totum quoddam ſub aliqua
ratione eſt; (ut pars, quatenus ſuis etiam
par-

partibus conſtat, totum dicitur, *Ex. g.* In corpore humano, *Manus, pes, oculus*) idcirco iiſdem modis dividitur totum, quibus ſupra diviſimus compoſitum.

12. Sed diviſio totius maxime celebris, et cujus maximus in ſcientiis uſus, eſt per quam dividitur in *Univerſale* & *integrale*. Univerſale *totum* dicitur reſpectu inferiorum, et hæc iſtius partes *ſubjectivæ* vocantur; quia in extenſione univerſalis continentur, de quibus affirmatur, non reciproce. Item partes *potentiales*, quia nullum ex illis in comprehenſione univerſalis, ſi ſecundum eſſentiam ſpectetur, actu continetur, ſed tantum potentia. Sic *genus* eſt totum ad ſuas ſpecies; et *Species* totum eſt ad ſua individua. Et genus, puta animal, ſi ſecundum eſſentiam ſpectetur, nec eſt homo, nec beſtia determinate, et actu; ſed tantum alterutrum indeterminate, et potentia utrumque.

13. Totum integrale, ut quibuſdam placet, omnia reliqua tota & compoſita, complectitur. Alii ſtrictius totum integrale accipiunt, pro ejuſmodi toto, cujus non omnes partes ad eſſentiam ipſius conſtituendam neceſſariæ ſunt: ſed quædam ad perfectionem illius accidentalem pertinent. Hinc totum diſtinguunt in *eſſentiale*, cujus omnes partes neceſſariæ ſunt ad rem, prout talis eſt in ſpecie, conſtituendam: Sic *materiam* & *formam* eſſentialem, partes eſſentiales, et totum ex illis

ſis conflatum eſſentiale vocant; ut *animal* ex corpore organico & anima ſentiente; *cathedra* ex ligno & figura: Et *integrale*, cujus quædam partes abeſſe poſſunt, ſine interitu totius, ſi ſecundum naturam ſeu eſſentiam ſpectetur: ut *corpus* animalis reſpectu pedis, oculi, auris, &c. quibus ablatis animal non interit, ſed mutilatur.

14. Reſtat tertia diviſio unius in unum *per ſe* & *per accidens*. Unum per ſe, Peripateticis eſt, quod conſtat actu & potentia, hoc eſt, ex materia & forma, vel ex genere & differentia. Unde unum per accidens vocant, quod pluribus entibus in actu, hoc eſt, in ſpecie ſua completis, conſtet. Et ſub eo comprehendunt compoſitum ex ſubjecto & accidente, et aggregatum. Nuperus tamen quidam Scriptor dicit unum per ſe eſſe, cujus omnes partes *per ſe*, hoc eſt, *ſine unione diſtincta* unum quid conficiunt. Et hoc modo ſubſtantiam immaterialem unum per ſe ſtatuit, quam vere extenſam facit. Corpoream vero quamcunque unum per accidens; hoc eſt, per modum Unionis, qui partibus accidit, et per ſeparationem illarum tolli poteſt. Sed hæc res in Phyſiologia diſquirenda eſt.

CAP. VIII.

CAP. VIII.

Verum & Falſum, Bonum & Malum, Perfectum & Imperfectum.

1. *Attributum undecimum* eſt *Veritas*, ſeu *eſſe verum* entitative. Veritas enim alia eſt *Ethica*, quæ, in Sermone, eſt cum quis loquitur ut judicat, aut ſaltem non contra ac judicat; in geſtibus vero, et actionibus, cum ab omni fuco, et dolo malo, alienus eſt. Alia *Logica*, nempe conformitas conceptus & Sermonis ad res; Seu cum quis judicat, et loquitur, prout res eſt; ſive loquatur ut judicat, ſive non. Alia eſt *entitativa*, de qua nunc, ſcilicet, conformitas rei ad nomen & apparentiam ſuam, adeo ut verum ſit, quod non eſt ſolo nomine tenus, aut apparentur tantum, ſed re ipſa, quale dicitur, videtur, aut putatur. Et conſequenter omnia attributa habet, quæ ſignificato nominis ſui debentur.

2. Falſitas, et falſum tot modis dicuntur ac veritas, et verum; nempe *Ethice*, *Logice* & *Entitative*. Falſitas igitur entitativa eſt difformitas rei in eſſendo, ad nomen &

ſpeciem in repreſentando ; ſive carentia naturæ per nomen communiter deſignatæ. Unde falſum eſt, quod ſolo nomine, aut ſpecie, hoc eſt apparenter, non autem reipſa tale eſt. Nec eſſentiam & attributa eſſentialia habet, quæ nomine, quo exprimitur, ſignificari ſolent. *Ex. g. Deus noſter* eſt verus Deus, hoc eſt, habet naturam nomini *Deus* reſpondentem. Sed *Dii Ethnicorum* falſi ſunt, hoc eſt, non ſunt natura dii (ut loquitur Apoſtolus ad *Galat.* 4. 8.) Sed nomine tantum, et opinione erronea. Unde falſum *fallax* dicitur, quatenus ad falſum conceptum, (falſum logice intellige,) menti ingenerandum aptum eſt.

3. Ex his Veri & falſi definitionibus, ſequitur nihil eſſe abſolute falſum entitative: (omne enim ens abſolute verum eſt, hoc eſt, vere id quod eſt ;) ſed tantum aliquod ens, ſub aliqua ratione, falſum eſſe, quatenus ſcilicet videtur eſſe quod non eſt. Sic aurichalcum, licet falſum aurum ſit, eo quod multi, propter ſimilitudinem ad aurum, aurum eſſe exiſtimarunt, verum tamen aurichalcum eſt. Et moneta adulterina verum eſt metallum: falſa autem dicitur, quia non eſt ex materia, ex qua eſſe videtur, vel quia authoritate publica caret. Item propoſitio logice falſa, eſt entitative vera ; quia, licet objectum male repreſentet, veram naturam propoſitionis habet.

4. Diſtin-

4. Diſtinguitur falſum in *fictum* & *apparens*. Fictum vocatur quod concipitur aut dicitur eſſe, quod non eſt: ut cum Pontificii concipiunt, et affirmant Antichriſtum, etiam nunc futurum eſſe. Apparens dicitur, quod videtur eſſe quod non eſt. Ut cum baculus revera integer & rectus, cum pars aliqua illius in aqua, pars extra aquam eſt, fractus aut curvus apparet. Et de vero ac falſo hæc ſufficiant.

5. *Attributum duodecimum* eſt *Bonitas*, ſeu *eſſe* aliqua ratione *bonum*. Eſt autem bonitas convenientia, ſive accommodatio rei ad aliquid aliud, nempe ad illius productionem, conſervationem, conſtitutionem, perfectionem, cognitionem, aut manifeſtationem. Bonum igitur dicitur quod aliquo ex his modis conveniens eſt. Malitia, contra, eſt ineptitudo, aut etiam contrarietas rei ad aliud: et Malum, quod alicui ineptum, incongruum, aut contrárium.

6. Hinc ſequitur omne ens aliquo modo bonum eſſe: et nihil eſſe ſimpliciter malum. Et tantum quaſdam res, ſub aliqua ratione, malas eſſe, quatenus quibuſdam aliis non conveniunt, aut etiam contrariæ, aut nocivæ ſunt.

7. Et ex his notionibus Bonitatis & Malitiæ, quæ primariæ ſunt, ſequuntur aliæ ſecundariæ, nempe, *appetibilitas*, & *averſabilitas*. Omne enim ens, aliqua ratione, ap-

petibile eſt; tum ab appetitu, (ut ita loquar) divino, (Deus enim tum in ſeipſo, qui primum bonum eſt, tum in rebus a ſe creatis, et pendentibus, acquieſcit,) tum ab appetitu creato, præſertim rationali, qui in ens increatum, tanquam ſummum bonum fertur; in bona vero creata, quatenus in Deum tendunt, et ſibi convenientia ſunt. Similiter quædam res averſabiles, ſeu odibiles ſunt; non quidem omnibus aliis, ſed quibuſdam tantum; nec abſolute, ſed ſub aliqua tantum ratione. Quod enim uni malum, alteri bonum eſt: ut venenum homini quidem nocivum, ſerpenti congruum.

8. Quod ad differentias boni attinet, aliud eſt *bonum* tantum *apparenter*, et opinione falſa; aliud *vere* & reipſa. Exempla obvia ſunt. Aliud eſt bonum *naturale*, quod naturam conſtituit, aut conſtitutæ congruit, id eſt, ad eam perficiendam, conſervandam, aut delectandum facit; non tamen præſcribitur faciendum creaturæ rationali, quorum omnium exempla longum eſſet proferre. Aliud *ſupernaturale*, quod naturam ſupra ſortem & conditionem communem evehit: Ut Unio naturæ humanæ cum λόγῳ in Redemptore: vel vires naturæ ſuperat, ut robur *Sampſonis*, fides & charitas in homine lapſo. Aliud eſt *artificioſum*, quod regulis artis conforme, ut Syllogiſmus in modo & figura. Aliud eſt *per ſe* bonum, et propter ſe

expe-

expetibile, quod idcirco *ſummum* bonum dicitur, et finis ultimus. Aliud eſt bonum *propter aliud* (ut omnia media ad finem) quod bonum *utile* dicitur. Aliud eſt bonum *a ſe*, ſeu primum bonum, nempe, Deus: aliud eſt bonum *ab alio*, et per participationem a primo; ſcilicet, quodvis bonum creatum.

9. Eædem ſunt differentiæ mali, niſi quod nullum ſit *ſummum* malum ſimpliciter, licet aliquid ſit maxime alicui malum; ut creaturæ rationali, imagine, gratia, et ſocietate Dei privari, una cum cruciatu conſequente. Nec datur malum proprie ſupernaturale. Omne enim malum, qua tale, eſt præter aut contra naturam, non ſupra.

10. Diſtingui etiam ſolent Bonum & Malum in bonum & malum *abſolute*, ſeu in ſe, et bonum ac malum *alteri*. Sed minus proprie; quia proprie omne bonum & malum dicitur per reſpectum ad aliud. Bonum igitur abſolute & in ſe, idem eſt ac *perfectum*; malum vero, qnod *imperfectum* & defectuoſum. *Perfectum* dicitur cui nihil deeſt, nihil ſupereſt quod redundet. Ut bona & perfecta definitio dicitur, quæ omnia illa & ſola attributa proponit quæ ad rem explicandam neceſſaria ſunt. *Imperfectum* eſt cui aliquid deeſt, aut in quo aliquid ſuperfluum eſt, ut ſi definitio non omnia attributa, ad rei cognitionem neceſſaria, vel etiam quæ minime neceſſaria ſunt, proponat.

11. Perfectum aliud *absolute* & simpliciter tale est, nempe, Deus; cujus idcirco idæa propria est *Ens perfectissimum:* Aliud perfectum est in suo genere, qua ratione omnes creaturæ, in principio, perfectæ & bonæ fuerunt, ut dicitur, *Gen.* cap. 1.

12. Variis modis distinguitur perfectio rei. Alia enim *essentialis* est, cum nihil eorum deest, quod ad essentiam constituendam requiritur: sic humanitas Christi perfecta est. Alia *accidentalis*, cum omnia accidentia adsunt, quæ ad talem rem necessaria sunt, hoc est, quæ essentiam meliorem reddant. Sic scientia, justitia, sanctitas, et beatitudo, perfectiones accidentales sunt creaturæ rationalis. Has enim homo per lapsum amisit, manente perfectione essentiali, per quam homo est. Alia est *Naturalis*, cum res ea omnia habet, quæ ex ordine naturæ ipsi debentur. Alia *supernaturalis*, cum supra ordinem & exigentiam naturæ, res perficitur: ut perfectio fœlicitatis credentium in regno cœlesti. Alia *artificialis*, cum res ea omnia habet, quæ ex præscripto Artis habere debet. Alia denique *Moralis*, cum omnia recta & rationi consentanea sunt, in creatura intelligenti.

13. Perfectio accidentalis, vel est in *quantitate*; cum res ad justam magnitudinum excrevit: vel in *integritate*; cum omnes partes integrantes adsunt; scilicet, etiam

ant illæ quæ ad melius esse rei necessariæ sunt: vel in *gradu*; sic lux in nostro hemisphærio circa meridiem perfecta est. Iisdem fere modis Imperfectio dividitur, et singuli ex oppositis perfectionibus satis intelligi possunt, nisi quod carentia perfectionis quæ stricte supernaturalis est, non sit proprie imperfectio. Res enim perfecta esse intelligitur, in suo quæque ordine, si omnia adsint, quæ, ex lege primæva naturæ suæ adesse debent: nec imperfecta censenda est, quod ea non habeat, quæ ex illa lege indebita sunt.

CAP. IX.

CAP. IX.

Potentia & Actus.

1. *Decimum tertium attributum* commune eſt *habere potentiam aliquam*: *decimum quartum*, *habere aliquem actum.* Licet enim potentia multo latius pateat quam actus, utrumque tamen utrique rerum ordini, ſubſtantiis ſcilicet, et modis, convenit. Quia autem relata ſunt, ſimul explicanda ſunt.

2. *Potentia* in genere, eſt quævis rei *capacitas* ad aliud. Et diſtinguitur primo in *objectivam*, et *entitativam*, ſeu realem. Potentia objectiva, quæ etiam non-Entibus convenit, (unde & a potentia entitativa, ſeu reali diſtinguitur,) eſt, per quam res poteſt eſſe objectum, hoc eſt, terminus actus vitalis, circa quem ſcilicet is exerceri poterit, puta, cognitionis, appetitionis, aut effectionis.

3. *Objectum* multis modis diſtinguitur. Eſt enim aliud *commune* quod plura genera actuum terminat: ut *cibus* olfactum, guſtum, viſum, et tactum: aliud *proprium*, quod Unum, ut odor olfactum, ſonus auditum. Aliud

liud eſt proximum, et immediatum; aliud *remotum* & mediatum: ut in Syllogiſmo, Antecedens proxime & immediate aſſenſum mentis terminat; concluſio remote, et mediante Antecedente. Aliud eſt *totale* ſeu *adæquatum*, totum ſcilicet circa quod actus verſatur: aliud *partiale*, et *inadæquatum*, nempe pars aliqua prioris, ut objectum adæquatum viſus, eſt viſibile, ſeu quicquid videri poteſt; inadæquatum eſt figura, vel color. Aliud eſt *complexum*; ut in diſciplina propoſitiones: aliud *incomplexum*; ut res, et termini ſimplices. Aliud *principale*, aliud *ſecundarium*. Aliud *per ſe*, quod proprie attingitur per actum, aliud per *accidens*, quod attingi dicitur, eo quod aliud attingatur, quod cum eo ex accidenti conjunctum eſt. Sic *figura*, et *color*, ſunt per ſe objecta viſus; ſed corpus animatum, per accidens, quia per accidens eſt, quod corpus animatum tali figura aut colore præditum ſit.

4. Sed diviſio objecti maxime celebrata eſt, in *Materiale* & *Formale*. Objectum materiale eſt res ipſa quæ actum terminat, abſolute ſpectatata: formale eſt ratio reſtricta, ſub qua terminat. *Ex. g.* res quæ vere in ſe ſpectata mala eſt, poteſt eſſe objectum volitionis materiale: ſed qua bona, ſeu ſub ratione boni, ſive veri, ſive apparentis tantum, objectum formale eſt. Alii dicunt objectum formale eſſe, quod per aut propter

ter ſe attingitur ; materiale vero, quod attingitur per & propter aliud ; ſcilicet, per aut propter formale. Unde objectum formale voluntatis finem ſtatuunt ; intellectus diſcurrentis, præmiſſas, ſeu principia : Materiale vero voluntatis eſſe media ; intellectus, concluſiones. Non multum ab hac abludit diviſio objecti in pure *terminativum*, et *motivum* : ut actus amoris erga virum probum, objectum pure terminativum quidem eſt homo ; motivum vero illius probitas, quæ ad amorem movet, et inducit.

5. Potentia objectiva, prout actum efficiendi reſpicit, nihil aliud eſt quam rei poſſibilitas, ſeu producibilitas ; et frequentius generali nomine *terminus*, quam objectum dicitur. Sic alius mundus potentiam habet objectivam exiſtendi ; quia eſt potentia activa, ſcilicet in Deo, quæ eſſe ipſi communicet.

6. *Potentia* realis, ut ab objectiva diſtinguitur, alia *naturalis* eſt, quæ rei ſecundum legem & ordinem naturæ ineſt, et debetur : ut in mente potentia intelligendi, amandi, averſandi ; in animali, potentia ſentiendi, et ſeſe movendi. Alia *ſupernaturalis*, quam res ſupra ordinem & exigentiam naturæ habet : Ut in Sampſone, potentia tollendi portas urbis *Gazæ* : potentia in homine regenito actus ſupernaturaliter bonos exercendi. Alia *præternaturalis*, nempe quæ viribus naturæ acquiritur, et *habitus* dicitur, ut potentia

recte

recte ſcribendi, ſaltandi, &c. Hæc tamen quatenus naturam perficit, naturalis dici poteſt.

7. Deinde quælibet ex his potentiis vel eſt *activa* vel *paſſiva*, vel *mixta* ex utraque. Potentia activa eſt virtus agendi, ſeu efficiendi aliquid; quæ in Creatore infinita eſt, in creatura finita, ſeu limitata. Exempla obvia ſunt. Potentia paſſiva eſt, per quam res apta eſt aliquid recipere; et idcirco *receptiva* vocatur. Talis eſt potentia materiæ ad innumeras formas ac mutationes ſubeundas. Hæc potentia, ſi per eam res apta ſit elevari ad agendum, aut patiendum, ſupra conditionem, et ſortem naturæ ſuæ, *obedientialis* dicitur. Sic in homine eſt potentia receptiva virium ſupernaturalium, ad ea agenda & patienda, quæ facultatem naturæ plane ſuperant. Mixta potentia dicitur, per quam res ita agere apta eſt, ut ſimul aliquid recipiat, nempe rem a ſe effectam. Sic mens noſtra potentiam habet idæas ſeu imagines rerum producendi in ſeipſa, adeoque & eaſdem recipiendi.

8. Denique *potentia*, tum activa, tum paſſiva, alia *proxima* eſt, per quam res immediate poteſt aliquid agere, aut pati; ut homo arte ſaltandi aut Syllogizandi inſtructus, immediate poteſt actus illius artis proprios exercere: et in ſemine eſt potentia proxima, ut ex eo fiat planta: alia eſt *remota*,

per

per quam res, non, nisi mediante aut accedente alio, ad aliquid apta est; ut imperitus saltandi, saltare: terra, ut ex ea fiat planta: ad ista enim necesse est, varias mutationes intervenire.

9. *Actus* hic dicitur, vel quod omnis potentiæ receptivæ expers est, quia jam perfectissimum est: qua ratione Deus dicitur *purus actus*; vel quod potentiam aliquam per se actuat; hoc est, capacitatem aliquam illius replet, et perficit, et distinguitur in *Entitativum*, qui est ipsa rei existentia, potentiæ objectivæ, seu possibilitati respondens: et *Informantem*, qui modus rei, aut quicquid ipsi analogum est. Sic accidens, sive inhærens, sive adhærens, est actus subjecti; differentia essentialis est actus generis, et Una pars compositi aliam actuat per Unionem.

10. Distinguitur etiam actus, in *primum* & *secundum*. Actus primus complectitur potentiam agendi, aut patiendi. Hæc enim, si ad rem absolute spectatam conferatur, præsertim si adventitia fuerit, actus, seu perfectionis rationem habet. Deinde formam rei essentialem primariam; ut in homine, virtutem ratiocinandi. Actus secundus igitur est, actio, vel passio, vel differentia secunda essentialis, vel denique quodlibet accidens superadditum rei. Ut in homine potentia ambulandi, dicitur actus primus; ambulatio ipsa, actus secundus. Potentia migrediuis

gredinis recipiendi in lana, eſt actus primus: nigredo ipſa, ſeu, ut ita dicam, illius *habentia*, eſt actus ſecundus. Ex his vides, quod ad Unum collatum potentia eſt, ad aliud ſi conferatur, eſſe actus. Nota etiam, cum omnis actus potentiæ alicui reſpondet, quot modis diſtribuitur potentia, tot eſſe differentias actuum; et ex illis, quæ de potentiis jam dicta ſunt, facile intelligentur.

CAP. X.

Neceſſarium & Contingens, Signum & Signatum.

1. ATtributum *decimum-quintum* commune eſt *eſſe* aliqua ratione *neceſſarium*: *decimum-ſextum* vero *eſſe* aliqua ratione *contingens*: quæ oppoſita ſunt, et idcirco ſimul explicanda. Eſt autem *neceſſitas*, per quam res non poteſt aliter eſſe; *contingentia* contra. Et neceſſitas idem eſt ac *immutabilitas* quædam; contingentia contra. Eidem rei utraque conveniunt, ſub alia & alia ratione.

one. *Neceſſarium* igitur eſt, quod non poteſt aliter ſe habere; contingens contra.

2. *Neceſſitas* primo, alia eſt *complexa*, quæ in propoſitionibus, aut rebus compoſitis, aut quæ ut compoſitæ ſpectantur, locum obtinet: ſcilicet cum termini, et partes, immutabiliter cohærent. Sic connexio attributorum eſſentialium, tum inter ſe, tum etiam cum ſuis ſubjectis, neceſſaria eſt. Et neceſſario cohærent (neceſſitate naturali) partes Mundi, unumque Syſtema conficiunt. Alia eſt *incomplexa*, quæ extra propoſitionem, aut compoſitionem cernitur. Et hæc rurſus vel *interna* eſt, quando ſcilicet res neceſſario talis eſt, aut tali modo agit aut patitur, propter aliquid ſibi intrinſecum: *Ex. g.* omnes homines *neceſſario* feruntur inid, quod ſibi bonum exiſtimant: vel *externa*, cum res tali modo ſe habet ab extrinſeco: ut cum corpus, propter impulſum, movetur; aut maleficus ad patibulum trahitur.

3. Secundo *Neceſſitas* alia *abſoluta* eſt, qua res ſepoſita omni limitatione, et quavis ſuppoſitione poſſibili facta, nequit aliter ſe habere: ſic Deus neceſſario exiſtit, eique omnes Perfectiones ſuæ conveniunt. Alia eſt *hypothetica*, per quam res neceſſario talis eſt, ex hypotheſi aliqua. Ut ex hypotheſi quod creatura exiſtat, neceſſario ei conveniunt ſua attributa eſſentialia. Sic homo neceſſario eſt animal rationale. Item ex hypotheſi quod

res

res existat, quamdiu existit, necessario existit. Et ex hypothesi quod causa sit in actu, necessario existit aliquis effectus.

4. Tertio, *Necessitas* alia est *Metaphysica*, cum contradictionem implicat rem aliter esse. Qua necessitate, attributa essentialia subjectis suis conveniunt. Alia est *Physica*, seu naturalis, cum licet non implicet contradictionem rem aliter esse, ex ordine tamen naturæ, res aliter esse nequit. Sic necesse est Solem, singulis diebus, nobis occidere, et oriri; ignem urere materiam combustibilem applicatam. Alia est *Moralis*, per quam id quod intelligentia præditum est, hoc vel illo modo affectum, non potest aliter agere. Ut improbus, quamdiu manet improbus, hoc est, stante prava dispositione animi, non potest bene agere. Et vir bonus, quamdiu manet bonus, non potest sciens, et volens, odio habere probitatem. Et ex his gradibus necessitatis, primus maximus est, et nullatenus mutari potest: secundus minor, et impediri potest per mutationem ordinis naturalis, quæ mutatio *Miraculum* dicitur. Ut in fornace Babylonico, ignis tres juvenes non combussit: tertius minimus, et plus contingentiæ conjunctum habet.

5. Quarto, alia est *necessitas* rei *ad esse* alterius. Alia *ad bene esse*. Ut ad esse hominis necessaria est Dei conservatio; ad bene esse, necessaria est Dei gratia. Ad vitam hominis na-

turalem, neceſſarius eſt cibus et potus: ad hoc vero, ut vita illa jucunda ſit, neceſſaria est utriuſque copia, et varietas.

6. Denique alia eſt, *Neceſſitas Conſequentis*, alia *Conſequentiæ*. Prior eſt, cum res quæ ex alia ſequitur & infertur, aliunde necceſſaria eſt. Ut cum arguimus *tanta lux est in noſtro hæmiſpherio, quanta eſſe ſolet tempore diurno*; Ergo, *Sol eſt in noſtro hæmiſpherio*. Non tantum neceſſaria eſt *conſequentia* ſed etiam *conſequens*, idque independenter ab illo antecedente. Non enim pendet ortus ſolis ex lumine in noſtro hæmiſpherio, ſed contra. Poſterior eſt, quando id quod ex alio ſequitur, non eſt neceſſarium, niſi reſpectu illius, ex quo ſequitur, ſeu ex hypotheſi quod illud ponatur, ut licet craſtina diſputatio Petri, ex hypotheſi quod Deus prævideat eum cras diſputaturum, neceſſaria ſit, in ſe tamen, et quatenus a Petro profectura eſt, omnino contingens eſt.

7. Ex his omnibus quæ de neceſſitate diximus, manifeſtum eſt, neceſſitatem reperiri in exiſtentiis rerum, in eſſentiis, in proprietatibus, in operationibus, in dependentia a ſuis cauſis, in connexionibus denique rerum inter ſe, et in conſecutionibus propoſitionum.

8. Præcipua diviſio rerum contingentium eſt, in eas quæ *contingentes ſunt ratione ſubjecti & ratione cauſæ efficientis*. Contingentes rationes ſubjecti ſunt, quæ ita ſuis ſub-

jectis

jectis conveniunt, ut possint iis non convenire; ut homini esse *Geometram*. Contingentes ratione causæ efficientis sunt, quæ ita procedunt ab hac vel illa causa efficiente, ut potuerint ab ea non procedere, aut ab alia procedere. Ut quod bos in campis gramen depascens, nidum lucaris conterat. Ubi notandum est, quædam contingentia esse ratione subjecti, quæ necessaria sunt ratione causæ: ut lunam pati ecclipsin, necessarium est ratione causæ, quæ est interpositio terræ inter Solem & Lunam: Hæc enim quoties contingit, necesse est lunam obscurari. At non necessarium est ratione subjecti; quia luna ex natura sua non exigit ecclipsin pati.

9. *Attributum decimum-septimum* utrique ordini rerum commune est, *esse Signum*: *decimum octavum*, *esse Signatum*; quæ relata sunt, et idcirco simul explicanda. *Signum* est quod aliquid potentiæ cognoscitivæ, intellectivæ scilicet, vel imaginatrici, exhibet. *Signatum* id quod per signum exhibetur. Duo igitur requiruntur ad rationem signi, scilicet, ut ipsum in potentiam cognoscitivam incurrat, hoc est, ab ea percipiatur; et in aliud quoddam cognitionem ducat, non quidem ut causa physica, sed tantum ut causa objectiva, seu moralis, propter connexionem inter utrumque.

10. Formalis ratio signi est *significatio*. Et aptitudo quidem significandi, quæ significatio

in actu primo vocatur, hic intelligenda est Actualis enim significatio signo accidit. *Ex. g.* fumus, ex se, et natura sua, est signum ignis, etiam cum a nemine videtur, nec ignem percipiendum exhibet.

11. Differentiæ signorum præcipuæ sunt quæ sequuntur. Primo, aliud est *Signum naturale*, quod natura sua significat; ut fumus ignem; diluculum matutinum, solem brevi oriturum: aliud *arbitrarium*, seu ex placito, vel instituto, divino, vel humano. Sic Sacramenta sunt signa divinitus instituta beneficiorum spiritualium; voces sunt signa rerum, et cogitationum nostrarum circa res. Ejusmodi signa quandoque similitudinem quandam habent rerum quas designant, ut aqua Baptismi; panis & vinum in S. cæna: quandoque nullam, ut hædera ante tabernam suspensa, vinum venale significat, quæ tamen nullum similitudinem cum eo habet.

12. Secundo, pro differentiis temporis in quibus Signum & Signatum existunt, Signum aliud est μνημονευτικὸν, *commemorativum*, quod rem præteritam in memoriam revocat. Sic Pascha *Israelis* Signum fuit liberationis ex *Ægypto*. Aliud est ἀποδεικτικὸν *demonstrativum*, quod rem præsentem indicat. Ut pulsus velox & inæqualis, Signum est febris. Aliud est προγνωστικὸν, *prænunciativum*, quod rem futuram denotat. Huc pertinent signa *Meteorologica*, et *Physiognomica*. Ut *parasselem*

ſelene eſt Signum tempeſtatis imminentis. Frons latus & erectus, (ut quidam conjectant,) eſt ſignum docti futuri.

13. Tertio, Signum aliud eſt *Materiale*, quod rem indicat quidem, ſed non repreſentat: hoc eſt, non eſt ipſi ſimile: ut extremarum partium in corpore animalis craſities, eſt ſignum roboris. Aliud eſt *Formale*, quod rem ſignatam repreſentat, hoc eſt, ſimilitudinem aliquam illius gerit. Sic veſtigium eſt ſignum pedis; imago, rei depictæ.

14. Quarto, aliud eſt *Neceſſarium*, quod certum indicium ſignati eſt, ut fumus, ignis. Aliud *Contingens*, quod non plane certum. Sic coactio nubium ſignum eſt tempeſtatis futuræ. Prius τεκμήριον Græcis, poſterius εἰκὸς appellatur. Signorum quoad certitudinem magna eſt varietas. Nonnulla enim certitudinem Phyſicam habent, ſcilicet cum naturaliter non poteſt non ſubeſſe ſignatum reſpondens: ut lux diurna certum eſt Signum Solis exorti, licet nubibus tecti; Alia tantum Moralem, quibus plerumque reſpondent ſignata, et idcirco communi æſtimatione pro veris habentur: Ut ſi quis e cubiculo hominis recens occiſi, manu gladium Sanguine tinctum gerens, egredi obſervetur, nec poſſit ſe purgare, nec quiſquam alius ſuſpicioni obnoxius ſit, pro homicida habetur, licet poſſibile ſit, non eſſe. Alia denique ad Summum veriſimilia ſunt; et *præſumptiones* vocantur.

15. Quinto, alia ſunt *ſigna manifeſtiva*, quæ res quidem notificant, nec tamen earum vicem gerunt : ut voces manifeſtant cogitationes, non tamen loco earum ponuntur, ut volunt Logici. Alia ſunt *ſuppoſitiva*, quæ non ſolum res manifeſtant, ſed etiam earum vicariæ ſunt : Sic dicunt voces eſſe Signa rerum.

16. Sexto, alia ſunt pure σημαντικὰ, *ſignificativa*, ut in prioribus exemplis : alia μετα-δοτικὰ, et σφραγιστικὰ, quæ non tantum ſignificant, ſed etiam exhibent, tradunt, et obſignant. Qualia ſunt ſigna Sacramentalia ; et ritus ſolennes fœderum, et contractuum.

17. Denique, ex ſignis alia ſunt *ſenſibilia*, quæ ſemet ipſa ſenſibus, et ea quorum ſigna ſunt, intellectui offerunt. Exempla jam dedimus. Alia ſunt duntaxat *intelligibilia*, quæ ſola mente percipiuntur ; ut cum pii, ex peculiari charitate, quam erga alios pios in ſeipſis percipiunt, per diſcurſum inferunt ſe eſſe in ſtatu gratiæ apud Deum. Et hæc quidem de ſignis, quorum maximus ubique in Scientiis uſus eſt. Signatorum nullæ ſunt differentiæ notabiles, niſi quæ ex diſtributionibus ſignorum, facili negotio intelligi poſſunt.

CAP. XI.

CAP. XI.

Quantitas, Menſura, Finitum & Infinitum.

1. *Attributum commune decimum nonum* eſt *quantitas*, ſeu habere quantitatem aliquam. Hoc enim omnibus rerum generibus convenit, non minus quam reliqua quæ hactenus explicavimus. Conſiſtit autem quantitas in *extenſione* aliqua: quam ſequitur *diviſibilitas*, per quam unum aliquod, in re a reſiduo ſeparari poteſt, vel realiter, aut ſaltem per cogitationem.

2. *Quantitas* in tanta latitudine accepta, alia *realis* eſt, alia *virtualis*. Quantitas realis eſt, cujus partes realiter, aut ſaltem modaliter diſtinguuntur. Eſtque vel *continuationis*, vel *intenſionis*, vel *multitudinis*. Quantitas continuationis, vulgo *continua*, eſt, in qua una pars aliam immediate ſequitur. Eſtque vel permanens, cum omnes partes ſimul tempore ſunt, verum ſingulæ in diverſis locis, et reperitur in omni ſubſtantia extenſa; manifeſte quidem in ſubſtantia Materiali; vel ſucceſſiva, ſeu fluens; qualis in motu, tempore, duratione, et actione continuata cernitur.

tur. Quantitas intenſionis eſt, cujus partes quæ vulgo *gradus* vocantur, ſimul tempore & loco conſiſtunt, ut cum lux magis minuſve vehemens eſt. Quantitas denique multitudinis, vulgo *diſcreta*, quæ *quotitas* potius, niſi reclamaret latinitas, appellanda eſſet, nihil aliud eſt, quam *numerus*. Et diſtinguitur a reliquis modis quantitatis, quod in ea partes non neceſſario cohæreant.

3. Quantitas *virtualis* eſt, cujus partes ſola ratione diſtinguuntur. Aliter quantitas perfectionis dicitur: non quod quantitas realis perfectionem excludat, ſed quod hæc nihil aliud quam perfectionem majorem vel minorem ſignificet. Sic dicimus virtutem activam & paſſivam magnam eſſe, vel parvam Magis autem & minus in illis ſolis reperitur, in quibus quantitas ſeu extenſio aliqua intelligitur. Et quorum minor eſt quantitas realis, eorum quantitas virtualis ſæpe major eſt.

4. *Menſura* eſt quantitas nota, ignotam notificans. Hæc autem nonnunquam major eſt quantitate notificandæ, quæ *menſuratum* dicitur; quandoque minor, quandoque æqualis. Sic Deus, ipſe immenſus, menſura eſt omnium aliarum rerum. Quantitas enim perfectionis cujuſlibet ex his, major minorve eſt, prout ad perfectionem illius, magis minuſve accedit; lex Dei eſt menſura legum humanarum; ulna eſt menſura panni: ponderis

dera rerum gravium; Modius tritici, Sextarius aquæ; ulna probata eſt menſura reliquarum, quæ quoad quantitatem, dubiæ ſunt.

5. Hinc ad rationem menſuræ tria requiruntur. 1. Ut conveniat aliquo modo cum re menſuranda. Unde homo non poſſit eſſe menſura aliorum viventium, materia conſtantium, niſi & ipſe viveret. Et indiviſibile non poteſt eſſe menſura diviſibilium. 2. Ut certæ & fixæ quantitatis ſit, cui quatenus menſura eſt, nihil addi poteſt, aut detrahi. 3. Ut notior ſit re menſuranda.

6. Ratione quantitatis res dicuntur *finitæ* vel *infinitæ*. Res finita eſt, quæ terminis clauditur: infinita quæ terminis non clauditur. *Infinitum* multis modis dicitur. Primo *ratione perfectionis eſſentialis* Sic ſolus Deus infinitus eſt: ſolus enim ille infinitas perfectiones, virtualiter, ſeu eminenter, in unica eſſentia continet: nempe potentiam & ſapientiam infinitam, &c.

7. Deinde ratione accidentium. Et ſic infinitæ ſunt aut concipi poſſunt, primo *ratione extenſionis localis*; ſive ſecundum unam duntaxat dimenſionem, ut linea infinite longa; ſive ſecundum duas tantum; ut ſuperficies infinite ſecundum longitudinem & latitudinem expanſa; ſive ſecundum omnes, ut corpus quaquaverſum extenſum, in longum, latum, et profundum; ut de Mundo fingunt

Carte-

Carteſiani. Secundo *ratione intenſionis*; ut ſi fingamus lucem aut calorem infinitis gradibus vehementem. Tertio *ratione multitudinis*, ut numerus infinitus. Quarto *ratione loci*, ſi res ubique exiſteret. Quinto *ratione durationis:* Sic a parte poſt infinita erit duratio animalium rationalium. Sed infinitum ſecundum extenſionem, intenſionem, multitudinem, ubiquitatem, aut æternitatem a parte ante, nullum eſt creatum, nec eſſe poteſt: et infinitudo omnis generis quæ Deo convenit, ipſi eſſentialis eſt.

8. Porro aliud *actu*, et *poſitive* infinitum eſt: ut divina perfectio. Aliud ſolum *poteſtate*, et *negative*: cum alicui aliquid addi poteſt ſine fine, ita tamen ut nunquam abſolvatur additio, nec res evadat actu infinita. Sic poteſt mens noſtra ſumere unitates, aut numeros finitos, in infinitum: et numerus creaturarum augeri poteſt in infinitum.

CAP. XII.

CAP. XII.

Principium, Cauſa, Materia & Forma.

1. *Attributum* commune *viceſimum*, quod omnium quidem latiſſime patet, hoc eſt, plurima alia ſub ſe comprehendit, eſt *eſſe Originem* ſeu *Principium* alicujus alius. Cui reſpondet *viceſimum primum*, nempe *dependere* aut *eſſe ab alio*, quod principiatum appellatur.

2. Eſt autem *Principium*, ſive *Origo* rei, id a quo res quocunque modo pendet: ſive quicquid ad eſſe ipſius aliquid confert. *Principiatum* vero, quod ab alio quocunque modo pendet; hoc eſt, eſſe ſuum ipſi quocunque modo debet. Hinc diviſio rerum in *dependentes*, et *independentes*. Omnes enim res creatæ dependent a Deo, et quædam ex illis ab aliis. Sicut ſingulæ fere independentes ſunt reſpectu quarundam aliarum: ut Sol non dependet a terra, aut a plantis, ſicut hæ a Sole.

3. Dependet autem unum ex alio, vel *neceſſario*, ſcilicet cum ſine eo eſſe nequit, ut actus rationalis a ſubſtantia intelligente: vel *contingenter*, cum unum accipit quidem aliquid

quid ab alio, quod tamen aliunde habere p
tuit. Sic vita infantis a matre nutriente co
tingenter pendet, quia aliunde conserva
potuit. Deinde pendet unum ab alio vel ſe
cundum *entitatem*, ſeu exiſtentiam, ut mo
a ſubſtantiis; vel ſecundum *operationem*;
cauſa inferior a ſuperiore; vel quoad utrum
que; ut creaturæ activæ a Deo.

4. Varie diſtinguitur principium: Aliu
enim eſt *principium cognoſcendi*, attri
butum ſcilicet vel axioma perſpicuum
rei cognoſcendæ inſerviens. Aliud *eſſend*
quod aliquid confert ad eſſe aliùs præter cog
nitionem. Aliud *intrinſecum* rei, aliud *ex*
trinſecum: aliud principium eſt rei in *fie*
ſeu generationis; ut materia, forma & effi
ciens, quibus Peripatetici adjiciunt privatio
nem. Aliud in *facto eſſe*, conſtituens ſcilicet
vel conſervans: aliud denique *activum*, nem
pe efficiens, ſive agens: aliud *paſſivum*, nem
pe ſubjectum, vel materia in quam agitur.

5. Eſt porro aliquid *principium* alterius
ſeu ad eſſe illiùs aliquid confert, vel *per ſe*
ſeu per ſuam entitatem; vel per actionem
ſeu operationem. Per entitatem rurſus, ve
cum aliud *intrinſece* conſtituit, ut omnes par
tes rei, ex quibus, materia & forma eſſen
tiales vocantur; vel *extrinſece* aliquid con
ferendo. Hoc autem, ſi terminus ſit actus
cognitionis aut appetitionis, *objectum*; ſi
minus, *conditio* vocatur. Quod vero con
fer

fert ad esse alterius per operationem, *efficiens* & *agens* dicitur.

6. Si principium ad esse alterius quidquam conferat, ipsum intrinsece constituendo, aut extrinsece, per actionem, vel ut objectum dirigens, aut excitans, *causa* dicitur. Si nullus ex his modis, *conditio* vocatur. Hinc patet principium latioris significationis esse quam causam, prout vulgo accipitur. Nam conditiones a causis distingui solent, quæ tamen inter principia annumerari debent.

7. Quatuor vulgo statuuntur causarum genera; *Materia*, et *forma*, *efficiens*, et *finis*: ex quibus duæ priores *intrinsecæ* sunt causato; duæ posteriores, *extrinsecæ*. Sed convenientius quæ ad attributum originis spectant, ad quinque vel sex capita referri possunt, scilicet, *Materiam*, *formam*, *efficientem*, *conditionem* et *objectum* directivum ac motivum, sub quo continentur *exemplar*, et *finis*.

8. *Materia* vulgo definitur, causa interna ex qua res est; hoc est, ex qua res fit aut constat. Rectius vero *principium internum commune* pluribus Speciebus vel actu vel potestate. Estque alia *proprie* et stricte dicta, quæ materia *Physica* dicitur, nempe substantia perceptionis expers: ut *lignum* ad Ignem, Mensam, Statuam, &c. Alia *improprie* et per analogiam quandam ad priorem, quæ *Metaphysica* vocatur, rectius vero *Logica* dicta-

diceretur ; ſcilicet, quicquid intrinſece ali conſtituit, modo commune ſit, aut eſſe po pluribus quæ ſpecie differunt. Et ſic latiſ me extenditur, non tantum ad ſubſtanti Spirituales, ſed etiam ad modos, et attrib ta rerum. *Ex. g.* Mens humana eſt mater ex qua fit res docta, pia, ſancta, probi Soni ſunt materia concentûs muſici. Et om nia attributa generica ſunt quaſi materia re rum quarum ſunt attributa ; ut animal hom nis. Ni forte dicas omnia attributa rei e ſſentialia eſſe inſtar materiæ, horum vero co nexionem ſeu identitatem eſſe veluti for mam.

9. Diſtinguitur etiam Materia, in mate riam *in qua*, quæ Subjectum; *ex qua*, qu magis proprie materia, et *circa quam*, qu objectum eſt. Quanquam una et eade materia omnes iſtas rationes ſubire ſolea Nam materia quatenus eſt ſubjectum forma materia *in qua* dicitur ; quatenus cum form aliquid conſtituit, *ex qua* ; quatenus denique eſt in quod agens operatur, formam ipſi in troducendo , *circa quam* vocatur. Hæc e nim ſunt præcipua munera Materiæ, actio nem efficientis recipere, formam ſuſtentare, et cum illa compoſitum conſtituere.

10. *Forma* vulgo definitur *cauſa interna per quam res eſt.* Sed rectius, *principium in ternum materiam afficiens, & ad certam ſpeci em determinans.* Unde cum materia pluribus

ſpecie-

ſpeciebus communis ſit, ut lignum lecto, ſcamno, cathedræ, &c. forma cujuſque ſpeciei propria eſt, et rem quam conſtituit, ab omnibus aliis ſpeciebus diſtinguit. Alia enem eſt figura lecti, alia ſcamni, licet eadem ſit materia, non tantum ſpecie ſed etiam numero; cum ſcilicet, ut fieri ſolet, diverſas formas ſucceſſive induit.

11. Eſt autem *forma* alia *proprie dicta*, nempe, modus aliquis ſubſtantiæ, ſive materialis, ſive ſpiritualis; ut *rotunditas* eſt forma Sphæræ; *Scientia* aut *Juſtitia* mentis. Alia *improprie*; ut una ſubſtantia aliam perficiens, *ex. g.* anima corpus: et in omni ſpecie, differentia. Alia dicitur *interna*, ut habitus in mente; Unio Phyſica in compoſito; alia *externa*, ut in corpore figura, color. Alia eſt *naturalis*, quæ a natura; alia *artificioſa*, quæ ab arte proficiſcitur. Alia *prima* eſt, quæ *eſſentialis* et *ſpecifica* dicitur, ut forma naturalis ligni; alia *ſecunda*, et *adventitia*, quæ *accidentalis* vocatur; ut forma ſtatuæ ligno ſuperinducta Omnis tamen forma accidentalis eſt materiæ, quia extra illius ideam eſſentialem eſt; et eſſentialis compoſito; quia eſſentiam illius, una cum materia, conſtituit: Sic *Albedo* eſt de eſſentia albi, qua album eſt, et *Doctrina* de eſſentia docti.

CAP. XIII.

CAP. XIII.

Cauſa efficiens, Actio; earumque differentiæ.

1. *Efficiens* eſt cauſa externa, quæ *vera actione* cauſat. *Externa* dicitur, non quod ſemper extra effectum ſit quoad locum, ſed quia extra eſſentiam illius eſt; Unde a materia & forma diſtinguitur, quæ eſſentiam compoſiti conſtituunt. Quanquam autem vox *effectus* proprie illud ſignificet quod ab efficiente producitur, ad omnia tamen, quæ ex quavis cauſa oriuntur, applicari ſolet. Ut cum effectus materiæ dicitur formam ſuſcipere, formæ vero materiam perficere, utriuſque ſimul compoſitum conſtituere. Finis denique efficientem inducere ad agendum.

2. Sicut in omni cauſa conſideranda eſt *virtus*, ſeu aptitudo *cauſandi*, et *actualis cauſatio*; ut in materia, aptitudo recipiendi formam, et actualis illius receptio; in forma aptitudo informandi materiam, et actualis illius informatio; in fine aptitudo movendi efficientem, et motus actualis; ita etiam in efficiente, conſideranda ſunt virtus efficiendi, et actualis effectio. Sub virtute autem

effectiva

effectiva continetur tum *potentia* agendi, quæ omnibus causis efficientibus communis est; tum *propensio* ad agendum, quæ in solis illis quæ ex cognitione agunt a potentia agendi distinguitur: *& per* se considerata, causa *progumena* dici solet: Sic *amor* proximi, qui propensio est in illius bonum, causa est cur ipsi benefacimus; *avaritia* est causa furti; *fames* est causa motus animalis ad pabulum. Estque *propensio* illa vel *naturalis*; ut in parentibus erga liberos; vel *adventitia*; & hæc rursus vel supernaturaliter indita a Deo, vel acquisita & attracta, sive bene agendo, sive male.

3. *Effectio* seu *actio*, quæ causalitas efficientis dicitur, *est modus quidam per quem efficiens dat esse effectui*; sive per quem effectus ab ea procedit. Utrumque enim denominat efficientem ut esse dantem; effectum ut accipientem. Est autem actio alia *immanens*, cujus effectus est in ipso agente; ut perceptio, appetitio; alia *transiens*; cujus effectus est extra agens; ut Scriptio, ustio. Actioni immanenti respondet *objectum*; quod ab ea denominatur, ut per cognitionem res dicitur *cognita*, per *volitionem* volita.

4. *Actio transiens* vel est creativa, per quam aliquid producitur ex nihilo, hoc est independenter a materia, seu subjecto præexistente; & est Dei propria: vel *transmutativa*, quæ in subjectum præexistens transit;

ut cum lignum ab igne calefit, aut in flammam convertitur. Unde cum in omni actione reperiantur tria, *agens*, qui actionem exercet, seu edit, *terminus a quo*, qui est non-esse rei antequam producitur, & *terminus ad quem*, qui est ipsa res producta; in transmutativa reperitur quartum, nempe *subjectum* patiens.

5. Actionis transmutativæ sex sunt species. *Generatio*, quæ est productio formæ essentialis, seu specificæ; ut cum ex ligno fit ignis, ex semine planta: *Corruptio*, quæ est formæ istiusmodi destructio; ut cum ignis extinguitur, planta putrescit. *Accretio*, per quam novæ partes adduntur. *Decretio*, per quam quædam partes decedunt. *Alteratio*, per quam forma aliqua, non specifica, acquiritur, aut deperditur; ut cum aer illuminatur, aut obtenebratur. Estque hæc vel *absoluta*, ut cum imperitus fit doctus; vel *gradualis*, ut cum doctus fit doctior. Denique *motus* active Sumptus, (secus enim non est actio, sed passio, seu receptio) qui distinctionis causa *motio* dicetur, est translatio rei ex uno loco in alium. Et hæc quidem de actione.

6. Varie dividitur causa efficiens. Et primo, in *procreantem*, quæ dat primum esse effectui & *conservantem* quæ esse jam datum durare facit. Utrumque præstat Deus circa res creatas. Conservat autem una res creata

ata aliam, vel materiam novam ſuppeditando, qua partes deperditæ reſarciantur; ut nutrix infantem, lac præbendo: vel contrarium expellendo, aut abarcendo; ſic Medicina, et veſtis, corpus, et vitam conſervat.

7. Secundo, Efficiens vel eſt *ſolitaria*, quæ nulla alia concurrente efficit; ut Deus in creatione mundi; Chriſtus in officio Mediatoris præſtando: vel *ſocia*, quæ alia concurrente efficit. Eſtque vel *principalis*, vel *minus principalis*, vel *æqualis*. Efficiens principalis eſt, quæ majorem virtutem exercet; aut modo præſtantiori efficit: *Minus principalis*, quæ contra. Æqualis quæ parem virtutem exercet. Suntque iſtius modi cauſæ nonnunquam *ſubordinatæ*, cum ſcilicet actio unius pendet ab actione alterius: quo caſu efficiens principalis *Superior*, minus principalis *inferior* dicitur. Sic in horologio, cauſæ ſuperiores motus ſunt rotæ majores, ſuprema autem, pondus quod primam rotam circumagit. Quandoque *coordinatæ* ſunt, quando actio unius, ab actione alterius non pendet. Ut cum duo nautæ virtutem parem aut imparem exercentes, navigium e littore pellunt; aut cum plures equi currum trahunt.

8. Sub cauſa minus principali continetur *Inſtrumentum*, quod in ſubſidium adhibetur a cauſa principali, et ab ea movetur. Unde

in virtute illius agere dicitur. Eſtque alia *naturale*; ut in animali, oculus eſt inſtrumentum videndi; Nervi, et Muſculi, motus progreſſivi. Aliud *artificiale*, quod ab artifice uſurpatur; ut malleus, vel ſerra a fabro. Aliud *morale*, nempe, perſona ex imperio aut ſuaſu alterius agens. Sic Miniſtri eccleſiæ ſunt inſtrumenta Chriſti; reipublicæ Magiſtratus politici; nefarii ſunt inſtrumenta Satanæ. Diſtinguunt etiam quidem inſtrumenta, in *activa*; ut gladius in ſecando, penna in Scribendo; et *paſſiva*; ut incus, bilanx. Sed hujuſmodi inſtrumenta cauſæ efficientes proprie non ſunt.

9. Tertio, Efficiens alia *Univoca* dicitur, nempe cujus effectus eſt ejuſdem ſpeciei, ut cum animal generat animal: alia *æquivoca*, quæ contra, ut cum ſol generat animal, muſcam, vermem, apem, ex Materia putri.

10. Quarto, alia eſt *univerſalis*, quæ eodem influxu concurrit ad varia genera effectuum: ut calor ſolis ad aquam in vaporem committendum, lutum indurandum, fructus maturandos, *&c.* Alia *particularis*, cujus influxus ad unum quoddam genus effectuum reſtringitur: ut vis prolifica ſeminis ad productionem viventis.

11. Quinto alia eſt *prima*, et ſuprema; idque vel abſolute, ut Deus; vel *in certo ordine*; ut Adamus reſpectu generis humani.

Alia

Alia eſt *ſecunda*, et *inferior*; ut quævis efficiens creata reſpectu Dei, et omnino omnis efficiens ſubordinata, quatenus eſt talis.

12. Sexto alia eſt *neceſſaria*, quæ ſi virtute ſufficiente inſtructa ſit, et nullum impedimentum interveniat, non poteſt non agere: Sic ignis eſt cauſa neceſſaria combuſtionis, ſi materiæ idoneæ convenienter applicetur. Alia *libera* eſt, quæ ſufficiente virtute inſtructa, et remotis impedimentis, poteſt agere vel non; item poteſt hoc vel illud vel contrarium agere. Ex. g. homo eſt cauſa libera ambulationis, quia etiam cum vires ſuppetunt, pedes ſani, et non ligati, via non impedita, poteſt abſtinere ab ambulando. Unde cauſa neceſſaria determinata eſt ad unum genus effectuum; libera vero indifferens eſt ad plura oppoſita. Quousque autem indifferentia et latitudo illa extendatur, alibi dicendum eſt. Deinde cauſa neceſſaria agit, quandocunque, qnamdiu, et quantum poteſt, ſine moderatione, aut intermiſſione: at cauſa libera agit, quando, quamdiu, et quantum libet, a *libendo* enim *liberum* dicitur.

CAP. XIV.

Cauſa exemplaris, procatarctica, moralis, finis, conditio, generales diſtributiones cauſarum.

1. INter ea quæ ad locum originis ſive cauſarum ſpectant, numeratur, ut ſupra diximus, *objectum* directivum, et motivum. Objectum *directivum* eſt, forma vel ſimulacrum rei, extra agens, cujus intuitu dirigitur ad aliquid faciendum; ut typus ædificii extruendi in chartula deſcriptus. *Exemplar* vulgo et *cauſa exemplaris* dicitur. Dirigit autem exemplar, dum occaſionem præbet agenti, idæam rei faciendæ, in mente formandi. Quanquam ideæ iſtiusmodi ſæpe intus in mente formari ſoleant, nullo exemplari externo dirigente. Ad exemplar etiam pertinent præcepta, et regulæ artium, quæ quandoque exterius in ſignis, nempe vocibus, aut ſcriptis proponuntur a docente; quandoque interius a mente inventoris conſtituuntur.

2. Objectum *motivum* aliud eſt quod aſſenſum aut diſſenſum inducit; ut evidentia veritatis per ſe notæ ad aſſenſum ſui, et concluſionis quæ ex ea ſequitur. Unde principia, ſeu præ-

præmiſſæ in diſcurſu, cauſæ cognitionis vocantur. Aliud eſt quod ad volendum, vel nolendum, appetendum, aut averſandum, et operationes conſequentes inducit. Ut cum res aliqua amorem ſui aut odium parit, ſpem aut fiduciam facit, metum incutit, dolorem aut gaudium adfert. Et hoc eſt quod *cauſa objectiva*, oppoſite ad eam quæ proprie effectiva eſt, vulgo appellatur.

3. Qui objectum iſtiusmodi proponit, quo alius ad aliquod ex his quæ jam diximus, præſertim actionem tranſeuntem induci poterit, *autor* dicitur: ut cum quis alium ad cædem, aut furtum ſuadet. Objectum autem ipſum, quo quis ad agendum movetur, (quanquam motus hîc metaphoricus eſt,) cauſa *procatarctica* vocatur: ad quam ſpectat *qualitas objecti* bona, vel mala, ſive vera, ſive ſolum apparens; *occaſio*, ſeu opportunitas agendi; *meritum*, et demeritum perſonæ, in cujus gratiam, aut contra quam aliquid agitur.

4. Nunc opportunum eſt declarare diviſionem efficientis vulgarem, in phyſicam, et moralem. Quanquam cauſa moralis non ſit proprie efficiens. Cauſa *Phyſica*, ſeu naturalis dicitur, quæ vera actione cauſat: exempla capite ſuperiori plurima dedimus. Cauſa *moralis* proprie eſt, cujus actio eſt in genere morum, adeoque lege honeſtatis regulatur. Unde ſemper eſt perſona aliqua. Complectitur

tur igitur primo, illum qui objecta motiva proponendo ſuadet, aut incitat quomodocunque alium ad aliquem actum, cujus exempla ſectione præcedenti adducta ſunt. Deinde, qui activa naturalia paſſivis applicat: ſic qui ignem ædibus injicit, cauſa moralis eſt incendii. Tertio qui impedit ne proponantur objecta motiva aut directiva; vel ne activa naturalia cum paſſivis congrediantur, cauſa moralis eſt cur non exiſtet effectus, qui alioqui ſequi poſſet. Sic qui curſum Evangelii impediunt, cauſæ ſunt perditionis hominum. Et qui medico prudenti reſiſtunt, ne remedia ægrotanti applicet, cauſæ ſunt, cur æger ſanitatem non recuperat. Quarto, qui non impedit ne motiva proponantur, aut congreſſum agentium et patientium, cum poſſet, et debeat, cauſa effectus cenſetur: ut qui conflagrationem non reſtinguit, aut proximum non defendet et tuetur. Denique, qui objecta non proponit aut activa paſſivis non applicat cum poſſet et debeat, cauſa eſt cur non exiſtit effectus. Ut qui alios curæ ſuæ commiſſos non inſtruunt, hortantur aut admoneant, cauſæ ſunt, cur ignari aut improbi ſint. Et qui neceſſaria ad vitam alterius conſervandum denegat, cauſa eſt cur alter pereat.

5. Improprie et analogice cauſæ morales cenſentur, primo objecta ipſa, quæ dirigunt aut movent; quia ab ejuſmodi cauſis propo-

ni

ni ſolent, et non agunt influxu phyſico. Deinde etiam illa agentia, quæ ratione deſtituuntur, cum caſu objecta motiva proponunt, aut activa & paſſiva inter ſe committunt: Ut cum beſtia focum diſpergendo, occaſionem dat domus comburendi; aut ſegetes depaſcendo, iram in agricola movet.

6. Bonitas objecti, qua movetur agens, vel ſpectatur ut propter quam aliud expetitur, et dicitur *finis*: vel quæ expetenda ſit propter aliud, et *medium* ad finem appellatur. Finis igitur eſt *id cujus gratia aliquid eſt*, ſeu cui acquirendo, aut præſtando aliquid inſervit; et propter quod, aliquid ſuſcipitur aut agitur. *Medium* vero ad finem, quod alteri inſervit, quodque illius gratia eligitur, aut agitur. Ut *Sanitas* eſt finis tum medicamenti ipſius, tum etiam omnium quibus paratur, applicatur, et ſumitur; & hæc omnia ſanitatis media ſunt.

7. Ex mediis ad finem, alia ſunt *neceſſaria*, ſine quibus finis vel abſolute, vel ex hypotheſi aliqua, obtineri nequit; Ut *conſervatio Dei* eſt medium abſolute neceſſarium, ut creatura in eſſe permaneat; *alimentum* eſt medium neceſſarium vitæ naturaliter conſervandæ; *fides* in Chriſtum eſt medium neceſſarium juſtificationis, & Salutis. Alia ſunt contingentia; quæ licet ad finem acquirendum apta ſint, aut etiam ſufficiant, ſine illis tamen, per alia ſcilicet, acquiri poteſt. Sic multa ſunt ciborum

ciborum genera, quæ vitæ quidem ſuſtentandæ utilia ſunt, non tamen neceſſaria. Deinde alia *ſufficiunt* fini acquirendo ; alia minime. Alia ſunt *propria* unius finis ; alia multorum *communia*. Alia ſunt quibus finis certo & neceſſario obtinetur ; alia ſecus. Quorum exempla non vacat proferre.

8. Varie etiam diſtinguitur finis. Primo in *univerſalem*, ad quem omnia abſolute, aut omnia certi ordinis communiter tendunt, aut diriguntur. Sic *Deus* ſeu *gloria* Dei, eſt finis omnium creaturarum ; Et *particularem*, in quem unumquodque agens, Saltem unumquodque genus, tanquam proprium tendit : ut finis particularis, & proprius, ſolis eſt, mundum illuminare, res terreſtres calefacere: & ex ſtudioſis alius medicinam cogitat, alius juris prudentiam, &c.

9. Secundo, alius eſt finis rei *primarius*, qui magis ad agendum movet & præcipue intenditur : alius *ſecundarius*, et acceſſorius, qui contra. Ut in erudione proſequenda, finis primarius uni eſt lucrum ; ſecundarius gloria ; alteri contra ; prout quiſque affectus eſt.

10. Tertio, alius eſt finis *ultimus*, & ſupremus, qui ad ulteriorem non refertur : alius *ſubordinatus* qui contra. Eadem enim res, reſpectu diverſorum, eſt & medium, & finis. Ut ſanitas medium eſt actionis, finis vero medicinæ. Unde, in omni ſerie finium & mediorum, datur *primum* medium, quod

medium

medium duntaxat eſt non autem finis; et finis ultimus, qui tantum finis eſt, non autem medium. Et quo finis ſuperior eſt eo prius intenditur, poſterius acquiritur, et contra. Eſt autem finis ultimus vel *ſimpliciter*; ut Dei gloria finis eſt omnium creaturarum, et omnium actionum humanarum: vel *in aliquo ordine*, ut finis ultimus medicinæ proprius, eſt ſanitatis conſervatio, et reſtitutio.

11. Quarto, *finis* ſpectari poteſt vel ut *intentus*, ſeu in propoſito agentis; vel ut *obtentus*, ſeu in fruitione. Sicut & media conſiderari poſſunt prout eliguntur & prout executioni mandantur. In quibus omnibus hic ordo obſervandus eſt, quod intentio finis præcedat electionem mediorum, electio mediorum executionem, executio denique poſſeſſionem, ſeu adeptionem finis.

12. Reſtat *conditio*, quæ ad aliud aliquid confert, nec tamen intrinſece conſtituendo, ut materia et forma; nec efficiendo, ut efficiens; nec dirigendo, aut excitando ad agendum, ut exemplar, media, finis. Unde *cauſa ſine qua non* appellari ſolet. Omnis enim conditio eſt quiddam neceſſarium ad id cujus conditio eſt. Sic conjunctio localis ignis cum materia, eſt conditio requiſita ad combuſtionem: apertio oculorum et illuſtratio objecti, ſunt conditiones neceſſariæ ad videndum. Eſt autem *conditio* alia *natu-*

ralis

ralis, ut in exemplis jam datis; alia *libera*, ſeu arbitraria; ut in contractibus. Id quod a conditione pendet *condionatum* dicitur, cui opponitur *abſolutum*, ſive quod a conditione liberum eſt.

13. Reſtat porro ut generales quaſdam cauſarum diſtributiones recenſeamus. Et primo alia eſt *cauſa proxima* quæ immediate; alia *remota*, quæ alia mediante cauſat; ut in horologio, rotæ ſupremæ ſunt cauſæ efficientes motûs infimarum remotæ; proximarum vero, proximæ. Finis remotus calami eſt abſenti conceptus patefacere, proximus ſcribere.

14. Deinde alia eſt cauſa *totalis*, ſeu *adæquata*, cum nulla alia, ejuſdem ordinis, ad cauſatum concurrit; alia *particularis*, et inadæquata, cum ſecus: Ut cum *unus equus* currum trahit, eſt cauſa efficiens tractionis totalis; cum *alius* concurrit, partialis tantum. Finis totalis pecuniæ eſt, res ad vitam preſentem neceſſarias, nobismetipſis, aut aliis comparare: partialis eſt comparare cibum, aut veſtem. Materia totalis menſæ, ſunt omnia ligna ex quibus fit; partialis eſt unum vel alterum ex illis.

15. Tertio alia eſt cauſa *per ſe*, quæ ſecundum virtutem nomine ſuo expreſſe ſignificatam cauſat; alia eſt cauſa *per accidens*, quæ ſecundum aliam virtutem, quám quæ nomine ſuo ſignificatur, cauſat. Sic *Muſi-*

cus

cus eſt cauſa efficiens per ſe cantus; *terram parare* ad plantandum, eſt finis per ſe, quem agricola fodiendo intendit. Id quod *combuſtibile* eſt, materia per ſe ignis eſt. Muſicus enim ſecundum artem muſicæ cantat, quæ nomine *Muſicus* expreſſe ſignificatur, et ſic de reliquis. At Muſicus eſt efficiens per accidens ſtatuæ; inventio theſauri eſt finis per accidens foſſionis: Et baculus Diogenis eſt materia per accidens ignis. Muſicus enim non qua muſicus, ſeu per artem muſicæ, ſed qua ſtatuarius, ſive per artem ſtatuariam, ſtatuam efficit, *&c.* Hinc patet cauſam per accidens unius effectus, eſſe cauſam per ſe alterius. Et cauſam per accidens phyſicam, eſſe cauſam per ſe moralem: ut cum quis ex ignorantia culpabili, non tamen ex propoſito, alium vulnerat.

16. Sub cauſis per accidens continentur *caſus*, et *fortuna*. Caſus eſt cauſa per accidens eorum quæ ab agentibus, cognitionis, aut rationis expertibus, fiunt: ut cum tegula e faſtigio domus, cadens, tranſeuntem vulnerat. Caſu enim evenit, quod tegula tunc cadat, cum aliquis tranſit, et viciſſim. Item caſu eſt, quod bos campum pererrans, pabuli quærendi gratia, nidum lucaris conterat. Fortuna eſt cauſa per accidens eorum quæ homini obtingunt: ut cum quis ex morte alterius ditefcit. Vocantur autem caſus et fortuna cauſæ per acci-

dens,

dens, quia præter propenſionem, propoſitum aut conſilium ſuum, cauſant, *v. g.* tegula cadens per ſe tantum propendet in locum inferiorem, non autem tranſeuntem vulnerare, niſi ex accidenti; eo quod is per accidens illam intercipit, et ſic de reliquis. Reſpectu primæ cauſæ, nihil eſt caſuale aut fortuitum: nam præter ſcientiam & conſilium illius, nihil evenit. Sunt igitur caſus et fortuna, providentia divina, nobis ante eventum occulta.

CAP. XV.

Convenientia, Differentia, Oppoſitio; Ordo prioris, poſterioris, et ſimul.

1. *Attributum* commune *viceſimum* ſecundum, eſt *convenire* cum aliquo *viceſimum-tertium* vero, ab alio differre. Convenientia eſt per quam una res eſt ſicut alia: differentia contra, per quam una non eſt ſicut alia. Differt igitur convenientia ab Identitate, quod hæc ſit affectio rei ad ſeipſam comparatæ; illa plurium diſtinctarum: differentia

ſerentia vero a diſtinctione differt, quod hæc nullam diſſimilitudinem neceſſario importet, illa contra. Cum autem omnis convenientia & differentia relatio ſit, adeoque mutua, hinc fit quod res convenientes & differentes, non tantum ſimul, ſed etiam ſeorſim, una ad alteram convenire dicantur, et differre.

2. Quod ad diſtributiones convenientiarum & differentiarum attinet, quædam res prout certis nominibus appellantur, ſolo nomine conveniunt, et *homonyma*, latine *æquivoca* nuncupantur, ut homo *francus* et *gallus gallinaceus*, prout nomine *gallus* ſignificantur; animal latrans, et ſignum illud Zodiaci, quod ſol ingreditur circiter 14 Julii prout nomine *canis* notantur. Quædam voce et re per illam ſignificata; ut homo et beſtia in animali. Similiter quædam ſolis nominibus differunt ut enſis et gladius, quædam re et nominibus ſimul, ut enſis et haſta.

3. Ex illis quæ re et nomine ſimul conveniunt quædam *ſynonyma* vocantur; illa ſcilicet, in quibus ratio per nomen communefignificata eadem eſt, hoc eſt omnino ſimilis; Latini *vnivoca* appellant; ut riſus Socratis & riſus Platonis, in nomine *riſus*, et re ſignificata, plane conveniunt. Alia *analoga* dicuntur, in quibus ſcilicet ratio communi nomine ſignificata, in uno proprie reperitur, in altero vel reliquis Tropice, nempe, per Metaphoram, Metonymiam, aut Syn cd-

chen

chen. Sic conveniunt *riſus* hominis, et amænitas campi, in voce riſus & re ſignificata. Campus enim per metaphoram, propter amænitatem, ridere dicitur. Et *ſanum* non tantum animali tribuitur, quod proprie ſubjectum ſanitatis eſt, ſed etiam cibo, quo ſanitas conſervatur, medicamento, quo reſtituitur ; et urinæ, quo nonnunquam ſignificatur.

4. Convenientia & Differentia in re per vocem ſignificata, vel eſt *realis*, eorum ſcilicet, quæ realiter aut modalitur diſtinguuntur ; vel *rationis* ; cum res ſola ratione diſtinguuntur. Sic Socrates & Plato realiter conveniunt in eo quod uterque fuit Philoſophus, et Ethnicus : Differunt vero, quod hic diſcipulus, ille præceptor fuerit. Sed Socrates ſibi ipſi convenire dicitur convenientia rationis ; quia ſub diverſis rationibus conſideratus idem homo eſt. Ratione differunt attributa rerum ſimplicium eſſentialia, ut virtus intelligendi & volendi in angelo aut mente noſtra.

5. Convenientia et differentia realis, vel eſt in *eſſentiis*, vel in *accidentibus*, vel in *utriſque* ſimul. Convenientia in tota eſſentia, *ſpecifica* dicitur ; ut convenientia omnium hominum in natura humana : in parte tantum, *generica* eſt : ut convenientia hominis & beſtiæ in natura ſenſitiva. Prior igitur eſt omnium individuorum ejuſdem ſpeciei ; poſterior

ſterior, omnium ſpecierum ejusdem generis. Differentia in tota eſſentia, *generica* dici poteſt, nempe rerum quæ (ut dici ſolet,) *toto genere* differunt, quippe in nullo omnino conveniunt, ut perceptibile & imperceptibile; vel in nullo poſitivo ac reali; ut ens & nihil. Differentia in parte eſſentiæ *ſpecifica* dicitur; eſtque differentia diverſarum ſpecierum quarumcunque quæ ſub uno aliquo genere collocantur; ut hominis, beſtiæ, plantæ, lapidis, *&c.*

6. Convenientia & differentia in accidentibus, alia *interna* dicitur, quæ in accidentibus internis eſt; alia *externa* quæ in externis

Convenientia igitur in quantitate continua dicitur *æqualitas*; in diſcreta, *paritas*; in quantitate perfectionis, utroque nomine vocatur. Differentia vero in prima ex his, *inæqualitas*, in ſecunda imparitas; in tertio, utroque nomine dicitur. Convenientia in modis quæ vulgo in Scholis *qualitates* vocantur; ſive ſimplices illi ſint, ſive compoſiti, *ſimilitudo* dicitur, differentia vero, *diſſimilitudo*. Sed tum voces illæ ſtrictæ accipiuntur in aliarum defectu. Latius enim ſimilitudo & diſſimilitudo ſunt, ipſa convenientia & differentia. Convenientia & differentia externa dicitur, quæ eſt in cauſis, effectis, adjunctis externis, circumſtantiis, et omnibus quæ ſub hiſce continentur. Scd ſimilitudo rationum, quarum ſingulæ inter

plura uerſantur, analogia, ſeu convenientia analogica dicitur. Sic ratio 2 ad 4, convenit cum ratione 3 ad 6. Similis enim utrobique eſt, nempe dupla & dimidia. Et ſimilis ratio eſt cibi ſalubris ad corpus, & bonæ eruditionis ad mentem. Item ut gubernator ad navim, tempeſtate urgente, in prudens magiſtratus ad rempublicam periclitantem.

7. Porro res diverſæ ſeu diſcrepantes, quatenus ſibi mutuo repugnant, *oppoſitæ*, et earum repugnantiæ *oppoſitio* vocatur. Quamquam repugnantia, ſub aliqua ratione, etiam in illis, quæ maxime conveniunt, (ſi convenientiam realem & proprie dictam intelligas,) reperiatur. Eſt enim repugnantia rerum, alia *maxima*, alia *media*, alia *minima*. Minima repugnantia, (ut hinc ordiamur) eſt per quam res licet ſimillimæ ſint, repugnant identificari; ut duæ lineæ æquales, duo ova ejuſdem avis. Verum repugnantia iſta inter oppoſitiones non cenſetur. Maxima igitur repugnantia eſt inter illa, quæ conſiſtere nequeunt in rerum natura, adeoque ſimpliciter pugnant, et oppoſita ſunt; nempe inter quamlibet rem et negationem ſui: ut inter hominem, et non hominem. Nihil enim poteſt ſimul eſſe et non eſſe. Oppoſitio iſta, *contradictio*, et oppoſitio contradictoria dicitur, et quæ ſic opponuntur, contradicentia.

8. Media

8. Media repugnantia eſt eorum, quæ circa idem ſubjectum pugnant, cui ſecundum eandem partem ſimul convenire nequeunt. Horum ſi alterum negativum ſit, *privative* oppoſita vocantur; ſic opponuntur res & ejus carentia in Subjecto capaci; ut viſus & cæcitas in oculo; veſtitus et nuditas, in corpore. Si utrumque poſitivum ſit, *contraria*, et oppoſitio, contrarietas dicitur, (quanquam omnia oppoſita nonnunquam contraria vocari ſoleant:) ut inter formas & modos diſſimiles: *ex. g.* inter virtutem, & vitium, albedinem, et nigredinem; ſcientiam et errorem. Et ex his quædam carent omni medio, in ſubjecto cui convenire ſolent; et idcirco contraria *immediata* nuncupantur. Ut in numero paritas, et imparitas; in mente, propenſio ad bonum, et ad malum. Nulla enim mens negative affecta eſt ad utrumque. Alia medium habent, quæ mediata vocantur, ut albedo et nigredo, medios colores admittunt.

Devenimus tandem ad *viceſimum quartum* et ultimum attributum commune, nempe, *ordinem*. Is autem ſemper inter plura eſt, quæ vel ſunt ſimul vel non. Si non ſunt ſimul, vel ſunt duo tantum, et ordo inter illa eſt habitudo *prioris* et *poſterioris*; ; vel plura duobus, et ordo eſt inter *primum*, *medium*, et *ultimum*, ſeu *poſtremum*. *Simul* dicuntur, quorum neutrum, aut nullum eſt prius aut poſterius

sterius. *Primum* est, cui nihil antecedit: sive absolute, ut Deus, sive in aliqua serie, ut Adamus in genere humano. *Prius* vero, cui aliquid consequens est: *posterius*, cui aliquid est antecedens. *Postremum*, cui nihil est consequens. Medium denique quod inter primum & ultimum, aut inter prius & posterius locum obtinet. Quanquam Medium sæpe sumi soleat pro eo, quod ex æquo, distat ab utroque extremo.

10. Pleraque ex his *quinque* modis dicuntur, *tempore*, *natura*, *dispositione*, *dignitate*, & *cognitione*. Prius *tempore* dicitur, quod existit alio non existente, futuro tamen. Sic Plato Aristotele prior fuit, & Socrates Platone. Posterius, quod existere incipit postquam aliud aliquandiu extitit. Simul *tempore* sunt, quæ coexistunt, vel pro toto durationis suæ spatio, vel pro aliqua illius parte. Exempla facile occurrunt.

11 *Prius naturâ* dicitur, quicquid ad aliud requiritur, sive ut causa, sive ut conditio necessaria, sive ut his analogum. Hoc modo priora sunt essentia accidentibus, unitas multitudine, subjectum adjuncto, efficiens effecto, finis mediis, materia forma, & unio composito, partes toto, objecta actibus; distinctio prior est convenientia, differentia, relatione, et oppositione; approximatio agentis ad passum, prior est actione, actio passione; omnia denique attributa essentia-

lia

ſia priora ſunt rebus quarum ſunt attributa. Ex his vero poſtremis quæ communia ſunt priora *quoad exiſtendi conſecutionem* ab Ariſtotele vocantur; quia a rebus ad ejusmodi attributa, valet conſecutio ſed non viciſſim: Sic animal prius eſt homine; quia ſequitur, eſt homo, Ergo eſt animal, ſed non viciſſim. *Poſterius* igitur *natura* eſt ad quod aliud requiritur, ſed non viciſſim: ut in exemplis datis, ſi ea invertas. *Simul natura* ſunt, quorum unum non requiritur ad alterum. Ut duæ ſpecies in participatione ejuſdem generis univoci: vel quæ ad ſe mutuo requiruntur, ut omnia relata, qua talia.

12. *Prius diſpoſitione* eſt, quod priori in loco; *poſterius* quod in poſteriori; *Simul*, quæ in locis collaterabilus ponuntur. Exempla ipſa exquiras. *Prius dignitate* dicitur, quod perfectius, aut præſtantius, *poſterius* quod minus perfectum; *Simul*, quæ perfectione ſunt æqualia.

13. Prius *cognitione*, vel eſt quod de facto prius cognoſcitur, vel quod noſcibilius eſt, ſive *quoad nos*, ſive *in ſe*. Noſcibilius quoad nos tantum eſt, quod pro infirmitate noſtra, prius cognitioni noſtræ occurrit, nempe, quicquid ſenſibus externis, aut etiam experientiæ internæ vicinius eſt. Priora igitur cognitione confuſa & imperfectiori, ſunt effecta cauſis, tota partibus, ſingularia univerſalibus.

ſalibus. In ſe autem noſcibilius dicitur, quod cognitionem perfectam quærenti, prius cognoſcendum eſt; nempe, quicquid natura prius eſt: Sic cognitione priora ſunt cauſæ effectis, partes toto, univerſalia ſingularibus. Ex his patet, quænam cognitione *poſteriora* ſint. *Simul* cognitione ſunt, ex quibus cognitio unius non pendet ex cognitione alterius: ut illa omnia quæ ſimul natura ſunt.

CAP. XVI.

Voces eorumque differentiæ in Logica notandæ.

1. SEquitur ut de vocibus et oratione, quantum inſtitutum logicæ poſtulat, breviter diſſeramus: ea duntaxat ſeligentes, quæ in gramuatica vel prætermiſſa ſunt, aut minus accurate traduntur, aut a tyronibus non ſatis intelliguntur.

2. *Vox* eſt ſonus ex ore animalis prolatus, cum ſenſu, et imaginatione aliqua conjunctus. *Finis* & uſus vocum eſt, vel ut aliquid alteri ſignificetur. quem finem agens ratione præ-

præditum intendit, ſed bruta animantia in eum tendunt per inſtinctum naturalem; ut cum *ovis* agnum abſentem balando quærit, et vocat: vel ut animal ſe delectet; ut aves canendo, vel ut dolorem exprimat; et aliquantum leniat. Unde Ariſtoteles dicit vocem *eſſe jucundi & moleſti ſignificationem.* Vel denique, (quod in ſolo homine locum obtinet,) ut affectum aliquem, aut attentionem majorem in ſe excitet, ut pii in orando.

3. Eſt autem vox, vel *ſignificativa*, vel *non.* De non ſignificativis, nihil attinet dicere. Significativa vox dicitur, vel *remote*, et ſola *aptitudine*; Si ſcilicet ad res aut animi motus indicandos adhiberetur: ut *blictri*, *ſcindapſus.* Hæ enim, et enumeræ iſtiusmodi quæ ab homine formari poſſunt, nihil actu ſignificant; apta tamen ſunt ſignificare, ſi in uſum traherentur. Vel *proximæ*, & *actu*; ſcilicet cum uſus ſignificationem impoſuit.

4. Vox igitur actu ſignificativa, *alia* eſt quæ *affectum* aliquem animi, puta amorem, vel odium, gaudium aut dolorem, admirationem, &c. ſignificat: ut *hinnitus*, *boatus*, *vagitus* infantium, interjectiones omnes, ut *evax*, *ohe*, *papæ.* Alia *conceptum* mentis, ſive cum affectu notabili conjunctum, ſive non. Hujuſmodi autem vocum finis eſt, primarius quidem res extra mentem, ſecundarius vero conceptus mentis indicare. Por-

ro, vox *alia prolata*, quæ proprie vox eſt; alia *Scripta*, quæ ideo vox dicitur, quia eſt ſignum vocis viſibile. Sicut enim voces immediate ſignificant res & conceptus, ita etiam ſcripta immediate voces, ſeu ſonos articûlatos ſignificant.

5. De vocibus igitur articulatis, rerum & conceptuum ſignificativis, quæ in preſenti tractandæ ſunt, *ſecundum præceptum* generale in Logica ſtatuendum eſt, nempe, *ut illæ cum ſuis attributis ad certos ordines ſeu locos revocentur*. Ordines autem illos hic tantum tradimus qui ex diverſitate ſignificandi, non autem quæ a derivatione & inflexione et ejusmodi accidentibus petuntur. Sunt autem præcipue qui ſequuntur.

6. Primô voces aliæ *per ſe* ſignificant, nempe, illæ quæ nomina ſubſtantiva, et pronomina, a grammaticis vocantur. Per ſe autem ſignificant, quia res ſignificatæ, vel ſubſiſtunt per ſe, ut omnes ſubſtantiæ, vel, ſi reipſa in aliis ſubſiſtant, conſiderantur tamen per ſe, ſeu præciſe, non conſideratis illis quibus inſunt; ut omnes modi, et rationes rerum abſtracte conſideratæ; *ex. g. duritiæ, calor, juſtitia, prudentia, unitas, identitas, diſtinctio, relatio, &c.* Aliæ non niſi *aliis adjectæ* ſignificant, quæ idcirco *conſignificare* dicuntur: nempe, illæ, quæ ſignificant res adjacentes qua tales, et qæcunque ut adjacentes a nobis conſiderantur.

7. Ex

7. Ex his rurſus quædam *ſola attributa* rerum ſignificare aptæ ſunt, ut pleraque nomina *adjectiva*, omnia *participia*, et quæ inſignificando his æquipollent; ut præpoſitiones cum nominibus ſubſtantivis, aut pronominibus: ut *bonus, venturus, in loco, a Deo, contra me. Sola attributa* dico, quia nomina Subſtantiva, tum ſubjecta, tum attributa deſignare ſolent, licet ſubjecta frequentius. Aliæ ſubjectorum et attributorum ſignificationem *modificant*; ut *adverbia*, et *conjunctiones*, et nonnulla adjectiva. Ut in his orationibus, *quidam bene audiunt & male vivunt, bene dicere non omnibus datur.* In priori enim, adverbia *bene* & *male* modificant duo attributa, *audiunt*, et *vivunt*, quæ de eodem ſubjecto efferuntur, nempe *homines*, quod ſubintelligitur, et adjectivo quidam modificatur. In poſteriori, adverbium *bene* modificat ſubjectum *dicere*.

8. Aliæ ſolam *identitatem* rerum denotant, ut verbum ſubſtantivum *Sum, es, eſt, &c.* Aliæ diverſitatem, ſeu diſtinctionem, ut omnes notæ negandi; aliæ pluribus ex hiſce officiis ſimul funguntur. Nam verba adjectiva, omnia ſcilicet verba præter ſubſtantiva, attributum illiuſque identitatem cum ſubjecto ſimul ſignificat: ut in hac oratione, *Socrates diſputat*, verbum diſputat ſignificat id quod actionem diſputandi exercet, idem eſſe cum Socrate. Et quædam

nomina

nomina ſubjecta et attributa, una cum modis quibusdam, ſignificant; ut *artifex*, hominem arte præditum; *optimus*, bonum ſupra omnes ſui ordinis. Aliæ denique ſignificant dependentiam et connexionem rerum et propoſitionum; ut *conjunctiones illativæ* et *cauſales*, *quia*, *ideo*, *ergo*, *igitur*, et ſimiles.

9. Secundo, aliæ voces *abſolutæ* dicuntur; illæ ſcilicet, quæ ſubſtantias, aut modos abſtractos ſignificant; ut *luna*, *motus*: aliæ *connotativæ*, quæ res modificatas. Hæ autem directe ſubjectum, ſed confuſe et generatim ſignificant, modum vero, vel formam, ſeu affectionem aliquam, indirecte, diſtincte tamen, et in ſpecie: ſive, ut alii efferunt, *in recto ſubjectum*, *in obliquo formam*: ut juſtus directe ſignificat aliquid juſtitia affectum, ſeu *habens juſtitiam*; ſive illud ſit Deus, ſive angelus, ſive homo: indirecte vero, ſed diſtincte ac in ſpecie *juſtitiam*. Sic etiam *homo* aliquid habens ſenſum et rationem, aut conſtans corpore et mente ſignificat. *Connotare* igitur vox dicitur, cum unum directe ſignificat, aliud indirecte. Directe autem ſignificare eſt, repræſentare aliquid ut per ſe ſtans, indirecte vero, eſt repræſentare aliquid ut alteri adjacens.

10. Tertio, alia eſt vox *communis*, ſeu *appellativa*, quæ rem pluribus communem ſignificat

ſignificat, et omnibus quibus res illa communis eſt, applicari ſolet; ut *ſtella* ſignificat naturam communem omnibus ſtellis. Alia eſt *propria*, quæ rem ſingularem, ſeu individuam: ut *ſol*, *luna*. Vox communis alia *univoca* dicitur, quæ plura ſignificat ut exacte et proprie conveniunt. *v. g.* vox *animal* omnia animalia, in quantum ſenſu prædita ſunt. Alia *analoga*, quæ plura ſignificat, ut improprie conveniunt; *v. g.* *riſus* prout riſum humanum, et amænitatem campi denotat. Unde vox analoga unum *primario*, alterum *Secundario* et propter ſimilitudinem aliquam imperfectam ad alterum ſignificat. Adeoque *abſolute prolata*, *pro primario ſignificato ſumitur*. Alia denique *æquivoca*, ſeu *homonyma* eſt, id eſt ambigua, quæ plura ſignificat, ut omnino diverſa; ut *jus* id quod jubetur, et id quod ſorbetur.

11. Quarto, alia eſt *determinatæ ſignificationis*, quæ audientem certum reddit de re ſignificata: exempla obvia ſunt. Alia *incertæ*, cujus vi audiens certus non eſt, hoc ne an aliud ſignificetur: ut *aliquis*, *quidam*. Huc referendæ ſunt omnes voces homonymæ, et analogæ.

12. Quinto, alia *clare ſignificat*, nempe quæ rem exhibet ut diſtinctam ab omni alia, ut homo, lapis: alia *obſcure* et *confuſe*; ut *ens*, *aliquid*. Ubi notandum eſt, omnem vocem communem obſcure ſignificare,

et quo communior est, eo obscurius : non tamen ambigue, nisi æquivoca aut analoga sit.

13. Denique voces aliæ sunt ejusdem significationis, quæ idcirco *synonymæ* vocantur, ut *homo* et ἄνθρωπος, *ensis* et *gladius*; Alia affinis; ut *justitia*, *justus*, *juste*, quæ paronymæ, et conjugatæ dicuntnr. Aliæ denique alienæ, ut justitia & injustitia.

CAP. XVII.

Variæ acceptiones vocum : Orationis differentiæ.

1. Acceptio vocis. *Suppositio* in Scholis dicta, est varia unius & ejusdem significatio. Accipitur autem vox primo vel *materialiter* pro seipsa, hoc est pro sono, aut pro literis, et syllabis, quibus sonus iste significatur; ut cum dicimus *homo* est vox dissyllaba; *mus* monosyllaba. Et sic accipiuntur in grammatica. Vel *formaliter*, pro significatione, hoc est pro re significata, ut cum dicimus *homo* est capax beatitudinis, *homo* non significat vocem *homo*, sed rem per eam significatam.

2. Vox

2. Vox formaliter ſumpta aliquando *proprie* ſumitur, ſcilicet juxta primam, et uſitatiorem ſignificationem; ut cum *caput* ſuperiorem partem animalis ſignificat. Aliquando *Tropice*, ſeu improprie, cum a prima & uſitata ſignificatione, in novam, et alienam transfertur: ut cum *caput* pro origine fluminis, vel pro gubernatore, vel pro toto homine ſumitur. Sunt autem vocum tranſlationes iſtiusmodi in ſermone humano frequentiſſimæ, ſive propter habitudines rerum ad ſe invicem, ſive propter penuriam vocum, quæ numero longe pauciores ſunt quam res. Quanquam etiam in copia vocum, tranſlationes iſtæ uſurpari ſoleant ad res efficacius, et vividius exprimendas.

3. Tertio, vox communis interdum ſumitur pro eo quod *immediate* ſignificat, nempe, pro natura communi, quatenus communis eſt: et acceptio *ſimplex* dicitur: ut cum dicimus *animal* eſt genus, *homo* eſt ſpecies; *animal* & *homo* ſignificant naturam ſenſitivam, et rationalem, in genere, ſeu abſtractam ab inferioribus. Interdum pro eo quod *mediate*, et remote ſignificat, nempe pro aliquo ex inferioribus, vel omnibus. Quam acceptionem ſcholæ *perſonalem* ſatis improprie appellant: ut in his propoſitionibus, *homo eſt doctus*, *homo eſt mortalis*: in priori enim *homo* ſignificat aliquem

quem hominem, aut aliquot homines : in posteriori significat quemlibet.

4. Acceptio *universalis* pro omnibus inferioribus, alia est *collectiva*, cum vox communis omnia inferiora simul significat, hoc est, prout unum numerum, vel totum constituunt : alia est *distributiva*, cum omnia inferiora, non simul sumpta, sed seorsim, et sigillatim denotat : ut in his propositionibus, *planetæ sunt septem*, *planetæ non scintillant*. Prior enim vera est, de omnibus planetis simul sumptis : posterior de singulis seorsim.

5. Est autem distributio vocis, vel termini communis, alia *completa*, nempe cum pro omnibus inferioribus sine exceptione accipitur ; quæ idcirco, *distributio in singula generum*, omnium scilicet, appellatur : ut cum *omne animal* sentire dicitur. Nullum enim est animal quod non sentit. Alia est *incompleta*, cum pro quibusdam tantum, cujusque generis, aut ordinis, sumitur ; et distributio *in genera singulorum* nuncupatur : ut cum *omne animal* dicitur fuisse in arca Noæ, *omne animal*, omnes species, seu genera animalium denotat, non autem omnia individua.

6. Quarto, *acceptio* vocis alia *lata* est, cum plura ambitu suo continet : alia *stricta*, cum pauciora. Prior *ampliatio* & *extensio*, posterior *restrictio* vocatur. Sic vox *scientia*

entia quandoque, et latiſſima ſignificatione, omnem cognitionem veram denotat; quandoque ſtrictius cognitionem aliunde deductam; quandoque ſtrictiſſime cognitionem ſpeculativam. Et *mundus* ſæpius ſignificat totam collectionem rerum creatarum præſertim materialium; quandoque genus humanum duntaxat; ut cum ſacræ literæ dicunt Chriſtum eſſe ſalvatorem *mundi*. Reſtringitur autem et extenditur ſignificatio vocum, vel per uſum tantum, vel voce una aut pluribus adjectis, vel detractis, quæ latioris aut arctioris ſignificationis ſunt.

7. Quinto, eadem vox nonnunquam *ſignificat* rem prout eſt *de præſenti*; ut cum dicimus domum eſſe humilem aut magnificam. Nonnunquam prout fuit *de præterito*, aut erit *de futuro*: ut cum domus dicitur combuſta aut extruenda, ſenſus eſt, non id quod nunc eſt domus eſſe combuſtum aut extruendum, ſed id quod fuit et erit domus. Et cum homo dicitur mortuus aut naſcendus, intelligendum eſt id quod fuit homo eſſe mortuum, et id quod erit homo eſſe naſcendum.

8. Sexto, voces aliquando *legitime* uſurpantur, ſcilicet in ſenſu communi, quo ſemper loquendum eſt, niſi ratio aliqua obſtet. Aliquando *contra legem*, cum quis pro arbitrio, ex ignorantia, incogitantia, aut conſilio

consilio aliquo bono, vel malo, a communi usu discedit. Sic quidam durationem dividunt in instantaneam et continuatam; cum tamen vox *duratio*, existentiam rei pro tempore divisibili tantum significet.

9. *Oratio* est compositum quid ex pluribus vocibus, diversa significantibus, vel expressis, aut intellectis. Dico *intellectis*, quia sæpe compendii causa, oratio unica voce continetur, alia, aut allis subintellectis: ut in his, *curro*, *curritur*, *pœnitet* : ubi subaudiendæ sunt voces *ego*, *ab illis*, *me*. Estque oratio vel *imperfecta*, quæ mentem audientis suspensam relinquit; ut *homo doctus*, *si vales*, *cum essem Romæ* : vel *perfecta*, quæ contra. Et hæc rursus vel est pure enunciativa, quæ aliquid expresse affirmat aut negat; ut omnis oratio indicativi modi; vel *non* est *pure* enunciativa, sed expresse affectum aliquem animi, implicite vero affirmationem aut negationem denotat: ut orationes interrogantes, admirativæ, præceptivæ, prohibitivæ, petitoriæ, optativæ, et ejusmodi. Ut *quid facis?* expresse significat loquentem cupere cognitionem facti, aut illud reprehendere; sed una affirmat aliquem aliquid facere, et loquentem scire velle quid illud sit, aut factum damnare. *O altitudo sapientiæ Dei*, significat expresse quidem loquentem in sapientiæ Dei admirationem rapi; implicite vero affirmat

affirmat ſapientiam illam eſſe altiſſimam.

10. Utriusque generis oratio, alia *ſimplex* eſt, quæ unum affectum, aut unum judicium mentis, expreſſe ſignificat. Alia *compoſita*, quæ plures affectus aut plura judicia ; de qua infra, ubi de Enunciatione compoſita. Orationis enunciativæ ſimplicis partes ſunt *nomen* et verbum. Licet nomen ſæpe non exprimatur, ut ſupra monuimus. Nomen eſt vox quæ ſolum ſubjectum, vel attributum ſignificat. Verbum autem, aliud ſubſtantivum dicitur, quod ſolum identitatem attributi cum ſubjecto ; aliud adjectivum, quod una cum his attributum aliquod denotat. Ut in his *Socrates eſt doctus*, *Socrates diſputat*, *Socrates* & *doctus* ſunt nomina, quorum prius ſubjectum, poſterius attributum deſignat ; verbum *Eſt* eſt ſubſtantivum, et ſolum denotat doctum convenire Socrati : ſed *diſputat* eſt verbum adjectivum, et ſignificat tum actionem diſputandi, tum etiam illam convenire Socrati, ſeu ab illo præſtari. Sed notandum eſt verbum ſubſtantivum aliquando adjective ſumi, ut cum dicimus *Deus eſt*, hoc eſt, Deus exiſtit, ſeu habet exiſtentiam : aliquando tropice, pro *ſignificat*, *repræſentat*, ut in his orationibus, petra erat Chriſtus, hoc eſt corpus meum ; id eſt *petra ſignificabat Chriſtum*, *hoc eſt ſignum corporis mei*. Et hæc de vocibus et oratione tenuiſſe ſufficiat.

CAP. XVIII.

De Apprehenſione et idæis Simplicibus.

1. TErtium præceptum generale eſt, ut *operationes mentis*, quatenus præceptorum directioni ſubjacent, *et variï illarum modi, ad ſuos ordines revocentur.* Ex his, ut in initio diximus, ordine prima eſt *Simplex Apprehenſio*, per quam aliquid ſimplici modo intuemur, nihil expreſſe et directe de eo ſtatuendo, per affirmationem, aut negationem. Alio nomine *Idæa ſimplex* dicitur ad differentiam idæarum *compoſitarum*, quibus mens *identitatem* aut *diverſitatem* plurium percipit, ut in judicio fit; vel *conſecutiones* propoſitionum, ut in ratiocinatione; vel *ordinem* rerum aut propoſitionum, ut in diſpoſitione mentali. Sed notandum eſt, idæam ſæpe pro objecto conceptus accipi, ut cum dicimus ſubſtantiam percipientem eſſe idæam ſpiritus; ens perfectiſſimum eſſe idæam numinis divini. Unde idæam & conceptum diſtinguunt Logici in *objectivam*, et *formalem*. Prior ipſam mentis operationem, poſterior rem objectam denotat.

2: Idæa

2. Idæa alia est rei sensibilis, quæ *imago* illius in mente dicitur ; ut idæa *trianguli*, aut circuli. Tales Idæas mens nostra dum format, imaginari dicitur ; et quatenus eas formare, aut intueri potest, virtus *imaginatrix* ei tribuitur. Alia est rei quæ sensu percipi nequit, aut non nisi obscure per eum percipitur, quæ imago dici non potest, ut prior. De Deo enim, et perfectionibus divinis, et actibus mentis nostræ ideas formamus, quarum imagines, ut aliarum rerum quas clare per sensum percipimus, non habemus, ut latius in Physiologia declarandum est.

3. Quicquid apprehendimus apprehensione simplici exhibetur menti nostræ, vel ut per se subsistens, vel tanquam alteri adjacens, vel tanquam compositum ex utroque : hoc est apprehenditur, vel ut res, vel ut modus rei, vel ut res modificata: Dico autem *ut* per se subsistens & *ut* alteri adjacens, quia multa percipimus, ad modum subsistentium per se, quæ tamen per se non subsistunt, ut omnes modos physicos substantiarum, et omnes rationes rerum abstractas, qui modi logici dici possent. Multa etiam concipimus instar modorum adjacentium, quæ tamen modi proprie non sunt ; ut substantiam unam aliam afficientem, et differentias essentiales, ut ex iis quæ jam supra diximus manifestum est.

4. Deinde apprehenſio ſeu idæa ſimplex, alia *abſolute* ſimplex eſt, quæ & *incomplexa* dicitur cujus objectum eſt abſolute ſimplex, ſeu ſimpliciſſimum quid, puta unicum rei attributum, ſeu unica aliqua ratio indiviſibilis: ut cum in angelo, aut mente noſtra, concipimus virtutem intelligendi, aut volendi; in ſole, rotunditatem, aut lucem. Alia eſt *complexa*, ſeu compoſita, et ſolum comparate ad judicium & diſcurſum ſimplex dicitur; nempe cum plura apprehenduntur ſine expreſſa affirmatione, aut negatione. Illud autem variis modis fit. 1. Cum una res apprehenditur ſub pluribus ex attributis ſeu rationibus ſuis: ut cum ſol apprehenditur ut *lucidus, rotundus, ſupra terram.* 2. Cum plures res aut modi rerum diſparati, ſimul apprehenduntur: (poteſt enim mens noſtra ad plura ſimul objecta attendere:) ut cum dicimus *Sol et luna, juſtitia et temperantia.* 3. Cum res ut modificata concipitur; ut *homo doctus, poeta qui miſcuit utile dulci.* Et in his omnibus, affirmatio, aut negatio, implicite continetur. Qui enim apprehendit hominem doctum, implicite affirmat aliquem eſſe doctum. 4. Cum de integra propoſitione, aut ratiocinatione, aliquid effertur; ut Chriſtum veniſſe in mundum ad peccatores ſalvandos, eſt ſermo fidelis, et omni acceptione dignus. Ubi totum

hoc,

hoc, *Christum venisse in mundum ad peccatores salvandos*, est objectum apprehensionis complexæ, non autem judicii, nisi implicite. Item si dicas *res hic operatur, ergo hic existit, est bona illatio*, discursus integer, *res hic operatur, Ergo existit*, est objectum apprehensionis complexæ.

5. Apprehensio *rationis*, aut attributi simplicis, non apprehensis reliquis, quæ cum eo conjuncta sunt, *abstractio præcisio*, et *idea abstracta*, seu *præcisa* vocatur. Modus iste apprehendendi mentibus nostris maxime familiaris est. Nec enim res quocunque modo compositas, aliter apprehendere solemus, aut possumus in hac vita, quam per partes, et conceptibus inadæquatis, qui seorsim totam rei perfectionem aut imperfectionem non representant. Nec aliter distinctam & accuratam rerum notitiam comparamus, quam distincte apprehendendo, quæ in re, quocunque modo, distincta sunt. *Fundamentum* autem in objectis hujus operationis mentis nostræ est, distinctio aliqua realis modalis, aut virtualis, seu rationis, sive adæquata, sive inadæquata. Ea enim est mentis nostræ ἀκρίβεια ut nolit pro iisdem sumere, quæ tantillum distincta esse percipit: adeo ut minima distinguendi occasio ad præcisionem sufficiat.

6. Præscindimus igitur, seu astrahimus,

primo *partes integrantes* rei a ſeinvicem; ut cum concipimus animam in homine aut beſtia, corpore non concepto, aut in corpore caput, non attendentes ad pedes. Deinde *ſubjectum* a ſuo modo, aut *modum* a ſubjecto determinato, in quo eſt: (dico autem ſubjecto *determinato*, quia modum concipere non poſſumus, quin alicui ſubjecto indeterminato ineſſe apprehendamus, ſicut nullum relatum concipere poſſumus, quin, ſaltem confuſe, apprehendamus aliquod correlatum ipſi reſpondens:) aut unum *modum* ab alio qui in eodem ſubjecto eſt. Exemplum pone in ſole, ejuſque lumine et figura. Tertio *eſſentias* rerum abſtrahimus ab accidentibus, et viciſſim. Licet accidentia apprehendentes, ſemper apprehendimus confuſe, aliquam eſſentiam, cui accidunt, ut cum apprehendimus *hominem*, quatenus homo eſt; aut *peccatum*, nihil cogitantes de ſubjecto determinato cui ineſt. Quarto, cum e *pluribus attributis* eſſentialibus, quæ realiter una & eadem entitas ſunt, *unum* apprehendimus, reliquis non apprehenſis: ut cum miſericordiam in Deo apprehendimus, non cogitando de illius juſtitia. Denique cum a toto ſingulas partes præſcindimus, ut *animam humanam* ab homine.

7. Tertia diviſio idearum eſt in *univerſales* & *ſingulares*. Univerſales ſunt, quæ plura repreſentant, tanquam unum eſſent, propter

propter convenientiam eorum inter ſe, ſic cum triangulum concipimus, præciſe ut figuram tribus lineis, et totidem angulis conſtantem, formamus communem ideam trianguli, quæ omnibus triangulis poſtea concipiendis inſervit. Ideæ ſingulares ſunt, quæ res ſingulares repreſentant, ſive determinate conceptas; ut *Socratem, hunc triangulum*; ſive indeterminate, ut *aliquem* hominem, *aliquem* triangulum. Comprehenſio et extenſio idearum, quæ præcipue univerſalium affectiones ſunt, ex illis quæ ſupra capite 2. *Sect.* 17. dicta ſunt, ſatis intelliguntur.

8. Sed duæ aliæ affectiones idearum notandæ ſunt, nempe *ampliatio* & *reſtrictio*. Ampliatur idea, vel cum adjicitur ipſi alia idea majoris extenſionis, ut ſi ideæ hominis indefinitæ, adjicias ideam univerſalitatis, *omnis, quilibet*: vel cum pars determinans aut reſtringens aufertur; ut ſi ab ideâ animalis ratione præditi auferas partem poſteriorem. Reſtringitur autem univerſalitas ideæ, adjiciendo aliam ideam minoris extenſionis; ſive determinatam & diſtinctam, ut ſi ideæ genericæ trianguli adjicias, quod *unum ex angulis rectum* habeat, cujus ratione, triangulus *rectangulus* dicitur; ſive indeterminatam; ut, ſi apprehendas aliquem triangulum, idea trianguli reſtringitur ad unam aliquam ſpeciem trianguli, aut unum

individuum, ſed indeterminatum. Duo ſunt additamentorum genera, quorum ideæ ſunt capaces: alterum eſt *explicativum* tantum, ſcilicet, quod diſerte explicat aliquid, quod in comprehenſione ideæ continetur, et in ea latebat. Ut cum dicimus *homo qui ratione præditus eſt, beatitudinis capax, mortalis*, et ejusmodi. Talia additamenta extenſionem ideæ non immutant, ut in datis exemplis patet. Alterum *determinativum* eſt, quod ideæ extenſionem reſtringit: ut cum apprehendimus *corpus pellucidum, hominem ſapientem*, reſtringimus ideam generícam corporis et hominis, ad ſpecies particulares corporis et hominis.

9. Quarta diviſio idearum eſt in *claras* & *obſcuras*. Idea clara eſt, , quæ illud in re menti exhibet per quod ab omnibus aliis diſtinguitur, nempe, differentiam propriam & reciprocam. Obſcura contra, eſt cujus vi non poſſumus diſtinguere rem ab omni alia. Obſcuritas enim a confuſione oritur. Sic idea virtutis ſentiendi obſcura idea hominis eſt, quia non diſtinguit hominem ab omnibus aliis; idea vero virtutis ſentiendi & ratiocinandi ſimul, clara eſt, quia hominem ab omnibus aliis diſtinguit.

10. Quinta diviſio eſt, in *adæquatam* & *inadæquatam*. Idea adæquata eſt, quæ omnia rei attributa eſſentialia exhibet; qualis in mente noſtra forte nulla eſt. Inadæqua-

ta

magitur eſt, quæ partem tantum eſſentiæ rei, ſeu unum vel plura attributa eſſentialia repræſentat, ſed non omnia. Verum quo plura ex attributis propriis repræſentantur, eo perfectior, et magis adæquata idea cenſetur; et quo pauciora, minus perfecta eſt. Perfectiſſima autem ex ideis ſimplicioribus menti noſtræ inſidentibus, illa eſtimatur, quæ genus proximum rei, et primam, ac præcipuam differentiam eſſentialem repræſentat: vel omnes differentias eſſentiales in unum colligit, ut *ens perfectiſſimum* eſt idea Dei maxime adæquata, omnes perfectiones illius complectens. Et *ſubſtantia percipiens* eſt perfectiſſima idea ſpiritus, quia virtualiter & per conſequentiam, omnes virtutes eſſentiales ſpiritus complectitur. Sed *ens immenſum* eſt idea Dei clara quidem, ſed inadæquata; quia non omnes illius perfectiones, per evidentem conſequentiam, ex immenſitate deduci poſſunt.

11. Sexta diviſio idearum eſt in *proprias* & *mutuatitias*, ſeu *alienas*. Idea propria rei dicitur, quæ eam repræſentat abſolute prout in ſe eſt: Mutuatitia vero, quæ eam repræſentat ut ſimilem, aliquo modo alteri, cui tamen in multis diſſimilis eſt. Sic propriam ideam manus hominis habemus, cum eam concipimus, prout per viſum & tactum nobis exhibetur: at cum ideam illam potentiæ divinæ repræſentandæ (ſacris literis præ-

cuntibus)

euntibus) adhibemus, potentia illa per ideam alienam apprehenditur. Nec tamen per ideas mutuatas, res falso apprehendimus; sed tantum obscure, et imperfecte. Nam mens bene dispositа novit rem, quam per istiusmodi ideas apprehendit, non exacte ita esse, prout ideæ illæ eam representant, sed tantum analogiam, seu umbram aliquam illius exhibere.

CAP. XIX.

Propositio objectiva, et formalis, Affirmans, negans et infinita.

1. SEquitur judicium, de quo præceptum generale est, *ut illius genera & affectiones notentur.* Hoc autem ut fiat, perinde est, sive judicia ipsa, quæ in mente existunt, sive signa eorum vocalia, quæ *propositiones* & *enunciationes*, vocantur, notemus. Est autem judicium, conceptus mentis quo unum alteri convenire, aut non convenire agnoscimus, per assensum, scilicet, vel dissensum: ut cum judicamus *solem esse rotundum, lucidum*

dum, &c. Statuimus per assensum, rotunditatem & lumen convenire soli. At cum judicamus solem non esse ejus parvitatis, cujus esse videtur, statuimus per dissensum, parvitatem solis apparentem ipsi vere non convenire.

2. Objectum judicii adæquatum, est, identitas vel diversitas plurium inter se, quæ idcirco propositio *objectiva* vocari solet. *v. g.* identitas solis & rotundi, vel diversitas solis, ac corporis quiescentis. Signum vero est *enunciatio*, nempe, oratio, in qua aliquid de aliquo effertur, hoc est, ipsi convenire aut non convenire significatur.

3. Dividitur propositio primo in *simplicem*, et *compositam*. Simplex, est, in qua unum uni convenire aut non convenire judicatur; ut *stellam esse rotundam*. Composita est, quæ plures propositiones simplices continet, de qua inferius dicetur.

4. In propositione simplici objectiva, quæ mentis judicium terminat, et oratione enunciativa significatur, duo consideranda sunt, *Materia* & *forma*, seu partes, earumque habitudo ad se invicem. Materia seu partes sunt, *subjectum* & *attributum*. Subjectum est cui aliquid convenire, aut non convenire; attributum quod alicui convenire, vel non convenire, concipitur, aut pronunciatur. Forma vel habitudo, est unio vel identitas in propositione affirmata, separatio, vel diversitas, in negata,

gata. Subjectum nominibus ſubſtantivis; attributum, nominibus, aut verbis adjectivis; habitudo utriuſque quandoque in verbo adjectivo includitur, quandoque verbo ſubſtantivo exprimitur. Ut *terra ſtat in medio univerſi*; *ſol non ſtat in medio univerſi*. Ubi *terra* & *ſol* ſunt ſubjecta, *ſtare* in medio univerſi eſt attributum, quod in priori affirmatur de terra, in poſteriori negatur de ſole. In priori, unio ſeu identitas attributi cum ſubjecto, includitur in verbo *ſtat*: in poſteriori diverſitas nota negandi ſignificatur. Sed in his, *terra eſt immota*, *ſol non eſt immotus*, habitudo partium exprimitur in priori per verbum *eſt*, in poſteriori per *non* & verbum *eſt*.

5. In mente igitur, cum judicium exercet, ſemper ſunt ad minimum, tres ideæ ſimplices; una ſubjecti, alia attributi, tertia habitudinis, identitatis ſcilicet, aut diverſitatis eorum inter ſe. Nec enim poſſibile eſt judicare unum eſſe aliud, aut non eſſe, niſi apprehendamus aliquo modo quid ſit illud unum & aliud. Licet non neceſſe ſit ulterius illud apprehendere, quam quantum ſufficit ad eorum unionem aut ſeparationem percipiendam, in quo judicium formaliter conſiſtit. *Ex. g.* judicare non poſſumus *ſolem eſſe rotundum*, niſi percipiamus quid ſit *rotunditas*, et quid *ſol*, et huic illam ineſſe, adeoque id quod habet rotunditatem, quæ eſt idea rotundi, ſoli convenire. Alioqui, cum judi-

camus aliquid alicui convenire, neſciremus quid cui conveniat. Et prius quidem, ordine naturæ apprehenditur ſubjectum, quia illud ſemper concipitur, ut quid per ſe ſtans; deinde attributum quod concipitur ut adjacens; (concipere enim non poſſumus id quod alteri adjacet, niſi prius concipiamus aliquid cui adjaceat:) et tandem agnoſcitur identitas vel diverſitas alterius ad alterum. Sed in oratione, ſubjectum non ſemper priori in loco ponitur, adeoque non ex ſitu, in ordine pronunciandi, ſed ex ſenſu, metiendum eſt. In hac enim enunciatione,

Ruſticus eſt Corydon, nec munera curat Alexis.

Corydon & *Alexis* ſunt ſubjecta: *ruſticus* & *munera ſpernere* ſunt attributa.

6. Secunda diviſio propoſitionis eſt, in *affirmantem* & *negantem*: propoſitio affirmans partes conjungit, hoc eſt, identitatem, ſeu connexionem attributi cum ſubjecto denotat. Negans vero partes dividit; hoc eſt, attributum eſſe diverſum a ſubjecto ſtatuit. Ejus notæ ſunt, *non*, *haud*, *ne*, et ſimiles; illæ autem aliquando exprimuntur; ut in vulgari ſermone patet, aliquando includuntur in aliqua alia voce; ut in notis extenſionis, *nullus*, *nihil*, *nemo*, &c. aut in [illegible]tributo, cum eſt terminus negativus, ut *inviſibilis*, *quieſcens*, *cæcus*; aut in verbo adjectivo, ut *caret*, *deeſt*, &c. Ejuſmodi enim nomina & verba negationes connotant, vel puras, vel privativas

privativas. Sunt igitur propoſitiones ex ejuſmodi terminis, vere negantes, ut per ſe patet.

7. Ut propoſitio ſit negans, perinde eſt, ubinam cadat nota negandi; ſive ante attributum, ſive ante copulam modo totum attributum tollat. Hæ enim propoſitiones eundem ſenſum habent, *non divitiæ faciunt beatum*, et *divitiæ non faciunt beatum*; ſicut & hæ apud poetam.

Non domus, aut fundus, non æris acervus aut auri,
Ægroto domini deduxit corpore febres, non animo curas.

Sed hæc in lingua latina non eſt negans, *divitiæ faciunt non beatum*; quia nota negandi, ponitur ante partem tantum, eamque minus principalem, attributi. Integrum enim attributum eſt, *faciunt beatum*. Similiter & hæ ejuſdem ſenſus ſunt, *ſpiritus eſt inſenſibilis, ſpiritus eſt non ſenſibilis, non ſpiritus eſt ſenſibilis, et ſpiritus non eſt ſenſibilis.* Et in aliis linguis, nominatim in noſtra, negatio ſæpe locatur poſt copulam, ut in hac, *God is not a man, that he ſhould repent.*

8. Hinc intelligas quænam propoſitiones *infinitæ* ſint; illæ ſcilicet, in quibus pars duntaxat ſubjecti aut attributi, eſt terminus negativus, ut *quidam non divites ſunt liberales*,

id

id eſt, quidam homines, qui non ſunt divites, &c. *Quod non percipit eſt materia, vel aliquis illius modus*, id eſt, omnis res, quæ non percipit, *&c.* In quibus pars tantum ſubjecti negatur. Similiter hæc, *planetæ non ſcintillant*, ſi hoc ſenſu accipiatur, *planetæ ſunt non ſcintillantes*, ſubaudi *ſtellæ*, infinita eſt, quia pars tantum attributi negatur. Hinc patet negationem *infinitantem* ut vocant, ſemper cadere ſupra poſteriorem tantum partem ſubjecti aut prædicati. Cum enim negatio ſit *malignæ* (ut aiunt) *naturæ*, ita ut totum deſtruat quod poſt ſe invenit, ſi ſupra partem priorem caderet, propoſitionem plane negantem redderet.

CAP.

CAP XX.

Propoſitio univerſalis, particularis, indefinita & ſingularis. Propoſitionum ſimplicium ſubordinatio, oppoſitio & æquipollentia.

1. TErtia diviſio propoſitionis, ratione quantitatis eſt in *univerſalem particularem, indefinitam,* & *ſingularem.* Quantitas propoſitionis, penes extenſionem ſubjecti, vulgo penſitatur: verum etiam ratione attributi æſtimanda eſt, ut ſtatim apparebit. Propoſitio univerſalis eſt cum ſubjectum, vel attributum, quod ex ſe univerſale eſt, in tota extenſione ſumitur: hoc autem particulis diſtributivis, *omnis, nullus, nihil, quotquot, quisquis, quilibet,* et ſimilibus natori ſolet.

2. Propoſitio univerſalis ratione ſubjecti eſt, cum attributum affirmatur, aut negatur de omnibus quæ in extenſione ſubjecti continentur: ut *omnis impius eſt ſtultus*; *nullus impius eſt beatus.* Ratione attributi vero, cum vel aliqua illius pars complete diſtribuitur, ſive in tota extenſione ſumitur; ut *Deus omnes creaturas conſervat*; *Deus poteſt omnia facere quæ non implicant contradictionem:*

vel

vel cum totum attributum, aut pars illius principalis eſt univerſale collectivum: ut *longitudo, latitudo et profunditas ſunt omnes dimenſiones rei extenſæ; ſubſtantia & modus ſunt omnia entia realia.*

3. Univerſales etiam propoſitiones ſunt, in quibus de toto integrali aliquid effertur, ut *totum corpus humanum morbo obnoxium eſt. Tota humanitas eſt ſubſtantia. Totum* enim, reipſa idem eſt, ac omnes partes. Item ubi pars attributi eſt totum integrale: ut *Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis totius mundi, Deus eſt Dominus & rector univerſi.* Dantur etiam propoſitiones univerſales, ratione loci et temporis: ut *ubique terrarum* ſunt quædam animalia: ultima *ſemper* expectanda dies homini eſt. Denique propoſitiones de magna aut majori parte, univerſales cenſentur, ut cum Apoſtolus queritur, *omnes quæ ſua ſunt quærere paucos ea quæ ſunt Chriſti*, id eſt, pleroſque ſua quærere.

4. Interim tamen omnes propoſitiones, quas univerſales ratione attributi, temporis, aut loci, vocamus, ad formam earum quæ univerſales ſunt ratione ſubjecti, revocari poſſunt. Hæ enim, *Deus omnes creaturas conſervat*; *ſubſtantia & modus ſunt omnia entia*; *Deus eſt rector univerſi*; *ubique terrarum ſunt* quædam animalia; *ſol ſemper currit*; Sic reduci poſſunt; *omnes creaturæ conſervantur a Deo*; *omne ens vel eſt ſubſtantia vel modus*;

dus; *quicquid continetur in universo regitur a Deo*; *omnis locus in terra quædam* animalia continet; *omnis pars temporis cursui solis coexistit*, et sic de reliquis.

5. Distributio tum subjecti, tum attributi, alia est plane completa, cum omnia inferiora termini universalis, tam species, quam individua notantur; quæ distributio in *singula* generum dicitur; ut in exemplis proxime adductis. Alia non omnino completa, scilicet, cum omnes tantum species, et ordines, hoc est, quædam individua singularum specierum, aut ordinum, designantur; ut cum Christus dixit, si sublatus fuero, *omnes homines* ad me traham, aliquos omnium gentium, omnis ordinis intellexit: siquidem aliunde manifestum est, cum non omnia individua humana ad se trahere.

6. Propositio particularis est, cum subjectum vel attributum universale, ad partem aliquam indeterminatam suæ extensionis, puta ad unam vel plures species, aut individua indeterminata, restringitur: ejus notæ sunt, *aliquis*, *quidam*, *nonnullus*, *aliquot*: ut *quoddam animal est rationale*, *quidam homines sunt docti*, *quidam rudes*; *multi sunt vocati*, *pauci electi*; *vult Deus quosdam dominos esse*, *alios esse servos*. Sunt etiam propositiones particulares ratione loci et temporis: ut *alicubi gentium*, *homines nascuntur nigri*. *Quondam*

—— Quondam citharæ tacentem
ſuſcitat muſam, neque ſemper arcum
tendit Apollo.

7. Propoſitio ſingularis eſt in qua ſubjectum aut prædicatum, aut pars aliqua prædicati eſt ſingulare determinatum, unum aut plura. Ut *Socrates non fuit avarus: tu homo me adigis ad inſaniam. Hi tres homines ſunt philoſophi: Græci imperium perſicum deleverunt.* Vel ubi ſubjectum, vel attributum, ſunt omnia aut plura certi ordinis, ut unum conſtituunt: ut *omnia membra corporis humani, ſunt unum corpus: omnes planetæ ſunt ſeptem.* Τὰ τρία πάντα; *tria ſunt omnia*; id eſt, tres dimenſiones ſunt omnes, vel omnes dimenſiones ſunt tres. Hic enim *omnia* & *omnes* unum collectivum determinatum ſignificant, quod vel ſingulare ſtricte eſt, aut ejuſdem cum eo rationis, quoad formam propoſitionis.

8. Propoſitio indefinita eſt, ubi termini ſumuntur præciſe ſecundum naturas ſuas, nulla extenſionis, aut reſtrictionis mentione facta: ut *animal eſt genus*; id eſt natura communis pluribus, quæ eſſentiis differunt: *homo eſt ſpecies*; id eſt natura communis pluribus, quæ ſolis accidentibus differunt. Propoſitiones enim iſtiuſmodi, nec univerſales ſunt, nec particulares, nec ſingulares.

Siquidem, nec omne animal eſt genus ad hominem & beſtiam; nec quoddam indeterminatum, multo minus, ullum determinatum. Sic cum dicimus *Socrates eſt homo*, et quotieſcunque attributum, nulla extenſionis, aut reſtrictionis nota afficitur, propoſitio indefinita eſt ratione attributi. Senſus enim hujus propoſitionis, nec eſt Socratem eſſe *omnem hominem*, nec etiam eſſe aliquem indeterminate, nec denique eſſe hunc hominem ſingularem, (licet hæc duo poſterior in ſe vera ſint) ſed tantum Socratem conſtare mente & corpore, aut habere naturam humanam.

9. Antequam reliquas ſpecies propoſitionum trademus, tres explicandæ ſunt affectiones quæ propoſitionibus ſimplicibus præcipue conveniunt, ex quarum cognitione pendet intelligentia quorundam quæ de reliquis dicenda ſunt, nempe, *Subordinatio*, *Oppoſitio*, et *æquipollentia*. Subordinatio propoſitionum eſt comprehenſio unius in alia, puta particularis & ſingularis in univerſali; minus univerſalis in ea quæ univerſalior eſt; et particularis minoris extenſionis in particulari majoris. Ex quibus illa quæ latius patet *continens*, quæ minus late, *contenta* dicitur. Ut huic, *omne animal eſt mortale*, ſubordinantur hæ, *omnis beſtia eſt mortalis*, *principes terreni ſunt mortales*, *Rex Britanniæ eſt mortalis*. Et huic, *plerique homines*

mines ſunt mali, ſubordinatur hæc, quidam homines ſunt mali. Notandum hic eſt propoſitionem ſingularem ſoli univerſali ſtricte dictæ ſubordinari, non autem particulari, etiamſi hæc majoris extenſionis ſit. Si enim propoſitio majoris extenſionis, non complectatur omnia ſingularia ejus ordinis, de quo propoſitio ſingularis pronunciat, fieri poteſt ut eam non comprehendat. Unde in hac, *multi ex hominibus ſunt improbi*, non continetur, *hic homo eſt improbus*. Secus vero ſe res habet de particulari, quia in omnibus aut multis, neceſſe eſt aliquem indeterminate contineri.

10. Oppoſitio eſt propoſitionum pugna. Pugnant autem illæ, quarum una affirmat, altera negat idem attributum de eodem ſubjecto. Ut *Socrates fuit vere probus*, *Socrates non fuit vere probus*. Ut autem vera ſit oppoſitio, requiritur ut termini eodem modo ſignificent, et idem tempus intelligatur, tum in affirmante, tum in negante. Et primo quidem, ſi res ex pluribus naturis aut partibus compoſitas denotent, requiritur ut eadem natura, vel pars utrobique intelligatur. Deinde ſi relativi ſint, et plures terminos reſpiciant, intelligendi ſunt reſpectu ejuſdem. Unde hæ non ſunt vere oppoſitæ, *Chriſtus eſt ubique*, *Chriſtus non eſt ubique*, niſi utrobique intelligas eandem naturam, puta, vel divinam, vel humanam.

Sicut nec hæ *Philippus Macedo fuit pater*, *Philippus Macedo non fuit pater*, niſi, patrem ejuſdem intelligas. Nec denique hæ, *Socrates ambulat*, *Socrates non ambulat*, ſi diverſa tempora intelligantur.

11. Propoſitionum oppoſitarum tria ſunt genera, *contradictoriæ*, *contrariæ* & *ſubcontrariæ*. Contradictoriæ ſunt, quarum una ſemper eſt vera, altera ſemper falſa, ſeu quæ nequeunt eſſe ſimul veræ aut falſæ. De quibus ſequentes regulæ tenendæ ſunt.

12. Regula 1. *Propoſitioni univerſali ratione ſubjecti, ſi affirmans ſit, contradicitur, per negantem minoris extenſionis*; ſcil. per particularem, ſingularem, aut univerſalem, cujus ſubjectum continetur ſub ſubjecto affirmantis: ut *omnis homo eſt juſtus*, *aliquis homo non eſt juſtus*, *Nero non eſt juſtus*, *nullus avarus eſt juſtus*. *Si vero negans fuerit*, contradicitur ipſi *per affirmantem minoris extenſionis*: ut *nullus homo eſt juſtus*, *aliquis homo eſt juſtus*, *Ariſtides eſt juſtus*, *omnis pius eſt juſtus*. Sicut enim ſublata unica unitate, non manet idem numerus cujus unitas illa pars fuit, ita etiam ad negandum contradictorie, ſufficit minimam partem de affirmante tollere; et ad affirmandum ſufficit minimam partem negantis ponere, tunc enim altera idem ponit quod altera tollit.

13. Reg. 2. *Propoſitioni univerſali ratione attributi, contradicitur, negando aut affirmando*

mando copulam, et quæ ſpectato ſenſu, *eam ſequuntur : ut Chriſtus mortuus eſt cum propoſito redimendi omnes homines, Chriſtus non mortuus eſt cum propoſito redimendi omnes homines.* Univerſali vero ratione loci aut temporis, affirmanti quidem, negando univerſalitatem temporis, aut loci ; neganti vero, affirmando tempus, aut locum particularem, ſingularem, aut minus univerſalem : ut *ſol ſemper ab initio creationis cucurrit, ſol non ſemper ab initio creationis cucurrit :* vel *ſol aliquando ſtetit. Ubique in terra ſunt veri Dei cultores ; non ubique in terris ſunt veri Dei cultores,* vel *alicubi in terris non ſunt &c.*

14, Reg. 3. *Particulari affirmanti contradicitur, per univerſalem negantem* : Ut *aliquis homo in terris degens eſt immortalis, nullus homo in terris degens eſt immortalis : alicubi terrarum ſunt homines perfecte ſancti, nullibi terrarum ſunt homines perfecte ſancti.* Cum enim particularis affirmans ponat unum indeterminate, tolli non poteſt certo & neceſſario unum illud niſi negetur totum. *Particulari vero neganti contradices, per univerſalem affirmantem.* Quia enim in illa incertum eſt, quænam pars negatur, affirmari certo illa nequit, niſi affirmando totum, ut *aliquis homo non eſt peccator ; omnis homo eſt peccator ; alicubi terrarum ſol nunquam conſpicitur, ubique terrarum ſol aliquando conſpicitur.*

15. Reg. 4. *Singulari affirmanti contradices, negando copulam, negantì, affirmando.* Ut *Plato fuit Deo acceptus*; *Plato non fuit Deo acceptus. Mater Chriſti fuit ſemper virgo, immunis a peccato*, &c. ut aiunt Pontificii: *Mater Chriſti non fuit ſemper virgo, non fuit immunis a peccato.* Sed non neceſſe eſt, ut in particulari, univerſalem oppoſitam adhibere, quia pars affirmata aut negata, determinata & certa eſt. Eodem modo contradicitur indefinitæ ratione ſubjecti. Ut *homo eſt ſpecies animalis, homo non eſt ſpecies animalis.*

16. Reg. 5. generalis eſt, *cuivis propoſitioni affirmanti contradicitur, ponendo notam negandi ante notam quantitatis ſi ſit, aut ſi non ſit, ante copulam aut verbum in quo includitur.* Ut *omnis homo eſt doctus, non omnis homo eſt doctus: aliquis homo eſt doctus, non aliquis homo eſt doctus: negantì* vero *tollendo copulam.* Non autem contradicitur particulari, ponendo notam negandi immediate ante verbum. Non enim contradicentes ſunt, *aliquis homo eſt juſtus, aliquis homo non eſt juſtus.* Quia fieri poteſt ut *aliquis*, cum ſingulare indeterminatum ſignificet, pro uno in una, et pro alio in altera accipiatur.

17. Contrariæ ſunt propoſitiones quæ, cum eodem ſubjecto & attributo conſiſtent, non poſſunt eſſe ſimul veræ, poſſunt tamen eſſe ſimul falſæ. Tales ſunt duæ univerſa-

les,

les, quarum altera affirmat, altera negat: ut *omnis homo eſt juſtus*, *nullus homo eſt juſtus*. *Romani omnes gentes devicerunt*; *Romani nullam gentem devicerunt*. *Tu ſemper ſtudes*; *tu nunquam ſtudes*: *ubique ſunt homines nigri*; *nullibi ſunt homines nigri*. Item univerſales & ſingulares: ut *omnis homo eſt juſtus*; *hic homo non eſt juſtus*. Nullus homo eſt juſtus; hic homo eſt juſtus. Propoſitiones iſtiuſmodi non poſſe eſſe ſimul veras manifeſtum eſt, quia contradictorias includuut: *ex.g.* *omnis homo eſt juſtus* includit *aliquis homo eſt juſtus*, quæ alteri contrariarum contradicit, nempe nullus homo eſt juſtus; et *nullus homo eſt juſtus* includit *aliquis homo non eſt juſtus* quæ alteri contrariarum contradicit, nempe, *omnis homo eſt juſtus*. Ideo autem poſſunt eſſe ſimul falſæ, quia cum altera falſa eſt, altera plus dicit quam ad contradictionem requiritur, adeoque excedit; ut cum utraque univerſalis eſt, per ſe patet: et cum altera eſt ſingularis, id ipſum patet. Nam uuiverſalis affirmans plus dicit quam ſufficit ad contradicendum ſingulari neganti: ad hoc enim ſufficit ſingularis affirmans, ut patet ex regula. 4. Et ſingularis negans plus dicit quam ſufficit ad contradicendum uuiverſali affirmanti: huic enim contradicendo ſufficit particularis negans, ut patet ex regula 1. Singularis autem plus dicit quam particularis, nempe, aliquid effert de individuo determinato,

terminato, cum particularis de indeterminato loquatur.

18. Propoſitiones ſubcontrariæ, ſic dictæ, quia contrariis ſubordinantur, ſunt quæ poſſunt eſſe ſimul veræ, ſed non poſſunt eſſe ſimul falſæ: ut *aliquis homo eſt juſtus*, *aliquis homo non eſt juſtus*. Poſſe autem eſſe ſimul veras apparet, quia, cum ſubjectum utrobique ſit particulare, non neceſſe eſt utramque de eodem loqui. Quod autem non poſſunt eſſe ſimul falſæ, hinc patet, quia ſic duæ contrariæ, eſſent ſimul veræ, quod ſupra demonſtravimus fieri non poſſe.

19. Propoſitiones æquipollentes ſunt, quæ verbis diſcrepantes, ſenſu conveniunt. Ut *Deus omnia poteſt*, *omnia ſunt deo poſſibilia*. *Totum corpus humanum morbo obnoxium eſt*, *omnis pars corporis humani morbo obnoxia eſt*: *Omnis impius eſt ſtultus*; *nullus impius eſt*, *qui non eſt ſtultus*. Pluribus enim formulis loquendi poteſt una & eadem res ſignificari. Æquipollentias propoſitionum his verſiculis vulgo complexi ſunt Logici,

Non omnis quidam non; *omnis non* quaſi *nullus*.
Nonnullus, *quidam*; ſed *nullus non* valet *omnis*.
Non aliquis, *nullus*; *non quidam non* valet *omnis*,
Non alter, *neuter*; *neuter non* præſtat *uterque*.

Verum plurimæ aliæ ſunt phraſes æquipollentes; et tot quidem, ut certis regulis compre-

comprehendi non poſſint. Præterea, nec hæ in omnibus linguis æquipollentes Sunt. Nam *omnis non*, in lingua noſtra idem eſt ac *quidem non*, aut *aliquis non*. Et in lingua græca, duæ negationes ſæpe fortius negant: in hebræa *non-omnis* idem ſignificat ac *nullus*; ut *non juſtificabitur omnis caro in conſpectu tuo*, id eſt, *nulla* caro juſtificabitur.

CAP. XXI.

Propoſitiones complexæ, incidentes & reliquæ compoſitæ.

1. HActenus de propoſitione ſimplici. Sequitur *compoſita*, cujus multa ſunt genera. Sed hic non intelligimus illas, quæ implicite, conſequenter & virtualiter tantum compoſitæ ſunt, quales ſunt omnes univerſales, licet unico ſubjecto & prædicato conſtent, ſi voces ſpectemus. *Ex. g. omnis homo eſt mortalis*, æquipollet multis millibus propoſitionum de hominibus ſingularibus; nempe his, *hic homo* & *ille*, & *alius* eſt mortalis, et ſic de reliquis omnibus. Ejuſdem rationis ſunt propoſitiones excluſi-

væ;

væ; ut *ſolus Deus fuit ab æterno*: Compoſitas igitur vocamus illas propoſitiones, quarum compoſitio expreſſa eſt, et ad octo ordines reduci poſſunt, *complexam, copulativam, disjunctivam conditionalem, cauſalem, relativam, discretivam, et limitatam.*

2. Propoſitiones *complexas* diſtinctionis gratia, illas vocamus, in quibus vel ſubjectum, vel attributum, vel utrumque, eſt terminus complexus. Ut *rex eſt qui metuit nihil*, ubi ſubjectum, *is qui metuit nihil*, eſt terminus complexus, ex ſubjecto, nempe homine, et attributo, ſeu modo, ſcil. libertate a metu: *Rex* vero eſt attributum.

Sum pius Æneas, fama ſuper æthera notus.

Ubi attributum eſt complexum ex ſubjecto *Ænea*, et duplici attributo *pietate* & *fama inſigni*: ſubjectum autem ſubintelligitur, nempe *ego*. Sed in hac *potentes qui pauperes opprimunt, a Deo oppreſſorum protectore punientur*, uterque terminorum complexus eſt. Subjectum enim *potentes* attributo quodam afficitur, nempe, *crudelitate* erga pauperes: prædicatum vero *punientur* declaratur a cauſa efficiente, *Deo*: et cauſa illa rurſus attributo ſuo afficitur, ſcilicet, quod *protector* ſit eorum qni opprimuntur.

3. Propoſitio igitur complexa pluribus propoſitionibus ſimplicibus conſtat, quarum

altera

altera eſt principalis, directa & expreſſa; altera, aut reliquæ, ſecundariæ, incidentes, virtuales, et implicite; nempe, quæ in ſubjecto, vel attributo complexo latent. Ut in hac, *rex eſt qui metuit nihil*, ex parte ſubjecti, innuitur *eſſe aliquem qui metuit nihil*, eorum ſcilicet, quæ metuere non debet: interim tamen, ut jure e ſubjecto aut prædicato complexo, colligere poſſimus ejusmodi propoſitiones, requiritur ut partes termini complexi inter ſe conſentiant, nec licet eas colligere ſi repugnantes ſint. Ut ſi quis dicat, *materia ſeipſam movens eſt ſpiritus*; *homo volans habet alas*, non licet colligere aliquam materiam ſeipſam movere, nec aliquem hominem volare; quia *ſeipſam movere* ſimpliciter repugnat materiæ, et *volare* naturaliter repugnat homini.

4. Ad propoſitiones complexas pertinent illæ, in quibus de integra aliqua propoſitione ſimplici objectiva aliquid effertur: ut *mentem eſſe ſine ſcientia non eſt bonum*, *eſſe antipodas eſt verum*; *omne continuum dividi poſſe in infinitum eſt incredibile*; *partem eſſe majorem toto*, *eſt abſurdum*: *amico privari eſt durum*; *pro patria mori eſt dulce & decorum*; et variæ aliæ iſtiusmodi. Sed hujus generis quatuor ordines notarunt logici, quas propoſitiones *modales* nuncuparunt, quia in illis attributum principale oſtendit quomodo termini propoſitionis incidentis cohæreant.

Modi

Modi autem ſunt *neceſſe*, *contingens*, *poſſibile* & *impoſſibile*. Ut *neceſſe eſt Deum eſſe juſtum*, *contingit alia ludentem vincere*, *poſſibile eſt alium mundum exiſtere*, *impoſſibile eſt Deum mentiri*. Quæ autem his modis cærent, propoſitiones puræ vocantur. In propoſitione igitur modali, ſubjectum eſt terminus complexus, et *dictum* vocatur; ut *Deum eſſe juſtum*; modus autem connexionis aut habitudinis partium ſubjecti, ſeu dicti, eſt attributum: ut *neceſſe*, et ſic de reliquis.

5. Propoſitioni modali affirmanti contradicitur, negando, non copulam dicti, ſed modum: ut *neceſſe eſt ſolem cras oriturum eſſe*; *non neceſſe eſt ſolem cras oriturum eſſe*. Non autem, *neceſſe eſt ſolem cras non eſſe oriturum*. Quænam autem ex modalibus, iisdem terminis conſtantibus, ſint contrariæ, ſub-contrariæ, ſubalternæ, et æquipollentes, Schema ſequens exhibet.



6. Propositio copulativa est, quæ constat pluribus propositionibus, conjunctionibus copulativis colligatis. Estque alia, quæ effert unum attributum de pluribus subjectis; ut *mors & vita sunt in manibus linguæ*; *nec mors*, *nec*

nec vita, nec principatus, nec potoſtates ſeparare poſſunt fideles ab amore Dei qui eſt in Chriſto Jeſu. Alia, quæ plura attributa de eodem ſubjecto: ut *virtus & utilis & jucunda & honorifica eſt*; *nec ſibi nec aliis prodeſt, non amas & deſeris* Alia, quæ ſingula attributa de ſingulis ſubjectis: ut *Paulus plantavit, et Apollos rigavit. Nec Parmenides recte dixit omnia eſſe unum, nec Ariſtoteles juſte eum ob dictum iſtud incuſavit.* Eſt igitur propoſitio copulativa alia affirmans, alia negans. Et negans rurſus vel negat omnia membra, vel unum, aut aliquot tantum. Unde ad veritatem affirmantis & negantis omnium membrorum, requiritur veritas omnium: adeout, ſi unum falſum ſit, tota propoſitio falſa eſt, quatenus una eſt.

7. Copulativæ affirmanti contradicitur, unam partem negando, non autem utramque. Quæ enim utramque negat, contraria eſt affirmanti, non contradictoria. Ex. g. huic, *Petrus & Johannes ambulant*, contradictoria eſt, *non & Petrus & Johannes ambulat*; ſed *nec Petrus, nec Johannes ambulat* contraria eſt. Similiter neganti, omnium partium contradicitur, alteram indeterminate affirmando: ut *nec ſibi nec aliis prodeſt*; *vel ſibi vel aliis prodeſt*; aut alteram detetminate; ut *licet ſibi non proſit, aliis prodeſt*: vel *licet aliis non proſit, ſibi prodeſt*. Sed neganti unius partis aut aliquot,

non

non autem omnium, contradicitur, omnes partes affirmando : ut huic, *nemo poteſt & Deo & mammonæ inſervire*, ſic contradicunt homines mundani, *poſſumus & Deo, et mammonæ ſervire*.

8. Per propoſitiones copulativas, exponuntur univerſales ſimplices, ut, *omnis homo eſt natus in peccato*, exponitur ſic, *nobiles & ignobiles, divites & pauperes, filii ethnicorum, et chriſtianorum, piorum & impiorum naſcuntur in peccato. Nullus homo eſt immortalis* exponitur per hanc, *nec rex, nec ſubditus, doctus, nec indoctus*, &c. *eſt immortalis. Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis totius mundi*, id eſt, *Judæorum & Ethnicorum, pauperum, divitum, ſapientum, et inſipientium, aliorumque generum quorumcunque.* Excipe hic univerſales collectivas, ut, *omnes utriusque manus digiti ſunt decem.* Ratio eſt, quia in ejuſmodi univerſalibus, attributum non effertur de ſubjecto diſtributive ſumpto.

9. Ad copulativam etiam reducendæ ſunt propoſitiones *excluſivæ*; ex quibus aliæ excluſivæ *ſubjecti* vocantur, quæ omnia ſubjecta præter unum excludunt a participatione attributi : aliæ excluſivæ *attributi*, quæ omnia alia cujuſdam generis attributa, præter unum, de ſubjecto negant. Eorum ſigna ſunt, *ſolus, unicus, tantum*, et ſimilia. Et ſemper continent duas propoſitiones, ex

quibus altera affirmat, altera negat. Ut *nobilitas ſola eſt, atque unica virtus:* id eſt, virtus eſt nobilitas, et nihil aliud eſt nobilitas. *Diaboli tantum agunt male.* i. e. agunt male, et nihil agunt, quod non male agunt. Sicut igitur propoſitio univerſalis eſt compendium plurimarum propoſitionum, quarum omnes affirmant vel omnes negant; ita etiam excluſiva eſt compendium duarum, quarum altera affirmat, altera negat, et vel ſubjectum vel prædicatum habent commune. Negatur contradictorie, negando notam excluſivam. Ut *ſolus homo eſt capax beatitudinis; non ſolus homo eſt capax beatitudinis: quidam pii in hoc mundo tantum bene agunt, nullus pius in hoc mundo tantum bene agit.*

10. Propoſitio *disjunctiva* eſt, quæ e pluribus propoſitionibus unam indeterminate ſtatuit: ejus notæ ſunt, *aut*, *vel*, et ſimiles. Etiam autem alia, quæ unum attributum effert de aliquo e pluribus ſubjectis: ut cum Annibal, milites ſuos ad fortiter pugnandum cohortans, dixit, *neceſſe eſt aut vincere, aut fortiter occumbere, aut venire in poteſtatem hoſtium, aut turpiter fugere.* Quatuor enim iſta ſunt ſubjecta, et *neceſſe* eſt attributum commune. Alia, quæ aliquod e pluribus attributis effert de eodem ſubjecto; ut *amicitia aut pares invenit aut facit: natura multitudinis eſt, aut humiliter ſervire aut ſuperbe dominari.* Alia vero quæ aliquam e

pluribus

pluribus propoſitionibus, quarum unaquæque ſuo ſubjecto & attributo conſtat, ſtatuit: ut, *vel terra circa ſolem movetur, vel ſol circa terram.* Item illa apud Virgilium.

Aut hoc incluſi ligno occultantur Achivi;
Aut hæc in noſtros fabricata eſt machina muros;
Aut aliquis latet error; equo ne credite Teucri.

Per propoſitiones autem disjunctivas plurium ſubjectorum, exponuntur propoſitiones ſimplices particulares: ut *aliquis me tetigit*; id eſt, vel vir, vel femina, hic, vel ille, vel alius.

11. Ad veritatem propoſitionis disjunctivæ, requiritur immediata oppoſitio partium ſi duæ tantum ſint, aut plena enumeratio, ſi plures, ita ut nil diverſum ſtatui poſſit. Si enim partes non ſint oppoſitæ, propoſitio eſt nugatoria, ut ſi quis diceret, *ſe vel animal vel beſtiam videre.* Si oppoſitio non ſit immediata, aut enumeratio non ſit plenaria, poterit eſſe falſa: ut, *vel amat, vel odit mulier, nil tertium*; *utilitate aut metu ducuntur homines*, non ſunt ſtricte & ſemper veræ. Sunt enim mulieres, quæ nec amant procos ſuos, nec oderunt; ſunt etiam homines, qui nec utilitate, nec metu ducuntur, ſed officii ſenſu. Contradicitur propoſitioni disjunctivæ, ſi disjunctio partium negetur, vel diverſum quid ab omnibus

membris ſtatuatur; ut *omnis homo utilitate aut metu ducitur, quidam homines nec utilitate, nec metu ducuntur, ſed honeſtate. Vel papa* (inquiunt Pontificii,) *eſt caput Eccleſiæ, vel nullum eſt illius caput*: negatur ſic, *non vel papa* &c. aut dicendo *Chriſtum* eſſe Eccleſiæ caput.

12. Propoſitio *conditionalis*, ſive *hypothica* eſt, quæ ex hypotheſi, ſeu conditione tantum, aliquid affirmat, aut negat. Unde in re nihil ponere dicitur, hoc eſt nihil abſolute affirmat aut negat. Conſtat igitur duabus partibus *antecedente* & *conſequente*. Ut *ſi pauperes non paviſti, pauperes occidiſti*, inquit Auguſtinus, ubi prior pars hypotheſi comprehenſa, antecedens; poſterior, quæ, eâ poſitâ, ſtatuitur, conſequens eſt. Hujusmodi propoſitionum uſus eſt, connexiones, aut disjunctiones rerum oſtendere. Unde perinde eſt, ſive partes ſeorſim veræ ſint, ſive falſæ, modo connexio ſeu conſequentia ſit bona. Ex g. Vera eſt hæc, *Si Deus non eſt, aut ſi anima cum corpore interit, pii omnium miſerrimi ſunt*: partes tamen omnes ſeorſim & per ſe falſiſſimæ ſunt. Contradicitur conditionali, negando conditionem affirmatam, aut affirmando negatam: ſive, quod idem eſt, negando connexionem; quod per propoſitionem adverſativam optime fit: ut, *ſi ſpondes debes, non ſi ſpondeo debeo*; id eſt, *etiamſi ſpondeo, non tamen debeo.*

— una

— *non ſi miſerum fortuna Sinonem*
finxit, vanum etiam, mendacemque improba
(finget.

hoc eſt, licet fortuna Sinonem miſerum fecit, non tamen mendacem; ſive, licet miſer nunc ſim, non tamen mentiar.

13. Propoſitio *cauſalis* eſt, in qua una pars reddit cauſam vel rationem quamcunque alterius; ut *Rex fuit infælix, quia tali ſydere natus. Quoniam ego vivo, vos etiam vivetis. Ideo gravia feruntur deorſum; quia eo pelluntur ab extrinſeco.* Contradicitur ipſi, negando hoc eſſe cauſam illius. Ut, *non ideo fuit rex infælix, quia tali ſydere natus eſt. Non ideo gravia deorſum ruunt, quia pelluntur ab extrinſeco*, ut aiunt Peripatetici. Poteſt enim, in propoſitione cauſali, utraque pars, per ſe, eſſe vera, et cauſalitas alterius in alteram falſa, quo in caſu & ipſa falſa eſt.

14. Propoſitio *relativa* dicitur, quæ convenientiam quamcunque aut differentiam plurium ſtatuit. Ut, *ubi eſt theſaurus, ibi etiam eſt cor. Quantum quisque ſua nummorum ſervat in arca, tantum habet & fidei, — non minor eſt virtus quam quærere, parta tueri: hei mihi qualis erat quantum mutatus ab illo Hectore qui quondam, — Amicum perdere eſt damnorum maximum.* Huc pertinent propoſitiones *proportionales*, uti vocantur.

tur. *Ex: g.* ut 2 ad 4, ita 3 ſunt ad 6. Et *parabolicæ*, ſeu *typicæ*, quales ſunt permulta ex Proverbiis Solomonis. Hiſce contradicitur negando convenientiam aut diverſitatem. Ut *qnalis vita talis mors*, *non qualis vita talis mors. Quantum habes nummorum, tantum habes fidei: non quantum habes nummorum* &c. hoc eſt, vel plus habes fidei quam nummorum vel minus.

15. Propoſitio *diſcretiva* eſt, cujus partes plerumque conſtant terminis diſparatis aut contrariis. Ejus notæ ſunt *quamvis*, *licet*, *etſi*, et ejuſmodi ex una parte; et, *ſed*, *verum*, *tamen*, ac ſimiles ex altera. Eſt autem variæ formæ. Quandoque enim e duobus attributis unum affirmatur de eodem ſubjecto, alterum negatur. Ut *Ulyſſes non erat formoſus ſed facundus. Fortuna opes auferre, non animum poteſt.* Quandoque utrumque affirmatur: ut *coronæ regum ſplendidæ ſunt ſed graves.* Quandoque e duobus ſubjectis idem attributum de uno affirmatur de altero negatur: ut *me, me, ego qui feci, in me convertite ferrum, o Rutili — nihil iſte nec auſus, nec potuit:* id eſt, *non iſte fecit, ſed ego.* Quandoque ſingulis partibus propria ſunt tum ſubjecta tum prædicata: ut *licet Deus ſit miſericors, impii tamen puniuntur. Sive inſanimus, Deo eſt; ſive ſobrii ſimus, veſtri cauſa eſt.* Specialis propoſitionum iſtiuſmodi uſus eſt, ut conſequentias vitioſas

tioſas negemus et repellamus. Unde & προλημπτικὰ *præoccupativæ* dici ſolent. Per eas enim plerumque ſtatuuntur, quæ repugnare videntur: ut ſi quis arguerit, *Deus eſt ſumme miſericors: Non igitur puniet ullam e creaturis ſuis in æternum: lux emanat e corpore lucido: Ergo eſt ſubſtantia*; Utraque illatio per propoſitiones *diſcretivas negatur*; *licet Deus ſit ſumme miſericors, puniet tamen in æternum omnes peccatores impœnitentes: quamvis lux e corpore lucido emanet, non tamen idcirco ſubſtantia* eſt.

16. Ad veritatem iſtiuſmodi propoſitionum, requiritur veritas omnium partium. Unde & illis contradicitur, per contradictionem vel omnium, vel unius. *Ex. g.* huic, *coronæ regum ſplendidæ quidem ſunt, ſed graves*, contradicitur omnibus his modis, *nec ſplendidæ ſunt, nec graves: ſplendidæ ſunt, ſed non graves*; *non ſunt ſplendidæ, ſed graves.* Si autem partes non ſint oppoſitæ, ſaltem diſparate, nugatoriæ ſunt, & abſurdæ: Ut ſi quis de alio dixerit, *eſt avarus ſed injuſtus*; avaritia enim non opponitur injuſtitiæ, ſed in ea continetur.

17. Ad diſcretivam reduci poſſunt propoſitiones, quæ *inceptivæ* & *deſitivæ* vocari poſſunt: ut, *per pœnitentiam homo incipit ſapere* id eſt, *tunc ſapit homo, cum pœnitentiam agit, prius non ſapit. Deſiit furari*; id eſt, *prius furatus eſt, ſed nunc non furatur.*

18. Denique propoſitio *limitata*, vel *exceptiva* eſt, vel *reſtrictiva*. Exceptiva eſt, in qua contrario modo ſtatuitur de una aliqua parte ſubjecti, quam de reſiduo. Unde & alia eſt, quæ negat attributum de una aliqua parte, et idem affirmat de reliquis; ut *omnes ſtellæ fixæ ſunt, præter ſeptem*; id eſt, *ſeptem e ſtellis non ſunt fixæ, reliquæ omnes ſunt fixæ.* Alia quæ affirmat attributum de unica parte, et negat de reliquis: ut *nemo e muliere natus, immunis fuit a peccato originis, præter Chriſtum*; id eſt, *Chriſtus immunis fuit a peccato originis, & nullus alius, qui e muliere naſcitur.* Contradicitur exceptivæ, contradicendo vel alteri partium, vel utrique: ut, *omnes filiæ hominum labe peccati, ab ortu ſuo inquinatæ ſunt, præter S. Virginem Mariam*, inquiunt Pontificii: et *virgo Maria. & reliquæ omnes, ab ortu ſuo, inquinatæ ſunt labe peccati*, aiunt noſtri. *Nulla eſt vera Eccleſia præter Romanam*; *Eccleſia Romana non eſt vera eccleſia*; et *quædam aliæ ſunt veræ.*

19. Propoſitio *reſtrictiva* eſt, in qua attributum reſtringitur ad unam aliquam partem, modum, aut rationem ſubjecti: hoc eſt, de ea tantum affirmatur aut negatur. Ut, *homo, qua homo ratiocinatur*, non qua animal. *Chriſtus qua Deus, eſt ubique, qua homo, eſt in cælo ſupremo. Æthiops eſt albus dentes: Statuarius qua muſicus, harmonice*

canit,

canit, non qua ſtatuarius. Continet igitur duas propoſitiones ſimplices: alteram incidentem, in qua ratio reſtricta innuitur, alteram, in qua principale attributum expreſſe ſtatuitur ſubjecto convenire, ſecundam illam rationem; aut quod idem eſt, illi ipſi rationi: ut in hac, *Chriſtus qua Deus eſt ubique*, innuitur *Chriſtum eſſe Deum*; exprimitur vero *eum eſſe ubique ſecundum deitatem*, aut quod idem eſt, *deitatem illius eſſe ubique.* Supponitur autem ſemper rationem reſtrictam ſubjecto convenire; ſecus enim propoſitio ridicula erit: ut ſi quis dicat, *æthiops eſt albus cornibus*; ſupponit enim æthiopem eſſe cornutum. Contradictoriæ negatur, negando notam reſtrictionis: *Ex. g.* hæc Lutheranorum, *Chriſtus qua homo eſt ubique*, ſic negatur, *Chriſtus non qua homo eſt ubique*: ſive, *Chriſtus eſt ubique, ſed non qua homo.* Si vero utraque pars falſa ſit, quod raro contingit, utraque eſt neganda; ut ſi quis diceret *Solem quatenus vivit, curſum ſuum ſponte ſiſtere poſſe*, ſic negabis, *nec ſol vivit, nec ſi viveret, curſum ſponte ſiſtere poſſet.* Et hæc de propoſitionibus compoſitis.

CAP.

CAP. XXII.

Propoſitio vera, et falſa, identica, & formalis, Neceſſaria & contingens, poſsibilis & impoſsibilis, perſpicua & obſcura, certa & probabilis.

1. SEquitur ſecunda diviſio propoſitionis, in *veram* & *falſam*. Propoſitio *vera* eſt, quæ pronunciat ut res eſt; ſeu quæ conjungit ea, quæ in re conjuncta ſunt, aut dividit, quæ diviſa ſunt. *Falſa* contra eſt, quæ pronunciat aliter ac res eſt; ac proinde conjungit quæ in re non ſunt conjuncta, aut dividit, quæ non ſunt diviſa. Propoſitio vera vel eſt *identica*, vel *formalis*. Identica eſt in qua nulla omnino eſt diverſitas inter ſubjectum & attributum, ſeu quæ idem (ſcilicet, id quod abſolute, et adæquate idem eſt,) de ſeipſo affirmat, ut *homo eſt homo*, *Socrates eſt Socrates*: Unde et nugatoria ac *nimis vera* dicitur, quia nihil manifeſtat aut docet.

2. Formalis (rectius *Didactica*) eſt, in qua attributum, ſecundum id quod directe importat, idem eſt cum ſubjecto; ſecundum id vero quod indirecte, eſt diverſum; ut *quidam homo eſt doctus*. Ubi attributum *doctus*, in recto ſignificat id quod habet doctrinam, quod idem eſt cum aliquo homine

ne. Regula enim est, *in omni propositione vera affirmante, attributum est aliquo modo idem cum subjecto, in negante diversum: in falsa affirmante est diversum, in negante idem.*

3. Propositio *necessaria* dicitur, quæ ita vera est, ut nequeat esse falsa adeoque *immutabiliter* vera est, vel *absolute* & semper, vel *secundum quid*, & pro aliquo tempore. Distingui enim potest, juxta gradus necessitatis quos supra notavimus, cap. 10. Sect. 3, 4. Sed logici distinguunt in tres species. Primam vocant καθ' παντος, *de omni*; cum nihil in extensione subjecti continetur; cui attributum non convenit, sive attributum sit de illius essentia, sive non: ut *cygnus est albus, corvus est niger*; *omnis homo ab Adamo, per generationem naturalem ortus, peccati labe inficitur*: *nullus homo conditione moriendi exemptus est.*

4. Secunda vocatur propositio καθ' αυτο, *per se*: in qua attributum est de essentia subjecti. Ut cum genus, proximum, vel remotum, differentia essentialis aut proprium, affirmatur de specie, ejusque individuis, aut species, ejusque definitio, de indiuiduis. Huic opponitur propositio *per accidens*, in qua attributum est extra essentiam subjecti: ut, *homo est doctus, justus, cæcus.*

5. Tertia dicitur καθολε πρωτον, id est, *universaliter primum*, cum attributum non tantum est de essentia subjecti sed etiam ipsi pro-

prium

prium adeoque reciprocum, ut cum quælibet differentia eſſentialis, ſive prima, ſive ſecunda, affirmatur de ſpecie : ut *rationi præditum eſſe*, *riſibile*, *capax diſciplinarum*, de homine. Ex his tribus gradibus neceſſitatis, ſecunda primam, tertia utramque includit ; et poſterior priori aliquid addit. Nam ubi connexio attributi cum ſubjecto eſſentialis eſt, neceſſe etiam eſt, ut univerſalis ſit ; et ubi reciproca eſt, eſſentialis & univerſalis eſt : ſi excipias connexionem accidentis proprii cum ſubjecto ſingulari.

6. Propoſitio *contingens* eſt, quæ vera eſt, ſed poteſt eſſe falſa ; ſive, quæ *mutabiliter* vera eſt. Eſtque vel plerumque & ſæpe vera ; ut, *medicos peritos febres lenire* : vel raro ; ut *eoſdem curare epilepſiam*, aut *affectionem hypochondriacam* ; vel denique indifferens ex ſe, ad veritatem & falſitatem ; ut alea ludentem vincere. Notandum tamen eſt, omnem propoſitionem veram, quando & quamdiu vera eſt, eſſe neceſſario & immutabiliter veram.

7. Propoſitio falſa eſt *poſſibilis*, vel *impoſſibilis*. Poſſibilis eſt quæ falſa eſt, ſed poteſt aut potuit eſſe vera ; ut *alium mundum exiſtere*, *primos parentes noſtros in obedientia erga Deum perſeverare*, *ſedentem ſtare*. Impoſſibilis eſt, quæ falſa eſt, nec poteſt eſſe vera : ut *materiam cogitare*, *ignem non comburere materiam combuſtioni idoneam approximatam*.

proximatam. Utraque dividi potest juxta differentias rerum possibilium & impossibilium supra traditas, cap. 4. Sect. 6, 7, 8. Notandumque hic est, propositiones necessarias, contingentes, possibiles & impossibiles vocari, ratione connexionis attributorum cum subjectis. Item omnem propositionem falsam, quando & quamdiu falsa est esse impossibilem.

8. Tertia divisio propositionis est in *obscuram* & *evidentem.* Obscura est, quæ vel explicatione vel probatione indiget. Obscura enim esse potest propositio vel quoad sensum, nempe cum significatio verborum quibus exprimitur non est manifesta; vel quoad connexionem attributi cum subjecto, cum non constat verane sit an falsa. Alio modo obscura dici potest propositio, scilicet, per accidens; cum is, cui proponitur, significationem usitatam verborum nondum didicit, aut propter judicii infirmitatem, aut defectum attentionis; connexionem, ex se obviam, non capit, de qua obscuritate nunc non agitur.

9. Quoad sensum obscura est propositio, primo propter vocem aut phrasin ambiguam: ut, *gallus est animal: aio te Æacida Romanos vincere posse.* In priori enim incertum est, utrum per gallum, *homo* an avis significetur: in posteriori vero non constat utrum affirmet Æacidem victurum esse Romanos,

manos, an Romanos Æacidem. Secundo, propter vocem aut phraſin inſolentem; nempe, novam, aut abſoletam, quæ rarius occurrit. Tertio propter tropum, aut figuram: ut cum per ſynecdochen, nomina generum ſpeciebus aut individuis ſignificandis adhibentur, aut viciſſim. Cum enim ſermo nimis generalis & laxa, aut nimis arcta eſt, neceſſe eſt eam per ſe eſſe obſcuram. Sic proverbia & ænigmata obſcura ſunt. Ut illud Sampſonis ad Philiſtæos, *ex comedente exivit cibus, et e forti egreſſa eſt dulcedo.* Verbis enim generalibus *comedens* & *fortis*, leonem; et *cibus* ac *dulcedo* mel deſignat. Voces autem generales, multa per ſe ſignificantes, incertum relinquunt audientem quidnam per eas ſpeciale intendatur. Item, *ne ſutor ſupra crepidam*; id eſt, *nemo ea tractet quorum eſt imperitus*, obſcura eſt ſententia, quia nominibus ſpecierum genera exprimit. Notandum tamen eſt, propoſitiones non ſimpliciter pro obſcuris habendas eſſe, ſi circumſtantiæ ſint, quæ ſi obſerventur, ſenſui exhibendo ſufficere poſſint. Unde ſacræ literæ non ſunt obſcuritatis incuſandæ; quia pleraque eorum, quæ in illis obſcure traduntur, clarius alicubi exprimuntur.

10. Ratione connexionis obſcura eſt propoſitio, cum licet ſenſus verborum apertus ſit, non tamen apparet utrum attributum ſubjecto

ſubjecto conveniat, necne: adeoque opus eſt alia evidenti, aut etiam pluribus, ad id declarandum. *Ex: g.* poſtquam intellexeris ſignificationem verborum, hujus propoſitionis in Geometria, *cujuslibet trianguli, tres ſimul anguli æquales ſunt duobus angulis rectis*, non tamen videbis illius veritatem niſi aſſumptis aliis ex eadem diſciplina, quæ vel per ſe evidentes ſunt, vel prius demonſtrantur.

11. Ex adverſo, evidens eſt propoſitio quoad ſenſum verborum, cum ſignificatio eorum obvia eſt: quoad connexionem vero, cum habitudo attributi ad ſubjectum, tanquam ei convenientis, aut non convenientis, aut etiam repugnantis, clare percipitur. Eſtque vel per ſe evidens, vel aliunde. *Per ſe* evidens propoſitio eſt, cum ſignificatione terminorum intellecta, ſtatim apparet utrum attributum ſubjecto conveniat an non. Et idcirco propoſitio *immediata* vocatur; quia nullo medio opus eſt ad connexionem percipiendam: et *axioma*, quia per ſe aſſenſum noſtrum meretur. Tales ſunt, *Totum eſt majus ſua parte. Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.* Ideo autem per ſe evidentes ſunt iſtiuſmodi propoſitiones, quia in illis, idea attributi per ſe apparet in idea ſubjecti contineri, aut eidem repugnare: ut in idea totius, clare continetur pars illa quâ majus eſſe dicitur, et aliquid amplius: et *eſſe ſimul*,

ac

ac non esse, clare continentur in idea rei impossibilis. Regula autem generalis est, *quicquid in idea clara rei continetur, de ea debet affirmari*; et *quicquid ideæ claræ rei repugnat, eamque evertit, de ea debet negari.* Nec in dubium vocari potest illa regula, quin simul tollatur omnis certitudo cognitionis humanæ.

12. Propositiones aliunde, quam a se evidentes, sunt quæ per alias evidentes inclarescunt. Unde cum earum quæ per se evidentes sunt, evidentia insita sit, evidentia harum mutuatitia est. Estque vel a ratione aliqua ipsis terminis propositionis intrinseca, sive (ut loqui solent,) ex natura subjecti & attributi: ut cum dicimus, *avarus metuit, quia vehementer amat divitias quæ instabiles sunt*, hæc *avarus metuit*, per alteram, *divitias immodice amat, quæ facile perduntur*, inclarescit. Amor autem ille immodicus in natura seu idea subjecti, nempe. *avari* manifeste continetur. Vel ab extrinseco, nempe a testimonio divino vel humano, Sic evidens est, *Deum esse unum & trinum*, quia ipse in sacris literis id testatur: et per testes in judiciis materia facti innotescit. Testimonium autem extrinsecum est rei testatæ.

13. Ratio quæ intrinseca dicitur, vel est necessaria vel contingens. Necessaria quando non potest aliter esse, contingens si secus.

Unde

Unde patet evidentiam gradus ſuſcipere, et propoſitiones alias aliis evidentiores eſſe. Et maxima quidem evidentia *intrinſeca* eſt, cum idea attributi in eſſentia ſubjecti vel contineri, vel eidem repugnare intelligitur. Maxima etiam *extrinſeca*, a teſtimonio divino proficiſcitur. Evidentiſſimum enim eſt verum eſſe, quod Deus, qui nec falli, nec fallere poteſt, teſtatur eſſe verum. Intrinſece tamen poteſt eſſe obſcurum, quia mens non ex ipſis naturis terminorum, habitudinem eorum ad ſeinvicem vidit. Minor vero eſt evidentia, quæ per rationes contingentes, licet intrinſecæ ſint, aut a teſtimonio humano habetur.

14. Ex his intelliges quid ſit propoſitio *certa*, *dubia*, *probabilis*, *improbabilis*, et *paradoxa*, et quomodo certitudo ab evidentia differat. Certa enim eſt propoſitio cui mens firmiter adhæret, aut ab ea plane abhorret, propter rationem neceſſariam veritatis, aut falſitatis. Sed certitudinis varii ſunt gradus; diſtinguitur enim juxta differentias neceſſitatis in *Metaphyſicam*, *phyſicam* & *moralem*. Certitudo metaphyſica maxima eſt, cum ſcilicet, videmus abſolute impoſſibile eſſe rem aliter ſe habere. Sic certi ſumus *quicquid Deus teſtatur eſſe verum*, *nihil poſſe ſimul eſſe & non eſſe*. Phyſica eſt, cum percipimus, ex ordine naturali rerum, hoc vel illud ita eſſe; ut *ignem combuſturum ſtupam*,

ſi ei admoveatur : virginem non parere. Moralis denique certitudo eſt, cum res ita eſſe videtur, et nulla occurrit ratio alicujus momenti in partem oppoſitam. Sic perſuadentur *Romam eſſe* qui eam non viderunt, quia omnes fere hiſtoriæ de ea loquuntur, et multi dicunt ſe illic fuiſſe, de quorum teſtimonio nullam aliam dubitandi rationem habemus, quam quod non implicet contradictionem eos omnes mentiri. Diſtinguere etiam ſolent logici certitudinem in *objectivam* & *ſubjectivam*. Prior eſt ipſa rei veritas, aut neceſſitas : poſterior eſt firma mentis de ea perſuaſio.

15. Propoſitio igitur dubia eſt, cum in neutram partem mens inclinat, hoc eſt, nec veram videt, nec falſam ; Probabilis vero, cum magis videtur vera quam falſa, propter rationem ex altera parte majoris ponderis. Improbabilis contra eſt, cum propoſitio magis videtur falſa quam vera, propter rationem fortiorem ex parte falſitatis : ſic improbabile eſt *virum bonæ famæ, occidiſſe amicum, quem charum ſemper habuiſſe viſus eſt.* At *hominem malæ famæ, alium, quem odiſſe compertus eſt, occidiſſe*, probabile eſt. Denique paradoxa dicitur propoſitio, quæ vera aut falſa eſt, præter communem opinionem vulgi. Ut *ſolem eſſe longe majorem toto orbe terrarum, eſſe Antipodas* &c.

16. Quod autem ad differentiam certitudinis

dinis & evidentiæ ſpectat, Evidentia eſt certitudinis cauſa & fundamentum, et certitudo effectus evidentiæ. Ideo enim mens firmiter per aſſenſum propoſitioni adhæret quia veritas illius evidens eſt. Et ideo per diſſenſum eam repudiat, quia falſitas ejus evidens eſt. Quippe mens ſemper de rebus judicat prout ipſi objiciuntur. Quin & propoſitioni probabili aſſentitur, propter aliquem gradum evidentiæ: et quo propoſitio magis minuſve evidens eſt, eo perfectior, aut imperfectior eſt aſſenſus. Evidentia igitur & certitudo pari paſſu procedunt. Et quod vulgo dicitur *de multis nos certitudinem habere, de quibus non habemus evidentiam*, de ſola evidentia intrinſeca, et naturali, ex ipſorum terminorum penetratione orta, intelligendum eſt; ut in myſteriis fidei chriſtianæ.

CAP. XXIII.

De Converſione Propoſitionum.

1. COnverſio Propoſitionis eſt tranſpoſitio terminorum, ſubjecti in locum prædicati, ita tamen, ut, ſi propoſitio ante converſionem vera fuit, in ſtatu converſo vera maneat. Ad hoc autem intelligendum, et præſtandum, primo axiomata quædam notanda ſunt, deinde regulæ nonnullæ, ipſis innitentes, conſtituendæ.

2. Axioma 1. *Attributum propoſitionis affirmativæ extenditur, et reſtringitur ad extenſionem & reſtrictionem ſubjecti.* Adeo ut, ſi ſubjectum univerſale ſit attributum affirmetur de omnibus quæ in extenſione illius continentur : Si particulare, de eorum parte tantum. Nec attributum unquam extenſionem ſubjecti excedit, hoc eſt, ſi per ſe latius pateat quam ſubjectum, non affirmatur ſecundum totam extenſionem ſuam. Ut cum dicimus *omnem leonem eſſe animal*, affirmamus animal de leone, mare, et fæmella, veteri, et juveni, et reliquis omnibus ordinibus, ac ſingulis individuis leonum : at non affirmamus omne animal de leone, ſed *ani-*

mal

mal indefinite, quod, in re, eſt illud tantum animal, quod identificatur cum leone.

3. Axioma : 2. *Attributum propoſitionis negativæ negatur de ſubjecto, ſecundum totam illius extenſionem*, ſeu de omnibus quæ in extenſione illius continentur, ut cum dicimus, *nulla beſtia eſt docta*, negamus *omne* doctum de *omni* beſtia.

4. Axioma: 3. *Totum attributum in converſione, tranſire debet in locum ſubjecti, et totum ſubjectum in locum attributi* ; nec demitur extenſio, quamvis non neceſſe ſit eam exprimere. Ratio eſt quia totum attributum effertur de toto ſubjecto, ſecundum eam extenſionem quam habet in propoſitione, non autem pars tantum.

5. Regulæ igitur Converſionum ſunt quæ ſequuntur. Reg. 1. *Univerſalis negans convertitur ſimpliciter* : hoc eſt, ita ut attributum, in tota extenſione ſua, tranſeat in locum ſubjecti, et viciſſim. Ut *nullus homo, per naturam, poſt lapſum, eſt juſtus*, ſic convertitur, ergo, *nihil juſtum per naturam, poſt lapſum, eſt homo*. Ratio patet ex ſecundo axiomate.

6. Reg. 2. *Univerſalis affirmans convertitur per accidens*. Eſt autem converſio *per accidens* cum attributum in locum Subjecti tranſpoſitum, nota particularitatis afficitur, ut *omnis homo eſt peccator* ; *aliquis peccator eſt homo*. Ratio patet ex primo axiomate.

7. Reg 3. *Particularis affirmans convertitur ſimpliciter*; hoc eſt attributo eadem nota extenſionis affecto, quam habet ſubjectum. Ut *aliquis homo eſt juſtus*; *aliquod juſtum eſt homo*. Ratio ſumitur ex primo axiomate; nam cum in omni particulari affirmante, attributum particulari æquipolleat, poteſt illud, cum nota particularitatis, in locum ſubjecti tranſire.

8. Reg. 4. *Particularis negans* non *convertitur*, ut univerſalis, *ponendo notam negandi* ante copulam, ſed *ante rem, quæ per copulam negatam excluditur e ſubjecto*. Ut *quoddam animal non eſt homo*, non convertitur, nullus homo eſt animal, nec quidam homo non eſt animal, ſed in hanc, *aliquid quod non eſt homo, eſt animal*. Propoſitio enim convertenda hunc habet ſenſum, *quoddam animal eſt aliquid quod non eſt homo*: adeoque totum attributum eſt *aliquid quod non eſt homo*, quod idcirco totum in locum ſubjecti transferendum eſt, juxta axioma tertium.

9. Reg. 5. *Propoſitiones indefinitæ & ſingulares, ſi affirmantes fuerint, ſequuntur formam converſionis per accidens*. Ut, *homo eſt ſpecies*; *quædam ſpecies eſt homo*: *David Jeſſæ filius, fuit rex*; *quidam rex fuit David, Jeſſæ filius*. Excipe ſingulares, in quibus attributum eſt ſingulare determinatum: illæ enim ſimpliciter convertuntur. Ut, *Saul*

fuit

fuit primus rex Iſraelitarum; primus rex Iſraelitarum fuit Saul. Nec enim licet dicere, quidam primus rex &c, quia primus rex eſt ſingulare determinatum, et de uno ſolo intelligi poteſt. *Indefinitæ vero & ſingulares negantes, ſpeciem converſionis ſimplicis obſervant.* Ut; *homo non eſt genus, nullum genus eſt homo. David filius Jeſſe, non fuit Sacerdos; nullus Sacerdos fuit David filius Jeſſæ.* Ratio poſterioris partis patet ex axiomate ſecundo; prioris, ex primo. Quanquam omnes iſtæ dici poſſunt converti per accidens, præter ſingulares in quibus attributum eſt ſingulare determinatum; quia termini non iisdem notis extenſionis afficiuntur in convertenda & convertente, licet ſenſu & reipſa eaſdem habeant, prout in omni converſione legitima neceſſe eſt per axioma tertium.

10. Reg. 6. *In omni converſione, ut legitima ſit, ſpectandus eſt ſenſus, non autem ordo Verborum, niſi quatenus is ſenſui congruit.* Hæc regula generalis eſt, et in ſpecie neceſſaria ad propoſitiones de futuro, et præterito convertendas, ut, *omnes mortui reſurgent*, non convertitur juxta ordinem verborum, *quidam qui reſurgent erunt mortui*, ſed ſic, *omnes, aut quidam, qui reſurgent, vel jam mortui ſunt, vel aliquando poſthac morientur*, hic enim eſt ſenſus propoſitionis convertendæ, *mortui ſive de præſenti, ſive de futuro reſurgent.* Similiter has ſic convertes, *om-*

nis ſenex fuit puer, quædam domus eſt combuſta; quidam qui fuit puer, nunc eſt ſenex, vel fuit ſenex, quoddam quod nunc combuſtum eſt, fuit domus. Nec enim aliter, ut poſtulat axioma tertium, totum attributum tranſit in locum ſubjecti.

11. Propoſitiones compoſitæ rarius convertuntur. Verum ſicubi illarum convertendarum uſus aliquis fuerit, juxta eaſdem leges ac ſimplices converti debent, obſervato imprimis axiomate tertio. Exempla ſequentia loco regularum accipe. *Qui pauca loquitur ſapit; quidam ſapiens pauca loquitur. Petrus & Johannes ludunt; quidam ludentes ſunt Petrus & Johannes. Avari cupiunt, et cruciantur: quidam qui cupiunt, et cruciantur, ſunt avari. Amicitia aut pares invenit aut facit; aliquid, quod aut pares invenit, aut facit, eſt amicitia. Si Socrates volat, eſt alatus, ergo quoddam alatum eſt Socrates, ſi modo volet. Non vox ſed votum Deo placet: aliquid Deo placens, non eſt vox ſed votum. Sola virtus eſt vera nobilitas; vera nobilitas nihil eſt præter virtutem.* Reliqua tibi ipſi præſtanda relinquo.

12. Converſio modalium logicis multum negotii faceſſit. Verum ſi integre ſpectentur, convertendæ ſunt juxta regulas datas; nempe ſumendo pro ſubjecto modum, qui in modalibus (ut ſupra diximus) ſemper eſt attributum, (ſi ſenſum ſpectemus,) et pro attributo

attributo dictum; ut, *hominem esse animal est necesse*, id est, est *quid necessarium*; sic convertitur, *aliquid necessarium est hominem esse animal*, et sic de reliquis. Qui vero se fatigant in regulis assignandis, quibus recte converti possunt dicta, næ illi operæ suæ pretium non faciunt.

13. Tandem notandum est, fundamentum & rationem omnium conversionum esse, quod omnis diversitas & identitas *mutua* sit. Unde in affirmante, cum attributum aliquo modo idem sit cum subjecto, necesse est subjectum eatenus cum illo etiam idem esse. Et cum in negante, attributum diversum sit a subjecto, necesse est subjectum etiam diversum esse ab attributo.

CAP.

CAP. XXIV.

De Definitione & Diviſione.

1. DUO ſuperſunt propoſitionum genera, quorum in ſcientiis permagnus eſt uſus, *Definitio* ſcilicet & *Diviſio*: ex quibus hæc ad locum propoſitionis diſjunctivæ ſpectat; illa ad locum propoſitionis neceſſariæ, præſertim illam cujus attributum, καθόλου πρῶτον, *univerſaliter primum* dicitur. Eſtque definitio *propoſitio explicans*, diviſio *diſtribuens*. Omnis quidem propoſitio vera, præter identicam, ſubjectum aliquo modo explicat, verum definitio magis quam ulla alia: ita ſcilicet, ut rem ab omnibus aliis diſtinguit. Unde & definitio dicitur a definiendo, et græcis ὅρος terminus, quia fines quaſi, et limites rei ponit, quibus ab aliis omnibus diſcernatur.

2. Definitio alia eſt *Nominis*, alia *rei*. Definitio nominis eſt, quæ explicat quid nomen, aut vox ſignificet adhibitis aliis vocibus notioribus, ſed ejuſdem ſignificationis. Explicatur autem nomen oſtendendo, vel quid ex primo uſu ſignificet, ut cum dicimus philoſophiam eſſe φιλίαν τῆς σοφίας, *amorem*

ſeu

ſeu *ſtudium ſapientiæ* ; δεισιδαιμονιαν eſſe *metum deorum :* vel, ad quodnam ſignificandum transferatur, ſeu extendatur : ut cum addimus priori declarationi harum duarum vocum, philoſophiam ſignificare *ſapientiam* ipſam ; δεισιδαιμονίαν *ſuperſtitionem*, ſeu timorem, aut cultum deorum fictitiorum.

3. Definitio rei eſt, quæ explicat quid ſit res per nomen ſignificata. Eſtque vel *primaria*, et *accurata*, quæ definitio *ſtricte* ; vel *ſecundaria*, et minus accurata, quæ *deſcriptio* dicitur. Definitio primaria, et accurata, eſt applicatio rei per attributa eſſentialia propria ; nempe, per genus proximum, et differentias eſſentiales, unam vel plures. Ut cum philoſophia dicitur eſſe *cognitio rerum ex lumine naturali* : Deus *eſſe ens perfectiſſimum*, vel *ſpiritus infinitus independens.* Nonnunquam inſtituitur per partes eſſentiales phyſicas ; ut, cum homo definitur, *ſubſtantia compoſita ex corpore & mente.*

4. Deſcriptio eſt explicatio rei per alias rationes. Ut primo per accidentia propria ; *ex : g.* Si Alexandrum magnum deſcribas *Philippi Macedonis filium, regni Perſici everſorem, tertiæ monarchiæ primum & maximum principem.* Secundo, per cauſas, materiam, efficientem, et finem, Ut cum eclipſis lunaris deſcribitur, *defectus luminis in luna ob interpoſitionem terræ inter eam & corpus ſolis ;* et horologium, *machina ferrea, aut æ-*

nea,

nea, variis rotis constans, quarum motus regularis idoneus est ad horas indicandas.

5. Canones definitionis, præsertim accuratæ, et perfectæ, si modo ulla quæ a nobis fit, perfecta dici potest, sunt præcipue quatuor. Can: 1. *Definitio debet esse clara, seu perspicua:* Secus enim rem non explicabit. Hinc tradi debet vocibus usitatis, et omni ambiguitate liberis; aut quarum ambiguitas, si qua fuerit, per distinctionem tollitur. Item per attributa notiora re definienda, quatenus tali nomine subest: hoc est, quæ vel per se nota sunt; ut cum ens definitur, *cui non repugnat existere:* vel quæ per priorem aliquam definitionem explicantur, ut cum parallelogrammum definitur, *planum quatuor lineis comprehensum, ex quibus binæ oppositæ ubique æquidistantes sunt*, per se notum est ei qui linguam latinam callet, quid quatuor lineæ, quid lineæ oppositæ, et æquidistantes significent. *Planum* autem per definitionem superiorem explicatur, adeoque supponitur per eam notum. Quod si in definitione aliquid ponere cogamur, quod nec per se, nec per ullam definitionem præcedentem manifestum est, illud statim est explicandum. Ut cum definitur homo, *animal ratione præditum*, ex superiori doctrina animalis, (si modo totam doctrinam animalium aut viventium methodice tradendam suscepimus,) intelligitur quid *animal*. Quia autem

nondum

nondum ſatis conſtat, quid ſit *ratio*, qua hominem præditum eſſe dicimus, ſtatim dicemus, rationem eſſe *facultatem illam per quam percipimus res quæ in ſenſus non incurrunt, et colligimus unam veritatem ex alia.* Et tam diu procedendum eſt in terminorum explicatione, dum ad attributa ſatis nota perveniamus.

6. Hinc, definire per attributa, quæ æque obſcura ſunt ac ipſum definitum, non eſt vere definire, ſed nugari. Ut cum quidam definiunt actionem, *per quam dicimur agere*; aut *per quam effectus procedit ab agente*; aut cum qualitas definitur, *per quam ſubjectum quale denominatur.* Æque enim obſcurum eſt quid ſit *agere*, & *agens*, qua tale, quam quid ſit actio; et quid ſit ſubjectum eſſe *quale*, aut *tale*, quam quid ſit qualitas. Idem vitium committitur, cum definitio *circularis* eſt: hoc eſt, cum unum per aliud, et hoc rurſus per illud explicatur. Ut ſi actio definiatur, *per quam effectus procedit ab agente*, et effectus rurſus, *qui per actionem efficientis producitur.* Sic enim actio per effectum, et effectus per actionem explicatur, adeoque idem per ſeipſum.

7. Can: 2. *Definitio debet eſſe univerſalis*, hoc eſt convenire debet omnibus quæ in extenſione rei definiendæ continentur. Secus enim non totam rem, ſed partem illius duntaxat explicabit. Unde habitus non rec-

te

te definitur, *disposítio mentis ad facile & expedite agendum crebris actibus acquisita.* Sunt enim habitus quidam, qui nullo actu ejus cui insunt, prævio, acquiruntur, sed divinitus infunduntur. Ut igitur hæc definitio universalis sit, dicendum est, *habitum esse dispositionem facile & expedite agendi, adventitiam.*

8. Can. 3. *Debet totam rei essentiam undecunque comprehendere.* Nec enim aliter perfectam, et adæquatam rei ideam exhibebit. Et offendetur mens audientis, si partem aliquam essentiæ omissam deprehendat. Male igitur definitur *tempus*, (ut reliqua nunc prætereamus,) *mensura motus*, quia *mensurare quietem* ad essentiam temporis æque pertinet, ac mensurare motum. Non tamen necesse est omnia attributa rei expresse commemorare; sed sufficit quædam exprimere, in quibus reliqua omnia continentur. Supervacaneum enim foret, ea expresse ponere, quæ in illis quæ necessario assumenda sunt, continentur. Ut cum *hominem* definimus, non necesse est dicere hominem esse *ens, substantiam, corpoream, viventem, sensu & ratione præditum* quia *vivens* continetur in *sensu & ratione præditum: substantia corporea* in *vivente & ens* in *substantia.* Sufficit igitur dicere, hominem esse *animal ratione præditum.* In *animali* enim, omnia reliqua attributa hominis communia continentur.

9. Can:

9. Can : 4. *Definitio debet esse propria*, hoc est, soli rei definitæ, et nulli alii convenire. Aliter enim non erit definitio rei definiendæ, sed alicujus aliûs. Male igitur definiretur *spiritus*, *substantia sensu imperceptibilis* : quia multæ sunt partes materiæ adeo exiles, ut nullo sensu percipi possint. Hinc si canonem secundum huic adjicias, sequetur *definitionem debere esse reciprocam :* hoc est soli definito convenire, et omnibus quæ in extensione illius continentur. Et hæc de definitione in præsenti sufficiant.

10. *Divisio* similiter, alia *vocis* est, quæ *distinctio* vulgo nuncupatur ; scilicet cum variæ illius significationes enumerantur. Distinctione autem opus est, si vox sit ambigua, seu homonyma ; ut *jus* nunc denotat id quod sorbetur, nunc id quod in judiciis dicitur. Vel si aliquando proprie, aliquando tropice significet : ut *caput* proprie significat eam partem animalis, quæ sensuum sedes est ; tropice vero quandoque supremam partem cujusvis rei ; quandoque gubernatorem; *&c.* Denique si nunc latius, nunc strictius accipiatur : ut ars quandoque significat quamlibet disciplinam : quandoque illam solam quæ practica est, et versatur circa ea, quæ per se, nec sunt bona moraliter, nec mala.

11. Alia est *divisio rei*, nempe, *totius*, in omnia quæ continet, *partitio*. Estque vel totius essentialis, (ut vocatur,) in partes essentiales

tiales physicas; ut cum *homo* dividitur in corpus, mentem, et utriusque unionem; quæ cum definitione, per partes essentiales factâ coincidit; vel totius integralis; cum partes integrantes distincte enumerantur, ut de *corpore humano* fit in Anatomice. Vel totius universalis, quæ maxime proprie divisio est, nempe, cum genus aut species dividitur in sua inferiora: aut *animal* in hominem & bestiam, *homo* in doctum & indoctum, probum & improbum. Ad divisionem etiam totius essentialis pertinet distinctio attributorum essentialium, quæ *precisio* seu *abstractio* dici solet, de qua supra: ut si dicas spiritus attributa communia esse *ens* & *substantiam*; propria esse *virtutem percipiendi, appetendi*, et *seſe movendi*.

12. Sunt & alia divisionum genera, quæ distinctionis gratia *distributiones* vocantur. Ut cum causa efficiens distribuitur per varios effectus; *ex: g. Planta* in exiccantem & humectantem. Aut effectus per varias causas efficientes, a quibus oritur; ut cum *motus* dividitur in eum qui est a principio intrinseco ipsius rei quæ movetur, et in eum qui est ab extra. Vel subjectum per varia adjuncta, ut *homines* in eruditos, et rudes, divites, et pauperes, &c. Vel denique cum adjunctum distribuitur per varia subjecta, quibus inesse solet; ut *bona* in ea quæ sunt animi, et in ea quæ sunt corporis.

13. Ca-

13. Canones Diviſionis præcipui ſunt qui ſequuntur. Can. 1. *Diviſio debet eſſe integra*, ſeu *adæquata* termino dividendo; hoc eſt, debet omnia illius membra exprimere. Ratio patet, quia ſecus ſi fiat, non dividitur tota res, ſed tantum aliqua illius pars: ut ſi homines diſtribuas in ſanos, et ægros. Dantur enim duo alia membra, nempe illi qui ad morbum inclinant, et qui ad ſanitatem e morbo aliquo vergunt. Non tamen omnia membra, ſeu partes, expreſſe, et particulatim, exprimere neceſſe eſt: ſed ſufficit pauca enumerare, quæ illa omnia complectuntur. Sic *par*, et *impar*, recte numerum dividunt, quia omnis numerus eſt par, vel impar.

14. Can: 2. *Membra debent eſſe immediate oppoſita. Oppoſita* dico vel contradictorie; ut cum objectum mentis noſtræ dividitur in *ens* & *non-ens*; vel privative; ut ſi dividas *oculum* in videntem & cæcum; vel contrarie; ut cum dividitur *marmor* in album & nigrum; vel ad minimum diſparate, nec major oppoſitio neceſſaria eſt. Hinc alterum membrum in altero non debet ita includi, ut de eo poſſit affirmari. Poteſt tamen alio modo in eo includi, nempe, ut pars in toto. Sic recte dividitur *extenſio* in longitudinem, latitudinem, et profunditatem; licet latitudo longitudinem, et profunditas utramque includat; quia nulla ex

iis de altera poteſt affirmari. Sed male dividitur *vivens* in animal, et hominem; quia *animal* eſt attributum hominis, et *homo* animali non opponitur, ſed ſubordinatur. Subordinata autem non pugnant. Immediate autem oppoſita eſſe debent in latitudine rei dividendæ, (ut rationale & irrationale in latitudine animalis;) quia aliter diviſio non erit adæquata, hoc eſt, non exhauriet totum dividendum, contra canonem priorem. Ut ſi dividas *actiones* humanas in bonas, et malas; datur enim tertium, nempe actio indifferens, quæ nec moraliter bona eſt, nec mala.

15. Can. 3. *Si membra plura ſint, quam quæ unica diviſione commode ſumi poſſint, prius ſumenda ſunt illa, quæ immediate toti conveniunt, & hæc denuo ſubdividenda.* Incommodum autem erit omnia membra unica diviſione comprehendere, ſi plura ſint, quam ut mens ad ea ſimul attendere, aut memoria facile tenere poſſit: ut ſi in decem, aut viginti membra, aliquid dividas. Nec tamen, cum Ramiſtis, curioſe ſectanda eſt *Dichotomia*, ſeu bibembris partitio: ſed brevitatis cauſa, et ne memoria nimia diviſione gravetur, dividere licet per tria aut quatuor membra aut etiam plura. Sic ſatis recte dividitur *magnitudo* in lineam, ſuperficiem, et corpus, nec opus eſt (ut a Ramo fit) primo eam dividere in lineam, et lineatum; et

tum

tum rursus lineatum in superficiem, & corpus.

CAP. XXV.

De Syllogismo simplici & Enthymemate.

1. SEquitur *discursus*, seu *argumentatio*, quæ Græcis συλλόγισμος, *syllogismus* dicitur, de quo quintum præceptum generale est, ut *illius genera & modi exponantur*. Est autem discursus, seu argumentatio in genere, illa mentis operatio, in qua, ex pluribus propositionibus, quarum veritas, aut falsitas, jam manifesta est, aut esse videtur, inferimus aliam esse veram, aut falsam, quæ prius obscura erat, aut cogitationi nostræ non occurrebat. Brevius, est in qua unum judicium ex aliis elicimus, aut unam propositionem ex aliis colligimus. Aristoteles definit, λόγον, ἐν ᾧ τεθέντων, τινῶν ἕτερόν τι τῶν κειμένων, ἐξ ἀναγκης συμβαίνει, τῷ ταῦτα εἶναι. Id est, *Orationem, in qua, quibusdam positis, diversum quid a positis, necessario sequitur, eo quod hæc sint.*

2. Syllogiſmus conſiderandus eſt, vel ratione *formæ*, vel ratione *materiæ*, hoc eſt rerum ſeu propoſitionum de quibus inſtituitur: Ratione formæ dividitur in *rectum*, et *vitioſum*: et uterque in *ſimplicem* & *compoſitum*. Syllogyſmus ſimplex eſt, cujus termini, qui expreſſe ponuntur, non poſſunt plures ſyllogiſmos conficere: compoſitus contra. Rurſus, ex ſyllogiſmis ſimplicibus, alius eſt, qui ex omnibus propoſitionibus ſimplicibus, aut ſaltem complexis, (ut diſtinctionis gratia vocantur,) conflatur; alius qui ex una, aut pluribus compoſitis.

3. In omni Syllogiſmo ſimplici, tres ſunt propoſitiones, nec plures, nec pauciores, quæ omnes, vel exprimuntur, vel una, aut etiam duæ ſubintelliguntur. Ex quibus illa quæ infertur, ſeu concluditur, ante probationem quidem *quæſtio*, et *quæſitum*, poſtquam vero probatur, *concluſio*, et *illatio* dicitur: ſed duæ quæ inferunt, et probant *præmiſſæ* vocantur, ſcilicet, quia, ordine cogitandi priores ſunt concluſione, licet ordine loquendi ſæpe eam ſequantur. Ut ſi dicas *multos officium propter res adverſas deſerere, quia Deo non fidunt*. Ubi concluſio, in ordine ſermonis, ante probationem ponitur: et altera præmiſſarum ſuppreſſa eſt.

4. In ſyllogiſmo tribus propoſitionibus ſimplicibus conſtante, tres tantum ſunt termini ſimplices: in eo vero qui compoſitis

aut

aut complexis conſtat, poſſunt eſſe plures; ſed qui omnes ad tres reduci poſſint. In eo enim caſu, plures termini ſimplices unius vice funguntur. Ex his duo vocantur *extrema*, tertius *medium*, ſeu *medius terminus* dicitur. Extrema ſunt partes quæſtionis concludendæ, ſeu concluſionis inferendæ: et attributum dicitur *majus extremum*; ſubjectum *minus*. Medium vero eſt quod extrinſecus aſſumitur, ad identitatem vel diverſitatem extremorum, (prout concluſio affirmans vel negans eſſe debet,) inter ſe, probandam. Ea enim eſt mentis noſtræ indoles, ut, cum, propoſitione aliqua ipſi obverſante, ambigit, an attributum ſubjecto conveniat necne, tertium aliquem terminum aſſumere ſoleat, qui clarius vel cum utroque connectitur, aut cum altero connectitur, alteri vero repugnat; clarius (inquam) quam extrema inter ſe; indeque judicium facit de eo quod ante incognitum, aut intectum fuit, nempe de convenientia, aut repugnantia duorum inter ſe.

5. Unde medium, ut officio iſthoc fungatur, cum utroque extremo conferendum eſt. Quemadmodum ad dubiam duarum quantitatum magnitudinem explorandam, menſuram aliquam notæ quantitatis utrique applicamus, per quam conſtare poſſit, ſintne inter ſe æquales, an ſecus. Et ex collatione medii cum majori extremo, exurgit altera præmiſſarum, quæ *major propoſitio*, & *prima*

propoſitio dicitur. Ex ejuſdem vero collatione cum minori extremo, naſcitur altera, quæ *minor propoſitio*, *aſſumptio*, et *ſubſumptio* nuncupatur. *Ex. g.* Si quæſtio ſit, *an ulla voluptas ſit bona*; *bonum* eſt majus extremum, *voluptas* minus: ad eam igitur probandam affirmative, pro medio aſſumatur tertius terminus, nempe, *id quod naturæ congruum eſt.* Hoc autem primo conferatnr, ſeu conjungatur cum majori extremo; et habes majorem propoſitionem, ſcilicet, *quicquid eſt naturæ congruum eſt bonum*: deinde cum minori, et habes minorem propoſitionem; nempe *quædam voluptas eſt naturæ congrua*: et his poſitis, conſtat veritas concluſionis, & inferre licet, *quædam igitur voluptas eſt bona.*

6. In mente ratiocinante igitur, ſemper ſunt tres propoſitiones: ſed in oratione, ut ſupra innuimus, una, aut etiam duæ earum, ſubticentur, tanquam quæ facile ab auditore ſuppleri poſſint. Qua loquendi formula aliquid illius ingenio deferimus, qui malit quædam ſibi ſubintelligenda relinqui, quam ſingula exprimi: quin & ſic oratio longe venuſtior eſt, et efficacior; utpote, quæ, cum obſcura non fit, verbis contracta, ſenſu abundat. Quandoque ſupprimitur ipſa concluſio, ſæpius vero altera præmiſſarum, præſertim major, quæ generalior plerumque eſt, et facilius ſuppletur. Et in caſu poſteriori, ſyllogiſmus *Enthymema* dicitur; ſcilicet

ab

ab ἐνθυμεῖσθαι, hoc eſt, a cogitando; quia in eo, altera præmiſſarum in mente latet. Et ejuſmodi argumentandi formulæ adeo frequentes ſunt, ut rarius in ſermone communi, alias quæ ambas præmiſſarum exprimant, reperias. Ut, *ſervare potui*; *perdere an poſſim rogas. Mortalis cum ſis, ne geras odium immortale.* Hoc eſt, *potui ſervare*; *Ergo poſſum perdere: Mortalis es*; *Ergo ne geras odium immortale.*

7. In enthymemate, cum duabus propoſitionibus conſtat, altera quæ infert et probat, *antecedens*, altera, quæ infertur & concluditur, *conſequens* dicitur. Et ambæ ſæpius in unam coeunt, quam Ariſtoteles ſententiam *enthymematicam* appellat. Et plerumque propoſitio cauſalis aut hypothetica eſt; ut *ex ignorantia cauſarum naſcitur admiratio*; id eſt, homines cauſas rerum ſæpe ignorant, et idcirco mirantur. *Si juſtitia eſt per legem, Chriſtus fruſtra mortuus eſt*: quod idem eſt, ac ſi dictum fuiſſet, *Chriſtus non eſt fruſtra mortuus, ergo juſtitia non eſt ex lege.* Et ſi minus extremum ſit in antecedente, ſuppreſſa eſt major: ſin majus, ſuppreſſa eſt minor. Ut in hoc, *mortalis es*, ergo *ne geras odium immortale*, ſuppreſſa eſt major, nempe, hæc, *nullus mortalis odium gerere debet immortale. Tu* enim, quod minus extremum eſt, in antecedente intelligitur. Et in hoc, *qui poteſt ſervare, poteſt etiam perdere*;

dere; ergo *Deus poteſt quemlibet e malis perdere*, ſupprimitur minor, nempe, *Deus poteſt ſervare*. Nam majus extremum, ſcilicet, *poteſt perdere*, eſt in antecedente. Quod ſi neutrum extremorum in antecedente compareat, ſuppreſſa quidem eſt major, ſed hypothetica: ut in hoc, *Deus eſt*; ergo, *bene erit cum bonis*, ſuppreſſa eſt major hypothetica, *ſi Deus eſt, bene erit cum bonis.*

CAP. XXVI.

De figuris & modis ſyllogiſmorum, propoſitionibus ſimplicibus, aut complexis conſtantium.

1. QUamvis in ſermone communi, raro aut nunquam occurrant integri ſyllogiſmi, hoc eſt, in quibus utraque præmiſſarum & concluſio, diſertis verbis exprimuntur; in diſputationibus tamen præſertim illis, in quibus de rebus difficilibus tractatur, aut cum nobis res eſt cum adverſario præfracto, qui ingenue agere nolit, aut cum illis, qui ſtupidi vel infirmo ingenio

ſunt, et vim rationum noſtrarum, conciſiori forma propoſitarum, haud percipiunt, ut ordinatius, et minori cum errandi periculo procedamus, alioſque facilius convictos teneamus, integra forma obſervanda eſt.

2. Conſiſtit autem forma ſyllogiſmi in *figura*, et modo. Figura eſt diſpoſitio medii cum extremis: qandoque enim illis ſubjicitur quandoque de illis prædicatur. Modus eſt trium propoſitionum, ſecundum quantitatem, et qualitatem, determinatio. Quantitas eſt univerſalitas, et particularitas; qualitas vero eſt affirmatio & negatio.

3. Syllogiſmorum propoſitionibus ſimplicibus aut complexis conſtantium, aut ex illis quæ compoſitæ vocantur, ſed eundem ſenſum cum ſimplicibus habent, et ad illas facile revocantur, quatuor poſſunt eſſe figuræ, pro varia diſpoſitione, quam medium cum extremis obtinere poterit: licet tres tantum uſurpari ſoleant, et neceſſariæ ſint. Vel enim medium majori extremo ſubjicitur, et de minori prædicatur, quæ prima figura eſt: vel de utroque prædicatur, quæ ſecunda; vel utrique ſubjicitur, quæ tertia: vel denique de majori extremo prædicatur, et minori ſubjicitur, quæ quarta; et figura Galeni vocatur, quia is eam vel primus obſervavit, vel ab aliis obſervatam propugnavit.

4. Modi diſtinguuntur in *univerſales*, et *ſingulares*,

ſingulares. Univerſales vocantur, in quibus utraque vel ſaltem altera præmiſſarum, eſt univerſalis. Singularis vero, in quibus utraque eſt ſingularis. In primis tribus figuris, modi univerſales recte concludentes, quatuor ſunt in prima figura, quatuor in ſecunda, ſex in tertia, qui memoriæ cauſa, et propter alios uſus (de quibus poſtea) his vocibus deſignantur, et quatuor verſiculis continentur.

Barbara, Celarent, Darii, Ferio dato primæ:
Cæſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco ſecundæ:
Tertia *Darapti* ſibi vendicat, atque *Felapton*
Adjungens *Diſamis, Datiſi, Bocardo Feriſon.*

5. In his vocibus, quatuor notandæ ſunt vocales, quæ quantitatem, et qualitatem ſingularum propoſitionum indicant. A, igitur denotat propoſitionem univerſalem affirmantem: E, univerſalem negantem; I, particularem affirmantem: O, particularem negantem; ut in diſticho vulgari,

Aſſerit A, negat E, verum generaliter ambo:
Aſſerit I, negat O, ſed particulariter ambo.

Exempla Modorum
Primæ Figura.

Bar- *Quiſquis fame perire ſinit, quos tenet-*

tur

tur paſcere, homicida eſt.

ba- *Omnes divites, qui eleemoſynas non erogant, publica fame graſſante, perire ſinunt eos quos tenentur paſcere.*

ra- *Omnes* igitur *divites iſtiuſmodi ſunt homicidæ.*

Ce- *Nullus fur impœnitens ſalvari poteſt:*

la- *Omnes qui moriuntur, aucta re e bonis alienis, quæ noluerunt reſtituere, ſunt fures impœnitentes:*

rent. *Nullus* igitur *eorum ſalvari poteſt.*

Da- *Quicquid prodeſt ad ſalutem, bonum eſt.*

ri- *Quidam dolor prodeſt ad ſalutem.*

i. *Quidam* igitur *dolor eſt bonus*

Fe- *Id, cujus poſtea oportet nos pœnitere, non eſt amplectendum:*

ri- *Sunt quædam voluptates, quarum oportet poſtea nos pœnitere:*

O. *Quædam igitur voluptates non ſunt amplectendæ.*

Exempla Modorum Secundæ Figuræ.

Cæ- *Nullus mendax eſt fide dignus:*

Sa- *Omnis pius eſt fide dignus:*

re. *Nullus* igitur *pius eſt mendax.*

Ca- *Quicunque ſunt Chriſti, crucifigunt carnem ſuam:*

mes- *Qui vitam agunt mollem, et voluptuariam,*

tuariam, *non crucifigunt carnem ſuam.*

tres. *Nullus* igitur, *ictiuſmodi eſt Chriſti,*
Feſ- *Nulla virtus eſt contraria amori veritatis.*
ti- *Quidam amor pacis eſt contrarius amori veritatis:*
no. *Quidam* igitur *amor pacis non eſt virtus*
Ba- *Omnis virtus prudentiam comitem habet;*
ro- *Quidam Zelus prudentiam comitem non habet;*
co. *Quidam* igitur *Zelus non eſt virtus.*

Exempla Modorum Tertiæ Figuræ.

Da- *Immenſitas Dei eſt incomprehenſibilis;*
rap. *Immenſitas Dei eſt certiſſima:*
ti. *Quoddam* igitur, *quod certiſſimum eſt, incomprehenſibile eſt.*
Fe- *Nullus poteſt ſeipſum deſerere:*
lap- *Quidam eſt ſui ipſius hoſtis:* (nempe omnis improbus)
ton. *Sunt* igitur *hoſtes qui deſeri non poſſunt.*
Di- *Quidam impii divitiis affluunt:*
ſa- *Omnes impii ſunt miſeri:*
mis- *Quidam* igitur *qui miſeri ſunt, divitiis affluunt.*

Da-

Da-ti-fi- *Omnes Dei amici ſunt reges:*
Quidam amici Dei ſunt pauperes;
Quidam igitur *pauperes ſunt reges.*

Bo-car-do. *Non omnis ira reprehendi debet:*
Omnis ira eſt paſſio:
Non igitur, *omnis paſſio reprehendi debet.*

Fe-ri-ſon. *Nullæ ineptiæ ſunt elegantes:*
Quædam ineptiæ ſunt figuratæ:
Ergo, *non omnia figurata ſunt elegantia.*

6. Modi quartæ figuræ minime neceſſarii ſunt: omnes enim quæſtiones ſatis commodè, in aliqua ex tribus prioribus, concludi poſſunt. Diſpoſitio etiam terminorum in ipſis ſæpe coacta, et parum naturalis eſt, nec genio mentis noſtræ accidet: conſequentia denique concluſionis ex præmiſſis minus clara. Interim tamen, ut perfectam omnium ratiocinationum humanarum rationem reddamus, exempla eorum reliquis ſubjiciemus. Quinque ſunt modi univerſales recte concludentes in quarta figura, quí his vocibus, memoriæ cauſa exprimi poſſunt, Barbari, Calentes, Dibatis, Feſpamo, Freſiſom. Exempla ſequuntur.

Bar-ba- *Omnia miracula naturæ ſunt ordinaria:*
Quæ ordinaria ſunt, ſine admiratione ſpectantur:

ri-

ri. *Quædam* igitur *ſine admiratione ſpectantur, quæ tamen ſunt miracula naturæ.*

Ca- *Omnia mala hujus vitæ, brevi tranſitura ſunt:*

len- *Quæ brevi tranſitura ſunt, non ſunt maxime timenda.*

tes. *Nullum* igitur *e malis maxime timendis, eſt malum hujus vitæ.*

Di- *Aliquis ſtultus bona ſuadet:*

ba- *Omnis qui bonum ſuadet, eatenus dignus eſt, quem ſequamur.*

tis. *Aliquis* igitur, *aliquatenus dignus eſt quem ſequamur qui tamen eſt ſtultus.*

Fes- *Quod Deum autorem habet, non eſt pœna dignum:*

pa- *Quicquid eſt pœna dignum, eſt a voluntate creaturæ rationalis.*

mo. *Quoddam* igitur *eſt a voluntate creaturæ rationalis, quod Deum non habet autorem.*

Fre- *Nullus miſer eſt æquanimus.*

ſi- *Quidam æquanimus eſt pauper;*

ſom. *Aliquis* igitur *pauper non eſt miſer.*

CAP.

CAP. XXVII.

Fundamenta & regulæ ſyllogiſmorum Simplicium.

1. FUndamenta recte ratiocinandi generalia, ſequentibus axiomatis continentur. Axioma 1. *Quicquid vere affirmatur de univerſali affirmari poteſt de omnibus quæ in extenſione illius continentur :* et *quicquid vere negatur de univerſali, negatur etiam de omnibus quæ in extenſione illius continentur.* Ut ſi de homine vere affirmetur quod morti obnoxious ſit, id etiam de hoc & illo homine, in hoc mundo degenti, vere affirmatur. Et ſi homo, ſalvatore excepto, non natus eſt purus a labe peccati, neque hic aut ille, aut alius quiſpiam natus eſt purus. Ratio axiomatis eſt quia, univerſale, nihil aliud eſt reipſa quam omnia hujus aut illius generis, ſingularia, in quantum conveniunt.

2. Priori hujus axiomatis parti, quæ *dictum de omni* vulgo vocatur, nituntur ſyllogiſmi univerſales affirmantes : poſteriori quæ *dictum de nullo* dicitur, univerſales negantes. Excipe tamen ab axiomate iſthoc, attributa illa, quæ ipſam termini univerſalitatem,

tatem, ſive in communi, ſive in ſpecie denotant. Non enim verum eſt, ſi animal ſit univerſale, aut genus, vel ſpecies, etiam unumquodque ex animalibus, eſſe univerſale, genus, aut ſpeciem; ut individua omnia animalium. Verum igitur eſt axioma de univerſali *ſpecificative* ſumpto, ſeu in *actu exercito*, non autem *reduplicative*, ſeu in *actu ſignato*. Excipe etiam attributa contingentia: non enim ſequitur, homo eſt Grammaticus; ergo hic & ille homo Grammaticus eſt.

3. Axioma. 2. *Propoſitiones particulares & ſingulares in univerſalibus continentur*, ſed *non viciſſim*: et *in ſingularibus particulares, iiſdem attributis conſtantes continentur*, ſed *non viciſſim*, ut in hac, *omnis homo* in hoc mundo degens, *eſt morti obnoxius*, continetur hæc, *hic homo* & *ille* & *reliqui ſunt morti obnoxii*. Et in hac, *Plato de rebus divinis aliquando recte diſſeruit*, continetur hæc, *aliquis Ethnicus de rebus divinis aliquando recte diſſeruit*. Prior pars de propoſitionibus particularibus in univerſali contentis, nititur axiomate priori, ejuſque ratione, ut attendenti patebit: poſterior ex eo apparet, quod totum non continetur in una aliqua parte, ſed contra. Propoſitio autem univerſalis, ad particulares eiſdem terminis conſtantes, totum quoddam eſt. De propoſitionibus vero particularibus in ſingularibus contentis

tentis, ratio prioris partis est, quod singulare potest indeterminate concipi; ut Plato sub ratione alicujus ethnici, philosophi, *&c.* posterioris vero, quod particulare non necessario sit hoc aut illud singulare determinate, sed hoc vel illud indeterminate.

4. Axioma. 3. *De quocunque dicitur res aliqua, de eo etiam dicuntur omnia attributa quæ in idea illius continentur: sive, idea affirmatur secundum totam comprehensionem.* Ut si *animal* vere dicitur de homine, de eo etiam dicentur *vivens*, *sensitivum*, *mortale*, *corporeum*, *substantia*, *ens*, et si quæ alia sunt animalis attributa essentialia, aut necessaria. Ratio est, quia attributa essentialia rei, non distinguuntur a re, nisi vel ratione, vel inadæquate, adeoque secundum id quod directe significant, cum illa idem sunt.

5. Axioma. 4. *De quocunque negatur res aliqua, de eo etiam negantur omnia rei istius attributa propria*; non autem omnia simpliciter. Ut si de *simia* recte negetur *esse hominem*, de ea etiam negantur *esse ratione* et libertate agendi præditam, *esse sub lege*, *esse capacem beatitudinis*, aut *miseriæ*, et quæcunque alia sunt homini propria. Ratio est, quia attributa propria rei, nulli alii convenire possunt. Adeoque si res negetur, illa etiam per consequens negantur. Non tamen negantur communia: quia sublata aliqua re cui conveniunt, non tollitur omnis res qui-

bus convenire poſſint, adeoque nec ipſa tolluntur.

6. Axioma. 5. *Attributum in propoſitione affirmante, non extenditur ultra extenſionem ſubjecti:* adeoque ſemper *ſumitur particulariter*; ſed *in negante in tota extenſione ſumitur:* ut ſupra oſtendimus, cap. 23. 6.

7. Axioma. 6. *Medium, in eodem ſyllogiſmo, non poteſt eſſe, niſi unicum.* Si enim duplex ſit, non poteſt menſurare, ſeu declarare identitatem, aut diverſitatem extremorum. Sicut per duas quantitates inæquales, non poſſumus definire, ſintne duæ aliæ æquales, an inæquales.

8. Axioma. 7. *Quæ ſunt eadem uni tertio ſingulari, ſunt eadem inter ſe: et quorum unum idem eſt cum aliquo tertio, aliud cum eodem non eſt idem; illa ſunt diverſa a ſeinvicem.* Huic axiomati innituntur ſyllogiſmi ſingulares, et priori quidem parti, affirmantes; poſteriori, negantes. Horum enim duo tantum ſunt modi; alter in quo concluſio affirmans eſt; alter in quo eſt negans. Formari quidem poſunt in ſingulis figuris. Sed quia in illis medium ſemper eſt ſingulare, ſingularia autem aptius ſubjiciuntur quam prædicantur, idcirco rectius fiunt in tertia figura quam in reliquis. In ea enim medium ſubjicitur.

Exem-

Exempla ſyllogiſmorum ſingularium In prima Figura.

O' λόγος eſt verus Deus:
Salvator mundi eſt ὁ λογος:
Ergo, *Salvator mundi eſt verus Deus.*
Meſſias non eſt natus in urbe Nazareth:
Jeſus Chriſtus eſt Meſſias:
Ergo, *Jeſus Chriſtus non eſt natus in urbe Nazareth.*

Exemplum in ſecunda Figura.

Judas Iſcariota prodidit Chriſtum:
Judas qui ſcripſit unam ex epiſtolis apoſtolicis, non prodidit Chriſtum:
Ergo *Judas qui ſcripſit illam epiſtolam, non fuit Judas Iſcariota.*

Exempla in tertia Figura.

David fuit vere pius:
David in gravia peccata incidit:
Ergo, *qui vere pii ſunt in gravia peccata incidere poſſunt.*
Judas proditor non fuit regenitus ſed hypocrita:
Judas proditor fuit Apoſtolus & vocatus eſt a Chriſto ad evangelium prædicandum:
Ergo, *homines irregeniti & hypocritæ, vocari poſſunt a Chriſto ad evangelium prædicandum.*

9. Syllogiſmorum recte concludentium *regulæ*, vel ſunt *communes* omnibus figuris, vel ſingulis *peculiares*. Communes ſunt præcipue quæ ſequuntur. Regula 1. *In ſyllogiſmo univerſali, medius terminus ſemel ſaltem univerſaliter ſumi debet.* Si enim bis ſumatur particulariter, poſſunt eſſe duo media, contra *Ax:* 6. Nam idem terminus nota particularitatis bis affectus, poteſt ſignificare partes totius adæquate diverſas: ut cum dicimus, *aliquis homo currit; aliquis homo non currit.*

10. Reg. 2. *Termini concluſionis, ſeu duo extrema, non debent univerſalius ſumi in ipſa concluſione, quam ſumuntur in præmiſſis.* Ratio eſt, quia per axioma 2. A particulari ad univerſale, ſeu ab una parte ad totum, non valet conſequentia.

11. Reg. 3. *Ex duabus propoſitionibus negantibus nihil concluditur.* Illæ enim medium ab utroque extremo ſeparant. Ex eo autem quod duo ſeparentur ab eodem tertio, nec ſequitur ea eſſe unita, nec ſeparata.

12. Reg. 4. *Concluſio negativa probari nequit per duas præmiſſas affirmativas.* Quia ex eo, quod duo uniantur cum aliquo tertio, non ſequitur ea non eſſe unita inter ſe, ſed contra.

13. Reg. 5. *Concluſio ſequitur partem debiliorem præmiſſarum.* Debilior autem eſt negans, quæ tantum dicit rem non eſſe, quam

quam affirmans; quæ dicit eſſe. Et debilior eſt particularis, quæ partem unicam dicit, quam univerſalis quæ totum. Quocirca ſi altera præmiſſarum ſit negans, concluſio eſt negans: et ſi altera præmiſſarum ſit particularis, concluſio erit particularis. Ratio prioris partis eſt, quia, cum extrema in concluſione uniantur inter ſe, vi unionis eorundem cum medio, ſi alterum eorum ſejungatur a medio in præmiſſis, non poſſunt vi illius in concluſione uniri inter ſe. Poſterioris vero, quia, ſi pars tantum alterius extremi, cum medio uniatur, aut ab eo ſeparetur in præmiſſis, non poteſt, vi illius, concludi extrema ſecundum ſe tota, eſſe unita, aut ſeparata.

14. Reg. 6. *Ex duabus particularibus, nihil concluditur.* Ratio eſt, quia termini particulares ſunt incertæ ſignificationis. Adeoque non neceſſario idem ſignificant in utraque præmiſſarum: ut ſi quis argueret *aliquem hominem non eſſe doctum*, et *aliquem hominem eſſe philoſophum*, adeoque *aliquem philoſophum non eſſe doctum*; manifeſtum eſt aliquem hominem pro uno in majori, pro alio in minori accipi.

15. Reg. 7. *In ſyllogiſmo ſimplicibus terminis, aut etiam complexis conſtante, non poſſunt eſſe plures termini totales adæquate diverſi, quam tres.* Unum enim medium non poteſt connectere aut disjungere immediate

plura quam duo extrema. Sæpe tamen tres tantum videntnr eſſe termini, cum revera ſunt plures: ſcilicet cum aliquis terminus aliter in majori ſumitur, quam in minori. Et in illo caſu committitur ſophiſma *homonymiæ*, aut *amphiboliæ*, ut,

Omnis canis eſt animal latrabile:
quoddam ſignum cæleſte eſt canis:
quoddam igitur *ſignum cæleſte eſt animal latrabile.*

Ubi vox *canis*, in majori, *animal* ſignificat, in minori *conſtellationem*. Similiter hic

Qui laterem lavat, operam perdit:
qui plateam Amſtelodamenſem lavat, laterem lavat:
Ergo, *qui plateam illam lavat, operam perdit.*

Concluſio eſt falſa: quia multi plateam illam lavando, vitam alunt. Sed *laterem lavare* eſt phraſis ambigua. In majori enim metaphorice ſignificat *laborem fruſtra impendere*. In minori proprie; quia platea amſtelodamenſis lateritia eſt. Item in hoc,

Quod ego ſum tu non es:
at *ego ſum homo:*
Ergo *tu non es homo.*

Ubi

Ubi unum individuum in majori intelligitur, aliud in minori. At in hoc,

Homo eſt ſpecies, et affirmari poteſt de omnibus hominibus:
Petrus eſt homo:
Ergo *Petrus eſt ſpecies & affirmari poteſt de omnibus hominibus.*

Homo in majori indefinite, et abſtracte conſideratur; in minori definite, et concrete, prout reperitur in Petro. Ad ejuſmodi autem ſophiſmata ſolvenda, variæ acceptiones terminorum tenendæ ſunt, quas ſupra tradidimus Cap. 17.

16. Admittit tamen ſyllogiſmus terminos complexos qui plures ſimplices continent, unum tamen totale conſtituunt: ut *omnis homo doctus didicit*: *Ariſtoteles fuit homo doctus*: Ergo *didicit*. Ubi quatuor ſunt termini, *homo*, *doctus*, is *qui didicit* & *Ariſtoteles*. Sed *homo* & *doctus* unum terminum conſtituunt: *doctus* enim eſt modificatio termini *homo*. Admittit etiam quatuor terminos, quorum duo ſunt tantum inadæquate diverſi, id eſt, quorum unus eſt pars alterius: ut cum unus e tribus terminis in altera præmiſſarum univerſaliter accipitur, in altera particulariter. Ut nullus homo eſt immortalis: reges ſunt homines: Ergo non ſunt immortales. In minori enim *homines* ſignificat quoſdam

tantum homines, unde quatuor ſunt termini, nempe, *nullus homo*, *immortalis*, *reges*, et *quidam homines*, ſed *quidam homines* continentur in termino univerſali, *nullus homo* (qui idem denotat ac *omnis* homo *non*,) ut pars in toto.

17. Præterea, in ſyllogiſmo ex propoſitionibus compoſitis, poſſunt eſſe termini multi plures quam quatuor, puta ubi altera, vel utraque præmiſſarum eſt copulativa, diſjunctiva, conditionalis &c. Sed in illo caſu, vel plures termini in unum coeunt, ut in propoſitione copulativa:

ex: g. *Scripta Moſis, Prophetarum & Apoſtolorum ſunt divinitus inſpirata:*
Tota Scriptura ſacra ſunt ſcripta Moſis, Prophetarum & Apoſtolorum:
Tota igitur *Scriptura ſacra eſt divinitus inſpirata.*

Ubi hi tres termini, *ſcripta Moſis, Prophetarum & Apoſtolorum*, unum ſubjectum totale conſtituunt. Vel unum tantum e pluribus ſtatuitur; ut in propoſitione disjunctiva: *Ex: g.*

Aut dies eſt aut nox, aut crepuſculum matutinum, vel veſpertinum.
At *nec nox, nec crepuſculum eſt*:
Ergo *eſt dies.*

Ubi

Ubi e qurtuor terminis in majori, unus tantum indeterminate affirmatur. In minori vero, *nec nox, nèc crepuſculum*, ſunt unus terminus totalis : æquivalet enim huic, *et nox & crepuſculum non eſt.*

18. In propoſitione vero conditionali, connexio, non terminorum ſimpliciuṁ, ſed propoſitionum reſpicitur ; Unde non mirum eſt, ſi plures termini, etiam totales, et principales, quam duo, in ea reperiantur. Sed ubi ſyllogiſmus ex ejuſmodi propoſitionibus conſtat, integræ propoſitiones ſimplices habent rationem terminorum : illæ autem in ſyllogiſmo ſimplici non ſunt plures quam tres : ut in hoc ſyllogiſmo,

Si juſtitia eſt ex lege, Chriſtus fruſtra mortuus eſt :
At Chriſtus non eſt fruſtra mortuus.
Ergo,

Major enim habet hunc ſenſum, *juſtitiam eſſe ex lege infert Chriſtum eſſe fruſtra mortuum*, ubi duo tantum ſunt termini totales. Minor autem idem valet ac *Chriſtum eſſe fruſtra mortuum eſt falſum.* Unde concluſio eſt, *juſtitiam eſſe ex lege eſt falſum.* Jam vero in minori & concluſione, unus tantum eſt terminus, diverſus a duobus prioribus qui majorem conſtituunt. Quocirca in ſyllogiſmo, ſi ſenſum ſpectemus, tres tantum ſunt termini

mini totales. Idem apparebit in ſyllogiſmis illis, qui omnes propoſitiones conditionales habent.

19. Reg. 8. *Ex falſis præmiſſis ſequi poteſt vera concluſio*, non quidem vi materiæ, ſed vi formæ ſyllogiſticæ, ſed *ex veris præmiſſis recte diſpoſitis*, id eſt ſecundum regulas præcedentes, *nihil ſequi poteſt niſi verum*, juxta verſiculum,

Ex falſis verum, ex veris nil niſi verum.

Ut in hoc, *omnis lapis eſt animal : omnis homo eſt lapis ; omnis* igitur *homo eſt animal.* Sequitur tamen verum ex falſis, ex hypotheſi tantum quod eſſent veræ ; ut ex reductione ejuſmodi ſyllogiſmorum ad propoſitiones hypotheticas manifeſtum eſt. Reducatur enim hic ad ejuſmodi propoſitionem, *Si omnis lapis eſt animal, et omnis homo eſt lapis, etiam omnis homo eſt animal* ; conſequens non ſequitur, niſi ex hypotheſi quod antecedens verum ſit.

CAP.

CAP. XXVIII.

Regulæ ſyllogiſmorum ſingulis figuris propriæ : omniumque regularum ad unam reductio. Collatio figurarum de concluſionibus multiplicandis.

1. SUnt etiam regulæ ſingulis aut quibusdam tantum figuris propriæ ; hæ, ſcilicet quæ ſequuntur, Reg. 1. *In prima & ſecunda figura, major propoſitio eſt ſemper univerſalis.* Unde hi non concludunt, *Quidam homo eſt doctus ; omnis infans eſt homo ;* Ergo, *quidam infans eſt doctus. Quidam homo non eſt juſtus : omnis pius eſt juſtus :* Ergo *quidam pius non eſt homo.* Ratio quoad primam figuram eſt, quia ſi major ſit particularis, medius terminus utrobique ſumeretur particulariter, contra primam regulam generalem : quoad ſecundam vero, quia majus extremum latius ſumeretur in concluſione, quam in majori propoſitione contra Reg : 2.

2. Reg. 2. *In prima & tertia figura, minor*

nor ſemper eſt affirmans. Si enim poſſet eſſe negans, ut in his *omnis homo eſt animal; nulla ſimia eſt homo*; Ergo, *nulla ſimia eſt animal*; *Omnis homo poteſt errare, quidam homo non eſt rex*, Ergo *quidam rex non poteſt errare*; ſequeretur majus extremum poſſe latius ſumi in concluſione, quam ſumitur in præmiſſis, contra regulam ſecundam generalem

3. Reg. 3. *In ſecunda figura, altera præmiſſarum eſt negans*: Adeoque ex utraque præmiſſarum affirmante, nihil in ea concludi poteſt, nt, *omnis homo eſt animal: omnis ſimia eſt animal*; ergo, *omnis ſimia eſt homo.* Ratio eſt, quia ſic per axioma 5, medium bis particulariter accipitur, contra regulam gen. 1.

4. Reg. 4. *In tertia figura*, licet utraque præmiſſarum ſubinde univerſalis ſit, *concluſio* tamen *ſemper eſt particularis.* Si enim univerſalis eſſe poſſet, ut in hoc, *Omnis virtus homini lapſo difficilis eſt, omnis virtus eſt expetibilis*; *omne* igitur *expetibile homini lapſo difficile eſt*, minus extremum latius ſumeretur in concluſione, quam in minori propoſitione, contra regulam 2 generalem. Minor enim ſemper affirmans eſt, per regulam ſecundam ſpecialem; adeoque attributum in ea particulariter ſumitur per axioma 5.

5. Regulæ ſpeciales quartæ figuræ ſunt tres. Reg. 1. *Quando major eſt affirmativa, minor*

minor ſemper erit univerſalis. In majori enim affirmativa, medius terminus ſumitur particulariter, cum in ea prædicetur. Ne igitur bis accipiatur particulariter, (contra reg : 1. gen :) oportet eum univerſaliter ſumi in minori, quam univerſalem reddet, cum in illa ſubjiciatur.

6. Reg : 2. *Quando minor affirmativa eſt, concluſio erit particularis.* Minus enim extremum prædicatur in minore, ac proinde quando ipſa affirmans eſt, particulariter accipitur, per axioma 5 : Ergo particulariter etiam accipietur in concluſione. Et idcirco etiam concluſio, in qua minus extremum ſubjicitur, erit particularis.

7. Reg : 3. *In modis negativis, major eſt univerſalis.* Cum enim concluſio ſit negans, majus extremum in illa ſumetur univerſaliter, per axioma 5. Ergo, per regulam ſecundam generalem, univerſaliter ſumetur in majori propoſitione. At in illa majus extremum ſubjicitur ; Ergo, major erit univerſalis. Hæc regula communis etiam eſt ſecundæ figuræ.

8. Atque hæ ſunt regulæ ſyllogiſmorum rectè concludentium, tum generales, tum ſpeciales : contra quas ubicunque peccatur, *paralogiſmus* committitur : et omnes a nupero quodam ſcriptore ad unam revocantur, ad quam procul dubio mens reſpicit ſaltem in actu exercito, cum de nulla ex his omnibus

bus cogitat. Eſt autem hæc; *Debet altera præmiſſarum continere concluſionem, idque ab altera oſtendi* Adeoque in omni ſyllogiſmo ſimplici altera præmiſſarum, ſi ad concluſionem referatur, *continens* eſt, hoc eſt, eam continet: altera *applicativa*, quia hanc in illa contineri pronunciat. Continetur autem una propoſitio in alia, non tantum quando alter terminorum utrobique expreſſe continetur, et alter in alterius, vel comprehenſione, vel extenſione continetur; ut in hac, *omne animal ſentit*, continentur hæ, *homo ſentit*, *beſtia ſentit*, *quoddam vivens ſentit*, *quoddam corporeum ſentit*; ſed etiam cum concluſio quocunque modo connectitur cum aliqua præmiſſarum, modo connexio ſit neceſſaria.

9. Major propoſitio, quia ſæpius univerſalis, ſæpius etiam eſt propoſitio continens. Sed quando ipſa affirmans eſt, concluſio vero negans, minor pro continente habenda eſt. Magis enim conſentaneum eſt, ut affirmans in affirmante, et negans in negante contineatur, quam negans in affirmante, aut affirmans in negante Ut in hoc, *omnis beatus cupiditatibus vacat*: *nullus avarus cupiditatibus vacat*; *nullus* igitur *avarus eſt beatus*. Minor concluſionem continet. *Vacare enim cupiditatibus* quod de avaro negatur, in idea *beati* continetur, ut in majori dicitur. Sed his caſibus exceptis, perinde eſt,

eſt, ſive majorem continentem dicas, ſive minorem. Poteſt enim alterutra concluſionem continere, et alterutra illud oſtendere; ut in hoc, *quiſquis cupiditatibus ſervit, eſt miſer*; *omnis improbus cupiditatibus ſervit*, ergo *omnis improbus eſt miſer*; major continet concluſionem; quia *improbus* & *ſerviens cupiditatibus* neceſſario connectuntur, ut dicit minor. Quin & minor eam continet; quia *miſer* & *ſerviens cupiditatibus* neceſſario connectuntur, ut major pronunciat.

10. Hujus ſolius regulæ beneficio ſolvi poſſunt pleraque ſophiſmata, præſertim illa quæ extra dictionem eſſe dicuntur; nempe, quæ non oriuntur ex varia acceptione, aut ſignificatione verborum. Duo vel tria e difficilioribus proferemus. Sit igitur primum, *Qui dicit te eſſe animal dicit verum*; *at qui dicit te eſſe aſinum, dicit te eſſe animal*: Ergo, *qui dicit te eſſe aſinum dicit verum*. Sophiſma eſt in forma peccans, quia concluſio in neutra ex præmiſſis continetur; non in majori, quia aſinus non continetur in animali indefinite, aut particulariter ſumpto; hoc eſt, cum eo non habet neceſſariam connexionem: adeoque non ſequitur, *haeres eſt aliquod animal*: ergo, *eſt aſinus*. Sumitur autem particulariter & indefinite in majori, quia eſt attributum propoſitionis affirmantis, nempe, hujus, *tu es animal*. Nec continetur in minori; quia perſona *tu*, non

non neceſſario connectitur cum *animali* indeterminate ſumpto : ſic autem ſumitur animal in minori.

Secundum ſophiſma ; *Omnes homines qui ſunt in hoc cubiculo, ſunt in mundo : at duo tantum homines ſunt in hoc cubiculo*, (ſupponamus ita eſſe :) *ſoli* igitur *duo ſunt in mundo.* Ubi concluſio eſt excluſiva, et idcirco continet has duas propoſitiones, *duo ſunt homines in mundo*, quæ vera eſt, et, *nulli alii ſunt in mundo*, quæ falſa. Minor etiam excluſiva eſt, et continet has duas propoſitiones, *duo homines ſunt in hoc cubiculo*, et *nullus alius eſt in hoc cubiculo.* Concluſio igitur qua parte falſa eſt, infertur ex minori negante in prima figura, contra regulam 2 ſpecialem trium primarum figurarum. Sed & per regulam præſentem, non ſequitur ; quia in neutra præmiſſarum continetur. Non in majori, quia non exiſtentia eorum quæ non ſunt in hoc cubiculo, non continetur in illis qui ſunt in hoc cubiculo : neque in minori ; quia mundus multo latior eſt quam hoc cubiculum. Vel ſic. *Sunt in mundo* in majori, ſumitur particulariter, quia eſt attributum propoſitionis affirmantis : at in concluſione ſumitur univerſaliter ; quia eſt attributum propoſitionis negantis. Univerſale autem ſecundum totam extenſionem in particulari non continetur. Ergo concluſio non continetur in majori. Sed neque in minori continetur ;

quia

quia, ut jam diximus, *esse in mundo* est totum respectu *esse in hoc cubiculo* : at totum non continetur in parte, sed contra.

11. De tribus primis figuris, (quartæ enim ut diximus vix ullus usus est,) si inter se conferantur, canon est, *primam figuram esse reliquis præstantiorem.* Ratio est primo, quia, in ea omnia genera propositionum, præsertim simplicium, concludi possunt, scilicet, affirmantes, negantes, universales, et particulares : at in secunda, solæ negantes ; in tertia, solæ particulares concluduntur. Deinde, in prima figura dispositio terminorum magis naturalis est. Præponitur enim medium majori extremo, et postponitur minori : adeoque, ut ait Aristoteles, situ medium est. Unde & ratio consequentiæ evidentior est : hoc est, conclusio evidentius continetur in præmissis ; Et idcirco syllogismi secundæ & tertiæ figuræ, per reductionem ad primam declarari possunt : qua de re aliquot regulas tradunt logici, quas videat qui volet apud Burgersdicium & alios. Earum enim nullus plane usus est, præterquam ut videas in diversis figuris eandem conclusionem, per idem medium, probari posse.

12. Interim tamen necessariæ sunt secunda & tertia figura. Termini enim ex quibus syllogismus constat, ita aliquando ad sevicem affecti sunt, ut in prima figura ad-

hiberi nequeant, quin propoſitiones minus naturales evadant, hoc eſt, tales in quibus inferius de ſuperiori prædicetur, aut id quod per ſe attributum eſt, ſubjicitur, et viciſſim. Is autem modus enunciandi, menti noſtræ, minus arridet : quia in eo illud quod natura ſua adjacere alteri aptius eſt, locum rei per ſe ſtantis occupat, et viciſſim. *Ex : g.* Hæc concluſio, *Simia non eſt homo*, ſi per medium *ratione præditum eſſe* concludenda ſit, rectius concluditur in ſecunda figura, quam in prima, nempe in hunc modum ; *omnis homo eſt ratione præditus* ; *ſimia non eſt ratione prædita :* Ergo *ſimia non eſt homo.* Si enim in prima formetur, oportebit hominem prædicari de eo *quod ratione præditum eſt* ; cum tamen, *ratione præditum eſſe* natura ſua non ſit ſubjectum hominis, ſed attributum. Similiter hic, *Judas prodidit dominum ſuum* ; *Judas fuit Apoſtolus* ; ergo *quidam Apoſtolus prodidit dominum ſuum*, formari nequit in prima figura, niſi in minori Iudas prædicetur de Apoſtolo, hoc eſt ſingulare de univerſali : cum tamen ſingularia aptiora ſunt ſubjici quam prædicari. Conditio igitur materiæ, mentem aliquando ad ſecundam aut tertiam figuram trahit.

13. De concluſionibus, prout ex præmiſſis inferuntur, canon eſt, *ex iiſdem præmiſſis plures concluſiones inferri poſſunt.* Id autem tribus modis fieri poteſt. Primo *per converſ-*

converſionem concluſionis, quæ concluſio *indirecta* dicitur. *Ex: g.* Ex his præmiſſis, *qui juſtitia quam lex divina efflagitat deſtituitur, obnoxius eſt iræ divinæ; omnis homo per lapſum, juſtitia quam lex divina efflagitat, deſtituitur*; infertur, directe quidem, ergo, *omnis homo per lapſum, obnoxius eſt iræ divinæ*; indirecte vero, et per converſionem concluſionis directæ, *aliquid quod iræ divinæ obnoxium eſt, eſt homo.* Hinc logici in prima figura quinque modos indirecte concludentes conſtituerunt, quos quinque, hiſce vocabulis deſignarunt, *Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſom.* Ex quibus tres priores, concluſiones indirectas, per converſionem, ex *Barbara, Celarent*, & *Darii*, inferunt: duo poſteriores ex minoribus negantibus concluſiones indirectas inferuut; cum ex illis concluſiones directæ non ſequantur. Ut

Fap- *Omnis homo eſt animal,:*
es- *Nulla ſimia eſt homo:*
mo *quoddam* igitur *animal non eſt ſimia.*
Fri- *Quidam homo eſt albus:*
ſe- *nulla beſtia eſt homo:*
ſom Ergo, *quoddam album non eſt beſtia.*

In tribus prioribus modis facile exempla invenies. In reliquis etiam figuris, poſſunt eſſe tot modi indirecti, quot ſunt directi.

Quæcunque enim propoſitio ex quavis concluſione ſequitur, ex præmiſſis etiam ſequitur ex quibus coucluſio illa deducitur. At ex omni propoſitione, aliqua alia per converſionem ſequitur ; ut ſupra oſtendimus. Sed modi illi indirecte minime neceſſarii ſunt. Poſſunt enim concluſiones quæ in illis inferuntur, per aliam diſpoſitionem terminorum directe ex eodem medio inferri. *Ex : g.* Concluſio in *Fapeſmo*, ſic concluditur in *Ferio*

Nullus homo eſt ſimia ;
quoddam animal eſt homo.
Ergo, *quoddam animal non eſt ſimia.*

14. Secundo, ex iiſdem præmiſſis, plures concluſiones inferri poſſunt, *propter ſubordinationem propoſitionum* ; ſcilicet, particularium & ſingularium ad univerſales, minuſve univerſalium ad univerſaliores, aut particularium ad ſingulares ut ex concluſione iſta, *omnis homo per lapſum obnoxius eſt iræ divinæ*, tot aliæ ſubordinatæ inferri poſſunt, quot individua, ſtatus, aut conditiones hominum, in extenſione hominis continentur : *ex : g. Infantes, adulti, homines intra & extra eccleſiam nati, nobiles, ignobiles* &c. per lapſum, *ſunt obnoxii iræ divinæ.*

15. Tertius modus colligendi ex iiſdem præmiſſis plures concluſiones eſt, *ſi attribu-*

ta

ta enumeres, quæ in comprehenſione terminorum concluſionis immediate, ac principalis, *invenies*, ut evolvendo attributa ſubjecti in concluſione præcedenti, nempe *hominis*, has concluſiones elicies, *quoddam rationale, riſibile, animal, corporeum* &c. *eſt obnoxium iræ divinæ.* Deinde ſi attributa prædicati evolvas, nempe, eſſe obnoxium iræ divinæ, inferes de omnibus iſtis, et quæcunque in ſubjecti, ſive extenſione ſive comprehenſione continentur, quod *obnoxii ſint omnibus miſeriis hujus vitæ, et damnationi æternæ*; quod *nullus ex illis, per naturam, Deo gratus, aut amicus ſit*; quod, *Omnes miſericordia, et Salvatore indigeant*, &c. Et ejuſmodi concluſiones, quæ ex conſideratione comprehenſionis terminorum, præcipue vero attributi, utiliores ſunt, et ab auditore magis expetuntur, utpote per ſe, ut plurimum, non ita obviæ, ac reliquæ. Hinc diſces conſectaria ex concluſione aliqua demonſtrata colligere, prout in omnibus fere ſcientiis fit. Exemplum ſume conſectariorum quæ deduxit *Tacquetus* ex propoſitionis 32 lib: 1. Euclidis, parte poſteriori.

CAP. XXIX.

De ſyllogiſmis ex altera, vel utraque præmiſſarum compoſita; item De Sorite, et Dilemmate.

1. SYllogiſmi ex altera vel utraque præmiſſarum compoſita, pro differentiis iſtiuſmodi propoſitionum, varii ſunt, et varia nomina ſortiuntur, licet minus recte compoſiti vocentur, ut in Elencticis oſtendetur. Primo igitur qui majorem aut utramque ex præmiſſis copulativam habet, *copulativus* dicitur. Ejus quatuor ſunt modi. Primus eſt cum e pluribus attributis, quorum ſingula de pluribus ſubjectis affirmantur aut negantur, alterum de altero affirmative aut negative concluditur.

Petrus & Johannes ambulant:
Petrus & Johannes ſunt duo homines:
Ergo, *duo homines ambulant.*
Nec homo nec beſtia eſt immortalis:
homo & beſtia ſunt omnia animalia:
Ergo *nullum animal eſt immortale.*

Ejuſ-

Ejuſmodi ſyllogiſmi rectius fiunt in tertia figura. Licet in ſecunda aut prima fieri poſſint.

2. Secundus modus eſt, cum plura attributa de eodem ſubjecto affirmantur, aut negantur, ſive in majori, ſive in minori tantum, ſive utrobique, indeque concluduntur de aliquo alio, quod de illo ſubjecto affirmatur, aut negatur. Ut

Socrates ambulat & diſputat:
Socrates eſt philoſophus:
Ergo, *quidam philoſophus ambulat & diſputat*, vel negative
Socrates nec ambulat, nec diſputat:
Socrates eſt philoſophus: Ergo, &c. Item,
Socrates eſt philoſophus:
Socrates nec ambulat nec diſputat:
Ergo, quidam qui nec ambulat nec diſputat eſt philoſophus. Sit aliud exemplum,
Quod ſimul contemplatur plures partes alicujus totius, et earum unionem, ad plura ſimul objecta attendit:
At mens noſtra ſæpius illud præſtat: Ergo.

3. Ad utrumque ex his modis ſpectat ſyllogiſmus qui *Inductio* vulgo appellatur: et definitur, *progreſſus a perfecta enumeratione partium ad totum*, ſive partes illæ ſint ſubjectivæ, ſive eſſentiales aut integrales. Ubi partes ſubjectivæ ſunt, proceditur a ſpecie-

bus ad genus, vel ab individuis ad ſpeciem, aut genus. Sub ſpeciebus autem & individuis, hic comprehenduntur omnia quæ in extenſione termini univerſalis continentur, ſive differentiæ eorum ſpecificæ ſint, ſive accidentales, ſive individuantes. Quia autem impoſſibile ſæpe eſt aut minime neceſſarium omnia inferiora, aut omnes partes enumerare, idcirco, poſt aliquot enumerata, addendum eſt, *et ſic de reliquis*, aut *cæterorum eandem eſſe rationem*, aut aliquid ſimile. Exempla,

Nobiles, et ignobiles, doctos, et rudes, probos, et improbos, juvenes, ſenes, et mediæ ætatis homines, et ſic de reliquis hominum generibus, ubique, et omnibus ſæculis, mori obſervamus.

At *hi ſunt omnes homines*:

Ergo, *omnes ſunt mortales.*

Lex Moſis, ſcripta prophetarum, et Apoſtolorum ſunt divinitus inſpirata.

At *hæc ſunt tota ſcriptura ſacra*:

Ergo, *tota ſcriptura ſacra eſt divinitus inſpirata.*

4. Evertitur Inductio, oſtendendo partes omnes non enumerari, aut omnium non eſſe eandem rationem; hoc eſt attributum commune, quod omnibus ſine acceptione, convenire, aut non convenire præſumitur, non

non omnibus convenire, vel non convenire. Et diſſimile exemplum, *Inſtantia* vocatur. Ut ſi quis arguat apprehenſionem ſimplicem, judicium, diſcurſum, et diſpoſitionem indigere, ut per præcepta logicæ dirigantur ; Reſponderi poteſt enumerationem tantum eſſe ſingulorum generum actuum, non autem ſingulorum individuorum, aut etiam ſpecierum. Nam apprehenſiones, et judicia, de illis quæ per ſe, ac primo manifeſta ſunt, nulla præceptorum ope indigent.

5. Tertius modus ſyllogiſmi copulativi eſt, cum altera præmiſſarum copulativa eſt plurium attributorum de pluribus ſubjectis, ut

Quorum alter non utitur divitiis, alter abutitur ad profuſionem, ambo vitio tenentur :

At *miſer non utitur divitiis, prodigus iiſdem abutitur ad profuſionem:*

Ergo *& miſer & prodigus vitio tenetur.*

6. Quartus modus eſt, cum e duobus membris oppoſitis in majori, unum in minori ponitur, et alterum in concluſione tollitur, aut viciſſim. Ut,

Nemo & Deo & mammonæ ſervit.
avarus ſervit Mammonæ :

Ergo,

Ergo, *non ſervit Deo.* Vel ſubſumere licet

Vir bonus ſervit Deo :
Ergo *non ſervit Mammonæ.*

7. Syllogiſmus qui majori disjunctiva conſtat, *diſſunctivus* dicitur. Ejuſmodi præcipui duo ſunt. Prior eſt, cum in majori duo tantum ſunt membra, e quibus alterum in minori tollitur, alterum in concluſione ponitur. Ut

Omnes impii puniendi ſunt, vel in hac vita vel poſt hanc vitam :
quidam impii ex hac vita, impune decedunt :
Ergo, *punientur poſt hanc vitam.*

Non adeo concinnus eſt modus in quo e duobus membris alterum ponitur in minori, alterum tollitur in concluſione. Ut vel dies eſt, vel nox : at eſt nox : Ergo non eſt dies. Quia convenientius in alia forma ſtruitur. Ut ſi dicas, *non eſt & dies & nox:* at *eſt nox* : Ergo *non eſt dies.* Vel *ſi nox eſt, non eſt dies* : at *nox eſt*, Ergo *non eſt dies.* Poſſunt etiam ejuſmodi ſyllogiſmi formam ſimplicem ſervare : ut is quem primo poſuimus,

Qui

Qui impie vivunt et ex hac vitâ impune decedunt, poſt hanc vitam punientur:

Multi impii vivunt, qui ex hac vita impune decedunt.

Multi igitur poſt hanc vitam punientur.

8. Secundus modus eſt, cum e membris pluribus duobus, unum aut plura tolluntur in minori, reſiduum in concluſione ſtatuitur. Ut, *Omne malum morale, vel eſt omiſſio actionis præceptæ, vel commiſſio facti prohibiti, vel carentia rectitudinis in ipſis animi facultatibus*:

peccatum quod originis eſſe dicitur, nec eſt primum, nec ſecundum:

Ergo *in tertio conſiſtit.*

9. Fallunt iſtiuſmodi ſyllogiſmi, quando membra non ita oppoſita ſunt, quin aliquid ab illis omnibus diverſum aſſignari poſſit, in eo rerum genere de quo ſermo eſt: ſive cum non eſt plena membrorum enumeratio. Ut ſi quis arguat, *vel obediendum eſt regibus injuſte imperantibus, vel ab illis diſcedendum*, vel denique *e regno* (ſi fieri poteſt) *expellendi ſunt*: at *non obediendum illis eſt, quando injuſta imperant*: Ergo *vel ſecundum vel tertium faciendum eſt*; non concludit, quia datur quartum, nempe, *adhærere iſtis regibus & pro juſtitia pati.* 10. *Syllo-*

10. *Syllogiſmus*, qui altera, vel utraque præmiſſarum conditionali ſeu hypothetica conſtat, *conditionalis* ſeu *hypotheticus* dicitur. Illius duo ſunt modi recte concludentes. Alter procedit a poſitione antecedentis, ad poſitionem conſequentis. Alter procedit a remotione conſequentis, ad remotionem antecedentis. Ponere hic antecedens, aut conſequens, eſt affirmatum affirmare, et negatum negare: removere contra eſt, affirmatum negare, et negatum affirmare.

11. Conſtant autem ſyllogiſmi hypothetici, vel tribus tantum terminis principalibus; et tum reduci poſſunt ad formam ſimplicem, quæ *categorica* dicitur. (quivis enim ſyllogiſmus poteſt hypothetice formari.) Ut

Si Deus eſt Creator noſter, eſt amandus:
at eſt Creator noſter: Ergo, *eſt amandus.*
Si viri pii non ſunt nobis inimici, neque odio proſequendi ſunt;
at non ſunt nobis inimici: Ergo, &c.

Duo iſta exempla, prioris ſunt modi, et cum tribus tantum terminis principalibus conſtent, ad formam categoricam reduci poſſunt, abjiciendo e majori ſubjectum antecedentis, cum conditione *ſi*, et reſiduum in propoſitionem ſimplicem formando: ut,

Creator

Creator noſter nobis eſt amandus, Deus eſt creator noſter: Ergo, &c. *Qui non ſunt nobis inimici, non ſunt odio proſequendi: viri pii non ſunt nobis inimici:* Ergo &c. Hinc patet ejuſmodi ſyllogiſmos non eſſe neceſſarios, licet tyrones frequenter ad eos recurrant.

12. Aliquando ſyllogiſmus hypotheticus quatuor terminis principalibus conſtat, ut

Si quiſquam electorum pereat, Deus propoſito ſuo fruſtratur:
at *Deus nunquam propoſito ſuo fruſtratur:*
Ergo, *nullus electorum perit.*

Et hic modus magis neceſſarius eſt; quia non ita facile ad formam categoricam reducitur. Fatendum tamen eſt reduci poſſe; ut patet in exemplo jam dato, in quo proceditur a remotione conſequentis, ad removendum antecedens. *Qui eligit aliquos qui pereunt, is propoſito ſuo fruſtratur*: at *Deus propoſito ſuo non fruſtratur*: Ergo, *non eligit ullum qui perit.*

13. Duo etiam ſunt modi fallaces, ſeu ſophiſtici: alter qui procedit a remotione antecedentis ad remotionem conſequentis; alter, qui a poſitione conſequentis ad poſitionem antecedentis: ut,

Si

Si Sinenſes ſunt mahumetani, ſunt infideles.
at non ſunt mahumetani:
Ergo *non ſunt infideles.*

Vel ſubſumere licet per poſitionem conſequentis, *at ſunt infideles*; ergo *ſunt mahumetani.* Utrobique eſt falſa concluſio ex veris præmiſſis. Et ſi modi illi ad formam categoricam reducantur; Prior erit ex minori negante in prima figura; poſterior ex omnibus affirmantibus in ſecunda. Prior enim in exempto propoſito ſic procedit: *Omnes mahumetani ſunt infideles: Sinenſes non ſunt mahumetani*; Ergo, —— Poſterior vero, *Omnes mahumetani ſunt infideles: Sinenſes ſunt infideles*; Ergo *ſunt mahumetani.*

14. Dantur etiam ſyllogiſmi hypothetici, in quibus omnes propoſitiones hypotheticæ ſunt, et illi ad formam categoricam difficillius reducuntur. Ut

Si Chriſtus fruſtra mortuus eſt, Deus tum inſipientiæ, (abſit blaſphemia) tum crudelitatis erga filium ſuum, incuſandus eſſet:
at *ſi juſtitia eſt ex lege, Chriſtus fruſtra mortuus eſt:*
Ergo, *Si juſtitia eſt ex lege, Deus tum inſipientiæ* &c.

Poteſt

Poteſt tamen & hic ad formam categoricam reduci in hunc modum. *Qui filium ſuum morti fruſtra dedit, is imprudentiæ & crudelitatis eſt incuſandus* : at *ex ſententia eorum, qui dicunt juſtitiam eſſe ex lege, Deus filium ſuum fruſtra dedit morti* : Ergo *ex eorum ſententia Deus imprudentiæ* &c. Quanquam hic minor & concluſio ſenſu hypotheticæ ſint,

15. Optimus etiam eſt modus, in quo ex antecedente categorico, concluſio hypothetica, enthymematice infertur. ut

Quicquid ſe movetur eſt ſpiritus :
Ergo, *ſi ulla pars materiæ ſe moveatur, quædam pars materiæ eſt ſpiritus.*

Et reducitur ad formam categoricam, ſumendo vel antecedens, vel conſequens concluſionis hypotheticæ in minorem propoſitionem, et alteram partem in concluſionem. Ut *quicquid ſe movetur eſt ſpiritus* : at *quædam partes materiæ juxta Peripateticos ſe moventur* ; ut flamma, vapor, Ergo, *juxta Peripateticos, quædam partes materiæ ſunt ſpiritus.* Vel ſubſumere licet : at *nulla pars materiæ eſt ſpiritus*, indeqne inferre : Ergo *nulla pars materiæ ſe movetur.*

16. *Syllogiſmus*, cujus major propoſitio comparativa aut relativa eſt, *comparativus* & *relativus* dicitur, ut,

Qualis eſt vita infidelium, talis etiam eſt mors : at *vita infidelium eſt miſera, et ſine Deo* : Ergo. *Ubi eſt Chriſtus, ibi erunt fideles* :

Chriſtus

Christus est in cælis. Ergo *fideles* &c.

Quibus plus committitur, ab illis plus exigetur:
at *doctoribus ecclesiæ, plus quam aliis committitur:*
Ergo *plus ab illis quam ab aliis exigetur.*

Ut se habet gubernator ad navim, tempestate urgente, ita se habet bonus et prudens magistratus ad rempublicam periclitantem:
at *gubernator, tempestate urgente, necessarius est ad navim conservandam:*
Ergo, etiam *bonus & prudens magistratus necessarius est ad rempublicam periclitantem conservandam.*

Ut syllogismi istiusmodi recte concludant, nihil aliud requiritur, quam ut comparatio sive relatio partium in majori, recte instituatur, utque prius membrum in minorem assumatur.

17. Eodem jure quo notantur a logicis syllogismi relativi, notari item possent, ac deberent, *causales, reduplicativi, exceptivi* & *exclusivi.* Causalis igitur syllogismus est in quo præmissæ, et conclusio sunt propositiones causales. Ut

Quia homo potest diversa rerum momenta expendere, ideo est liber in eligendo.
at *quia ratione, sive intelligentia pollet, potest diversa rerum momenta expendere:*
Ergo, *quia ratione & intelligentia pollet,* &c.

Cæterorum sufficit exempla ponere. Ut,

homo

homo ſecundum eſſentiam eſt rationalis : at *homo qua homo, eſt homo ſecundum eſſentiam* : Ergo, *homo qua homo eſt rationalis. Qui eſt tantum in cælo, quatenus in eo tantum eſt, non eſt ubique. Chriſtus ſecundum humanitatem nunc tantum eſt in cælo* :Ergo, *Chriſtus ſecundum humanitatem non eſt ubique.* Excluſivi affirmantes & exceptivi negantes, coincidunt : quia, propoſitiones excluſivæ affirmantes, et exceptivæ negantes coincidunt : ut *id ſolum diſciplinarum capax eſt, quod ratione præditum eſt ; ſolus homo ex animalibus ratione præditus eſt* : Ergo *ſolus homo ex animalibus, eſt diſciplinarum capax.* Æquipollet hic ſyllogiſmus exceptivo negan-ti, ſcilicet, huic ; *nihil capax eſt diſciplinarum, niſi quod ratione præditum eſt : nullum animal præter hominem, ratione præditum eſt* : Ergo &c

18. Et omnes quidem ſyllogiſmi, quos hoc capite hactenus recenſuimus, *compoſiti* apud logicos audiunt. Quanquam ſi vere & ſtricte loqui velimus,ſoli illi compoſiti ſunt dicendi, qui plures ſyllogiſmos aperte includunt. Ex quibus duo ſunt genera, *Sorites* & *Dilemma.* Sorites eſt congeries propoſitionum, quarum poſterior quæque ex priori pendet, adeoque etiam ultima a prima. Ut,

Avari ſunt cupiditatibus obnoxii :
qui autem cupiditatibus obnoxii ſunt, multis ſe indigere exiſtimant nec aſſequuntur :

qui multis ſe indigere exiſtimant, nec ea aſſequuntur, anguntur.

qui anguntur ſunt miſeri : Ergo, *omnes avari ſunt miſeri.*

Inſigne exemplum eſt locus ille Apoſtoli ad Rom : cap : 8. 29, 30.

Quos Deus præcognovit, eos etiam prædeſtinavit, ut conformes fierent imagini filii ſui :

quos autem prædeſtinavit, eos etiam vocavit :

quos vocavit, juſtificavit :

quos juſtificavit, glorificavit : Unde conſequitur, *quos præcognovit glorificavit.*

In Sorite igitur, tot ſunt ſyllogiſmi, quot ſunt termini totales, inter ultimum attributum, et ſubjectum primum. Adeoque, cum in utroque exemplo quinque termini ſint, tres erunt ſyllogiſmi, pro trium terminorum mediorum numero, qui, ſi ipſum ſoritem ſpectes, ordine inverſo procedunt, in hunc modum,

Qui anguntur miſeri ſunt : avari anguntur : Ergo miſeri ſunt. Minor probatur. *Qui multis ſe indigere exiſtimant, nec ea aſſequuntur, illi anguntur, at tales ſunt avari : Ergo, avari anguntur.* Minor rurſus probatur.

Qui cupiditatibus obnoxii ſunt, multis ſe indigere exiſtimant, quæ non aſſequuntur

tur : avari ſunt cupiditatibus obnoxii. Ergo, —

19. Infirmus eſt Sorites, ſi in quavis ex propoſitionibus connexio non eſt neceſſaria, aut ſaltem veriſimilior. Sicut infirma eſt catena, ſi vel unicum ex annulis infirmum habeat. Exempli gratia, in hoc,

Ex malis moribus, naſcuntur bonæ leges:
bonæ leges ſunt laudandæ:
laudandum etiam eſt illud ex quo bona oriuntur.

Ergo, *mali mores ſunt laudandi.*

Per accidens enim, et omnino contingens eſt, quod ex malis moribus, bonæ leges naſcuntur. Fieri enim poteſt, ut mali mores, malis legibus ſanciantur, (ſi nempe paſſim obtineant,) aut in conſuetudinem abeant, quæ apud homines nimis ſæpe pro lege habetur.

12. Dilemma, (quod argumentum *bicorne*, id eſt, utrinque feriens dicitur,) eſt ſyllogiſmus disjunctivus, cujus unumquodque membrum ratione aliqua confirmatur. Ut

Unicuique in hac vita, vel cupiditatibus ſerviendum eſt, vel iiſdem obluctandum:
Cupiditatibus ſerviendo, ſalus animæ in periculum adducitur;
iiſdem vero obluctari eſt moleſtum;

Ergo *unicuique, in hac vita, vel periculum ſalutis ſubeundum eſt, vel moleſtia ferenda.*

Tale fuit argumentum, quo Chriſtus quendam e lictoribus reprehendit, Johan: 18. *Si male dixi, teſtare de malo; ſin bene, cur me verberas*; hoc eſt,

Si jure me verberas, illud facis, vel quia male dixi, vel quia bene.

at non quia male dixi, quia tu non judex es, ſed tantum teſtis loco fungi potes.

neque quia bene, quia bene dicere, penam non meretur:

Ergo, *injuſte me verberas.*

Infirmum eſt Dilemma, ſi membra non ſint immediate oppoſita, vel levicula ratione urgeantur. Prius ſi contingat, peccatur in legem generalem propoſitionis disjunctivæ ſupra traditam. Exemplum poſterioris ſit hic ſyllogiſmus, *Si Magiſtratus officio bene fungaris, homines, ſi male, Deum offendes.*

Ergo, *officium illud omnino eſt vitandum.*

Ubi prius membrum non ſatis gravi ratione confirmatur. Periculum enim offendendi homines ſubeundum eſt, ut bono publico ſerviamus.

CAP.

CAP. XXX.

De ſyllogiſmo contingente, et neceſſario.

1. HActenus de ſyllogiſmorum differentiis ratione formæ, ut vocatur. Sequitur ut de illis quæ a materia proveniunt, quædam dicamus. Syllogiſmus non tantum formæ, ſed etiam ratione materiæ eſt vel *rectus* & *utilis*, nempe qui cognitioni mentibus noſtris ingenerandæ inſervit; vel *vitioſus*, et *fallax*, qui errorem parit. Prior rurſus, vel eſt *neceſſarius*, vel *contingens*. Syllogiſmus continens, ut ab eo ordiamur, is eſt, in quo altera vel utraque ex præmiſſis eſt propoſitio contingens, hoc eſt, quæ poteſt eſſe falſa. Eſtque vel plane *incertus*, ac *dubius*, ſcilicet, ſi vel altera præmiſſarum plane dubia ſit. Vel tantum *probabilis*, cum altera, aut utraque præmiſſarum, ad ſummum probabilis eſt. Exemplum prioris,

Omnis flamma materiam aliquam combuſtibilem indeſinenter depaſcitur.

Sol eſt flamma: Ergo, *materiam aliquam* &c.

Minor hic, adeoque etiam concluſio incerta eſt Æque enim obſcurum eſt, ſitne *ſol* flamma, an non. Exemplum poſterioris,

ſit diſcurſus quo uſus eſt Solomon rex ſapientiſſimus, cum litem illam inter meretrices de puero ambiguo dirimeret. 1 Reg. 3.

Quæ mavult puerum in vivis conſervari, licet alienatum, quam occidi, ea illius eſt mater:

Hæc puerum conſervari mavult, licet alienatum, quam occidi. Hæc igitur *eſt mater.*

Ubi major probabilis eſt; minor ſenſu innotuit.

2. Diſcurſu probabili ſæpe contenti eſſe cogimur; vel quia materia certiorem non admittit; ut cum de rebus pure contingentibus agitur; vel quia rationes certas, et neceſſarias, invenire non poſſumus. Enitendum tamen ſemper eſt, quoad fieri poteſt, ut diſcurſus noſtri omnes certiſſimi, et neceſſarii ſint, non tantum reſpectu formæ, ſed etiam quoad materiam; hoc eſt, ut ex principiis neceſſariis, et plane evidentibus, quoad veritatem, diſcurramus.

3. Eſt igitur ſyllogiſmus neceſſarius, cujus præmiſſæ ſunt neceſſariæ, hoc eſt, immutabiliter veræ. Neceſſitas tamen illa, quæ moralis tantum eſt, hic non ſufficit: ea enim propoſitionem non facit neceſſariam in ſenſu præſenti, hoc eſt, plane certam, ſed tantum probabilem. Sufficit tamen neceſſitas quæ ex hypotheſi dicitur, nec requiritur illa, quæ omnino abſoluta eſt. Nec ſufficit,

ficit, ut concluſio neceſſario ſequatur ex præmiſſis, ſuppoſita earum veritate, quæ neceſſitas in omni ſyllogiſmo recte formato locum habet, et neceſſitas conſequentiæ vocatur; ſed requiritur etiam, ut tam præmiſſæ quam concluſio per ſe ſpectatæ veræ ſint. Et quidem, ut utraque præmiſſarum neceſſaria ſit. Si enim altera ſolum probabilis fuerit, adeoque non plane certa, concluſio tantum probabilis erit. Evidentia enim & certitudo concluſionis quoad nos, ex evidentia & certitudine, non unius ex præmiſſis, ſed utriuſque pendet.

4. Syllogiſmus neceſſarius complectitur ſyllogiſmum διὰ ἀδυνάτου, ſyllogiſmum κατὰ τὸ βιαῖον, et qui ex teſtimonio divino, aut medio neceſſario intrinſeco probat.

5. Syllogiſmus ſive diſcurſus διὰ τὸ ἀδυνάτον, hoc eſt, *per impoſſibile*, ſeu *ex abſurdo*, aut incommodo, eſt in quo concluſio hinc probatur eſſe vera vel falſa, quod ſi talis non eſſet, ſequeretur aliquid aliud eſſe verum, quod aliunde conſtat eſſe falſum: aut aliquid aliud eſſe falſum, quod aliunde conſtat eſſe verum. Ut, *Si nulla eſt beatitudo hominum poſt hanc vitam, pii eſſent omnium miſerrimi.* Si *quidquam producit ſeipſum, aliquid eſſet antequam eſſet*: adcoque *ſimul eſſet & non eſſet.* At *poſterius eſt impoſſibile*, vel *abſurdum*: ergo & *prius*. Argumentationes iſtiuſmodi nituntur axiomate ſupra

memorato, *ex veris nil niſi verum.*

6. Diſcurſus ex abſurdo, aſſenſum quidem extorquet, ſed intellectum non illuminat, nec ei plane ſatisfacit. Adhiberi tamen poteſt, et debet, cum melior probatio non ſuppetit : præſertim cum concluſiones negativæ demonſtrandæ ſint. Item cum theſin abſurdam refellimus, cujus conſequentia genuina ſemper abſurda ſunt, aut ubi cum adverſario pertinaci agimus, qui probationes per principia intrinſeca aſpernatur : aut cum ſtupido qui eas non capit.

7. Syllogiſmus κατὰ τὸ βιᾶιον, qui *retorſio*, et *argumentum ad hominem* dicitur, is eſt, in quo adverſarium ex ſuis principiis, et effatis, revincimus. Qualiter arguere licet contra Carteſianos, qui mentem humanam nullo in loco eſſe aiunt. *Quod in corpore humano eſt, in aliquo loco eſt : Mens humana in corpore humano eſt. In aliquo* igitur *loco eſt.* Sed diſcurſus iſtiuſmodi ad ipſam veritatem confirmandam nihil facit. Procedit enim ex dictis alienis, quæ fieri poteſt, ut falſa ſint. Quod ſi dicta illa vera fuerint, quod neceſſe eſt, (ſi ſit,) aliunde eſſe, quam quod hujus aut illius hominis ſint, diſcurſus in eodem genere erit, cum illo qui ex abſurdo procedit. Ejus igitur uſus eſt, ut adverſarium ad anguſtias redactum, alia via incedere cogamus.

8. Probatio a teſtimonio divino, ſi de eo certò

certô conſtet, cum prorſus neceſſarium ſit, eſt omnium efficaciſſima. Quales ſunt probationes theologicæ, ex ſcripturis ſacris: Ut *Deus teſtatur in ſacris ſcripturis, ſe eſſe unum, et trinum; filium ſuum eſſe verum Deum, carnem humanam induiſſe, mortuos omnes reſurrecturos*; *iſta* igitur *omnia ſunt veriſſima, et firmiter credenda.* Nituntur autem omnes unico principio per ſe noto, vel ex natura Dei facillime demonſtrabili, *quicquid Deus teſtatur veriſſimum eſt.* Verum licet certiſſimæ ſint probationes iſtæ, et mentem plane convincant, non tamen eam quietam reddunt. Avet enim mens noſtra rationes intrinſecas, ex ipſarum rerum naturis, contemplari, quas revelatio divina non ſemper exhibet.

9. Syllogiſmus, neceſſarius ex medio neceſſario intrinſeco, nempe, ex natura ſubjecti & attributi petito, et cum extremis neceſſario connexo, ἀποδειξις Demonſtratio dicitur, (quanquam eo nomine ſyllogiſmus etiam ex abſurdo veniat,) et duplex eſt: alius qui ſolum probat *rem eſſe*, vel *non eſſe*: hoc eſt attributum convenire ſubjecto, vel non convenire: alius qui etiam oſtendit *cur ſit*, vel *non ſit*, ſeu cur attributum ſubjecto conveniat, vel non conveniat. Unde prior ab Ariſtotele, demonſtratio ὅτι, *quod*; poſterior διότι, *quia*, vel *cur* appellatur.

10. Demonſtratio ὅτι procedit ab omnibus

bus illis quæ neceſſariam connexionem habent cum terminis quæſtionis, modo non habeant ad eos rationem cauſæ : nempe, ex ſignis neceſſariis, et effectis ac conſequentibus. Unde *a poſteriori*, in Scholis, dicitur. Ut, *qui actus intelligentiæ, et rationis exercet, in eo, præter molem corporis, eſt alia ſubſtantia ſpiritualis, quæ mens, et anima dicitur.* At *homo tales actus exercet*; *in eo* igitur *præter corpus eſt alia ſubſtantia*, &c. Eſt demonſtratio ab effectis neceſſariis. Eodem modo demonſtratur Deum eſſe, ex operibus, ſcilicet, creationis & gubernationis, ut innuit Apoſtolus ad Rom. cap: 1. Exemplum ex ſigno neceſſario ſit ; *Si Pleiades jam emerſerunt ſupra horizontem, ſtatim apparebit ſtella, quæ Aldebaran, et oculus Tauri dicitur.* At *verum prius*: Ergo *et poſterius.*

11. Demonſtratio διότι procedit a cauſis, et omnibus quæ antecedentis, aut cauſæ rationem habent, modo neceſſariam connexionem habeant cum partibus quæſtionis. Unde demonſtratio *a priori* appellatur. Cauſa tamen eſſe debet *integra* & *adæquata.* Secus enim totam rationem cur res ſit, non exhibebit. Partem autem exhibere non ſufficit. Deinde *proxima.* Cauſa enim remota non oſtendit cur res ſit, ſed tantum cur aliquid aliud ſit, quod proxime eam cauſat. Item cauſa *per ſe*, quia cauſa per accidens,

qua

qua talis, causa non est, sed tantum quatenus includit, aut supponit causam per se. Deinde, si a serie causarum res dependeat, necesse est ad perfectam & plenariam demonstrationem, a causa proxima, per intermedias, ad primam, seu supremam ascendere; ut innuit Aristot: phys. lib. 1. cap. 1.

12. Per omnia causarum genera demonstrare licet, (quamvis eadem veritas istud non admittat,) nempe a materia, forma, efficiente, fine, objecto, et quæ sub illis continentur: A *materia*, ut, *cujus corpus constat partibus indesinenter effluentibus, quæ non semper resarciri possunt, is moriendi necessitati subjicitur*: at *talis est homo*: ergo. A *forma* ad proprietates: ut, *cujus omnes partes superficiei æqualiter distant a centro, illud aptissimum est circumgyrationi: corporis sphærici omnes partes superficiei, æqualiter distant a centro. Corpus* igitur *sphæricum aptissimum est circumgyrationi.* Huc pertinent illæ demonstrationes, in quibus per primam aut priorem differentiam essentialem, posterior aliqua de subjecto concluditur. Ut, *omnis creatura intelligentia prædita est capax beatitudinis, et miseriæ: Homines, et angeli tales sunt*: Ergo. A causa efficiente externa ad effectum; ut: *cum inter solem & lunam, corpus opacum terræ interponitur, luna, quæ lucem a sole mutuatur, patietur eclipsin: at tali die, et hora, istud continget*: *tali* igitur

die,

die, et hora, luna patietur ecclipſin. A *ſine* ad media; ut, *qui natus eſt ad Deum glorificandum, is pietati & juſtitiæ ſtudere debet; homo natus eſt ad Deum glorificandum*; Ergo. —. *Quod aptum eſſe debet capiti defendendo in prælio, ex materia dura & lenta faciendum eſt. Galea apta eſſe debet capiti defendendo in prælio; ex tali* igitur *materia facienda eſt.* Ab *objecto: ut, quod maxime bonum eſt, voluntatem in ſui amorem, maxime rapit: fruitio Dei eſt maximum bonum creaturæ intelligentis:* Ergo *voluntatem ejus in amorem ſui maxime rapit.* A *conditione* denique neceſſaria, quæ cauſa *ſine qua non* appellatur; ut, *qui vera fide in Jeſum Chriſtum præditus eſt, ipſi peccata remittuntur: qui vera charitate in proximum præditus eſt; vera etiam fide in Chriſtum præditus eſt:* Ergo, *qui vera fide in Chriſtum præditus eſt, ei peccata remittuntur.*

13. Præmiſſæ in demonſtratione debent eſſe, vel *axiomata*, ſeu propoſitiones per ſe evidentes, vel concluſiones per ſuperiorem aliquam demonſtrationem probatæ. Ut in Geometria, primæ propoſitiones per axiomata probantur, et tum per illas, plurimæ aliæ.

14. Omnes demonſtrationes, ſicut & omnes fere diſcurſus, propoſitionibus cauſalibus, in ſermone communi, ſæpe exprimuntur. Sed demonſtratio *Noſt.* ejuſmodi cauſa-

cauſalibus, in quibus una pars reddit rationem ipſius rei quæ in altera parte continetur. Ut *homo eſt capax diſciplinarum, quia eſt ratione præditus.* At in demonſtratione ὅτι, illis in quibus altera pars rationem continet, cur alterius veritas agnoſcenda ſit, non autem cur res ipſa exiſtat. Ut, *certum eſt in homine, præter materiam corporis, eſſe aliam Subſtantiam longe præſtantiorem; quia actus rationis, et liberæ electionis, exercet, quorum materia non eſt capax.* Non enim quia actus illos exercet, in eo eſt talis ſubſtantia; ſed contra: conſtat tamen ex actibus iſtis talem in eo ſubſtantiam eſſe.

CAP. XXXI.

De præcipuis ratiocinandi formulis in materia deficientibus quæ ſophiſmata vocantur.

1. DIſcurſus in materia peccantes, qui facilius nos in errorem ducere poſſunt, ad octo capita revocabimus: miſſis illis, qui craſſiores ſunt, quam ut in eorum vitiis detegendis immorari neceſſe ſit: quales ſunt luſus in vocibus, qui inter ſophiſmata, ab Ariſtotele, recenſentur, in libris de ſophiſticis elenchicis; eos vide ſi vis apud Kecker-

Keckermannum, *Burgerſdicium* et alios.

2. Primus igitur modus agendi vitioſus, in diſcurſu eſt, *id probare quod non quæritur*; adeoque quod probandum non eſt, qui *ignoratio Elenchi* vulgo dicitur. Committitur vitium iſtud, primo cum ſententiam adverſario adſcribimus a mente ipſius alienam & contra eam diſputamus Et ſic cum cerebri noſtri figmento pugnantes, omnem operam perdimus. Ut cum Pontificii merita bonorum operum aſtruentes, nos incuſant, quaſi eorum neceſſitatem negaremus, et multis argumentis eam confirmant. Cum tamen nos bona opera pluribus nominibus neceſſaria, ultro aſſerimus. Deinde, cum ea ex adverſarii ſententia ſequi obtendimus, quæ ex ea minime ſequuntur. Sive cum abſurdis eam injuſte gravamus. Ut cum iidem Pontificii ex noſtra ſententia de juſtificatione, non ex operibus, ſed ex fide, clamant, viam ad omnia maleficia aperiri. Solvitur & refellitur iſtiuſmodi ſophiſtice, ſi verum contraverſiæ ſtatum, et abſurda quibus oppoſita ſententia gravatur, ex ea non ſequi oſtendamus.

3. Secundus modus eſt, *cum id ſupponitur, quod eſt in quæſtione.* Sive cum *idem per idem*, et notum per æque ignotum probatur; et *petitio principii* dicitur. Talis eſt diſcurſus Ariſtotelicorum, quo formas corporum ſubſtantias eſſe contendunt: *ſi forme*

rerum

rerum corporearum, ſubſtantiæ non ſint, nulla erit generatio. Hæc enim eſt productio ſubſtantiæ. Æque enim ignotum ac dubium eſt, ſubſtantias per cauſas naturales generari, ac formas corporum quæ generantur eſſe ſubſtantias. Refellitur iſtud ſophiſma, oſtendendo aliquam ex præmiſſis æque dubiam eſſe, ac concluſionem.

4. Tertius modus eſt, *cum pro cauſa aſſignatur id quod cauſa non eſt*, qui idcirco *non-cauſa pro cauſa* vocatur. Sic quidam dicunt vas aqua plenum, et ita occluſum, ut nihil aeris ingredi poſſit, ſi aqua gelaſcat, rumpi, ad vacuum vitandum ; quia aqua gelata vacuum in vaſe relinqueret. Cum vera cauſa ſit, quod aqua gelata, plus ſpatii occupet, quam fluida: adeoque ſatis loci non inveniens in vaſe, ipſum rumpit. Refutatur hic modus, oſtendendo non eſſe veram cauſam, quæ aſſignatur, et veram aſſignando.

5. Quartus modus eſt *imperfecta enumeratio*, ſive cum unicum tantum, aut non omnes caſus rei qui poſſibiles ſunt, conſideramus. Exemplo ſit illud ſophiſma Gaſſendi. *Si nullum ſit vacuum, nullus erit motus. Si enim ſine vacuo eſſet motus, oporteret vel unum ab alio pelli in infinitum, quod abſurdum eſt ; vel motum eorum quæ locis pelluntur, eſſe circularem.* At *neque hoc poſſibile eſt ; quia in illo circulo primum corpus moveri nequit*

quit, niſi ultimum etiam moveatur; at ultimum moveri nequit, niſi locus proximus ſit vacuus. Hujuſmodi diſcurſus vitium detegitur, oſtendendo alium eſſe caſum, quo res eſſe poſſit, quem arguens non conſiderat: ut in motu circulari corporum, ultimum corpus occupare locum primi, eo ipſo inſtanti quo primum locum ſuum deſerit; prout fit in partibus annuli ſolidi, circa centrum ſuum rotati.

6. Quintus modus *fallacia accidentis* dicitur, ſcilicet cum illud pronunciatur de re, quod ipſi ex accidenti tantum convenit, tanquam per ſe conveniret, indeque infertur concluſio falſa. Ut *evangelii prædicatio bellum ciet*, ergo *eſt mala.* Refellitur oſtendendo id quod dicitur de re, per accidens tantum ipſi convenire. Exempli gratia, evangelium bellum ciere, non *per ſe*, et natura ſua, ſed tantum eſſe occaſionem belli plane innoxiam: eo modo quo bona forma eſt occaſio libidinis, et concubitûs illiciti. Evangelium enim cupiditates hominum damnat, quibus dum renunciare nolunt, pro malitia ſua, contra ipſum, et eos qui ipſum amplectuntur, inſurgunt.

7. Sextus modus eſt, cum argumentamur *a ſenſu compoſito ad diviſum*, aut *a diviſo ad compoſitum.* Ut ſi quis argueret, *qui juſtificat impium injuſte agit.* Ergo *ſi Deus impium juſtificaret*, (ut ait Paulus ad Rom:

4.) *injuſte*

injuſte ageret. Aut, *ſi nulla domus poſſit eſſe combuſta, poſſet domus conſtare ex igne, fumo & cineribus : Ergo nulla domus poteſt eſſe combuſta.* Solvitur iſtius generis ſophiſma, oſtendendo id quod dicitur verum eſſe in ſenſu diviſo, non autem in ſenſu compoſito, aut vice verſa. Ut Deum juſtificare eum qui fuit plane impius, ſed qui nunc de impietate vitæ anteactæ dolet, et credit in Chriſtum, impietati vero renunciat, non autem qui impius eſſe permanet : Hoc eſt, impium in ſenſu diviſo, non in ſenſu compoſito. Et domum, quando domus eſt, non eſſe combuſtam; ſed tantum id quod fuit domus, nunc eſſe combuſtum : hoc eſt, domum eſſe combuſtam in ſenſu diviſo, non in ſenſu compoſito.

8. Septimus modus eſt, *argumentari ab eo quod verum eſt tantum ſecundum quid, ad id quod verum eſt ſimpliciter.* Ut, *anima hominis eſt immortalis* ; Ergo *homo ipſe immortalis eſt. Æthiops eſt albus dentes :* Ergo, *non eſt niger.* Tale fuit ſophiſma Epicuri : *forma humana eſt pulcherrima* ; Ergo, *Deo convenit.* Refellitur oſtendendo id quod aſſumitur ad concludendum eſſe verum tantum ſecundum quid. Ut hominem eſſe immortalem ſecundum unicam ſui partem tantum; unde non ſequetur totum eſſe immortalem. Formam humanam eſſe pulcherrimam ex formis animalium, non ſimpliciter

pliciter pulcherrimam. Huc referendum eſt ſophiſma in quo infertur, id quod convenit toti ſecundum unicam partem, convenire omnibus partibus ſeorſim; Ut, *omnis homo cogitat*; *corpus*, *mens*, *et utriuſque unio ſunt homo*; Ergo *et corpus*, *et mens*, *et unio cogitat*. Non enim ſequitur, quia homo cogitat, ideo quicquid eſt hominis, etiam qua homo eſt, cogitare. Sufficit enim ut vere dicatur cogitare, aliquid in eo cogitare, ſive eum cogitare ſecundum aliquam ſui partem.

9. Octavus modus eſt *ex inductione imperfecta*, *concluſionem inferre univerſalem*. Ut ſi quis ex eo, quod omnes homines, quos ipſe vidit, cutem habeant albam, (ignarus eſſe Æthiopes, qui nigri ſunt,) concluderet omnes homines eſſe cute albos. Vitium iſtud in ratiocinando hominibus nimis familiare eſt, nempe ex quibuſdam ſingularibus, univerſaliter pronunciare, cum reliquorum forte non ſit eadem ratio. Hinc igitur jure opponi poteſt, non conſtare omnibus convenire quod quibuſdam convenit. Plurimæ aliæ ſunt defectus in ratiocinando quos in doctrina Geneſeos notabimus.

CAP. XXXII.

De Methodo.

1. *Methodus* eſt ejuſmodi præceptorum, et ratiocinationum diſpoſitio, ſeu ordinatio, quæ rebus intelligendis et memoriâ tenendis maxime idonea eſt. Ad duo enim iſta, intelligentiam promovere, et memoriam juvare, tota illius utilitas refertur.

2. Eſt autem Methodus vel *naturalis*, vel *arbitraria*. Naturalis eſt, quæ ordinem naturæ ſive rerum ipſarum obſervat: procedendo ab illis quæ natura priora, ſimpliciora, et notiora, ad ea quæ poſteriora, compoſita, et ignotiora ſunt: puta ab univerſalioribus, ad minus univerſalia: a cauſis ad effecta; a fine ad media; a partibus ad tota; ab objecto ad potentiam, et actum quæ circa ipſum occupantur; a ſubjecto ad adjunctum, et omnino ab illis quorum cognitio ad certiorem & evidentiorem cognitionem ſequentium neceſſaria eſt.

3. Methodum naturalem vulgo diſtinguunt logici in *Syntheticam* & *Analyticam*, ſeu in *compoſitivam* & *reſolutivam*. Syntheticam vocant, quæ procedit a principiis intrinſecis rei ad ea quæ ex illis conſtituuntur.

ut a partibus ad tota, prout in disciplinis theoreticis fit. Exempli gratia, Geometria a puncto, linea, superficie, et angulis, incipit; et inde progreditur ad triangulum, quadrangulum, circulum, et corpus, seu solidum; investigandum. Et *Somatologia*, vulgo *physica*, exordium facit a materia, quantitate, figura, situ & unione partium, motu, et quiete, quæ principia rerum naturalium manifesta sunt.

4. Methodum analyticam appellant, quæ facto initio a fine, media exquirit, et proponit, quibus finis acquiri possit. Hunc ordinem observant disciplinæ practicæ. Ut in Ethica, primo proponitur summum hominis bonum, seu finis ultimus: deinde media, quibus obtinetur: in grammatica, primo hic scopus proponitur, ut recte loquamur, et scribamus; deinde, quibus rationibus ista acquiri possint.

5. Methodus arbitraria est, quæ certas regulas non observat, sed ad propositum dicentis, et captum audientis componitur, estque Poetis & oratoribus familiaris.

6. Est etiam Methodus quandoque *aperta*, cum quis ordinem quo ipse procedit, et singulos illius gradus, auditori, aut lectori observandos exhibet: quod ab illis fieri solet, quibus unice propositum est, nudam veritatem quam luculentissime exponere. Quandoque *occulta* est, cum, quem

observat

obſervat ordinem diſſertator, ipſe non indicat: quod *Crypſis* ſeu occultatio Methodi dicitur. Hunc ordinem ſectamur, cum oratorie magis quam philoſophice diſſerimus; et in hunc finem, ne ardor animi noſtri, aut auditoris attentio intermittatur, eoque minuatur: aut ne ſuſpicio ſit, rem quam tractamus, dubiam, aut difficilem eſſe; aut denique ne auditores judicio deficere innuere videamur.

7. Methodo ſeu ordini in diſſerendo, opponitur ἀταξία *confuſio*, cum temere omnia miſcentur. Vitium iſtud dicenti aut ſcribenti maxima cura vitandum eſt. Sic enim animus audientis, aut legentis, offenditur, intelligentia impeditur, memoria turbatur: qui vero dicit, aut ſcribit, contemptui aliorum ſe exponit. Et hæc de Methodo nunc tenuiſſe ſufficiet. Reliqua in Geneſi trademus.

Finis Logicæ Generalis.

Logicæ ſpecialis pars prima.

Quæ eſt De Geneſi ſeu inventione.

CAP. I.

De Geneſi & Analyſi in genere.

1. LOgica, ut omnis diſciplina practica, tota ad uſum, et praxin ordinatur. Eſt autem *praxis* logica, applicatio, ſeu uſus præceptorum, quæ in ea traduntur, (in parte ſcilicet generali ſupra adornata,) ad mentem in ſuis operationibus dirigendam; ſive ut conformiter ad illa, finemque & ſcopum eorum, conceptus & ſermones noſtros formemus.

2. Præter omnia præcepta de attributis rerum generalibus, de vocibus & earum differentiis, de ideis, de judicio tum ſimplici, tum illativo, ſeu diſcurſu, ac denique de methodo, quæ ſupra propoſuimus, quædam

quædam alia neceſſaria ſunt, quibus priora illa recte adhibere in variis mentis noſtræ exercitiis dirigamur : illa ſcilicet quæ varia genera argumentorum, ſeu materiarum, de quibus exercitia illa inſtituenda ſunt, et modum quo in ſingulis procedendum ſit, exhibeant. Nec enim omnis materia, eodem modo, et juxta eadem præcepta, tractanda eſt.

3 Praxis logicæ, vel eſt *Geneſis*, vel *Analyſis*. Per geneſin, cognitionem producimus & promovemus, idque vel in nobismetipſis, quæ geneſis ſtricte, vel in aliis quæ *didactica* eſt. Per analyſin conceptus & ſermones præcipue alienos reſolvimus & explicamus. Sub qua idcirco *Hermeneutica*, et *Critica* continentur. Poteſt quidem analyſis, *geneſis* dici, quatenus per eam reſolutio illa quam diximus, producitur : et geneſis rurſus, rationem quandam analyſeos continet ; quatenus ſcilicet, cum definimus, dividimus, et ratiocinamur, res definitas, diviſas, et veritates quas probamus, in attributa ſua, partes, cauſas, effectus &c, reſolvimus. Sed illa exercitatio *geneſis* dicitur, per quam res ipſas, prout cognitioni noſtræ ſubſunt ; illa vero *analyſis*, in qua cognitionem rerum reſolvimus.

Utraque procedit, implicite ſaltem, per ratiocinationem quandam ; in qua major propoſitio eſt aliquod præceptum logicæ ;

minor vero, et concluſio, ejuſdem applicatio ad materiam aliquam particularem: et in applicatione illa, notio aliqua ſecunda de prima, ſeu idea communis de particulari affirmatur, aut negatur. *Ex: g.* In geneſi definitionis, mens ſic arguit: *definitio bona eſſentialis conſtare debet genere proximo*, ſi inveniri poſſit, *et differentia prima ac proxima eſſentiali:* at *ſubſtantia eſt genus proximum corporis*, ſeu materiæ; *eſſe expers perceptionis*, vel (ut alii volunt) *eſſe extenſum* in longum, latum & profundum, *eſt illius differentia prima, et proxima eſſentialis*: Ergo *duo illa attributa, bonam definitionem ſeu veram ac propriam ideam corporis*, ſive materiæ *exhibent*. Similiter in analyſi, cum definitio corporis examinatur, ſic arguimus. *Bona definitio corporis conſtat genere proximo, et differentia prima eſſentiali*: at *hæc definitio, corpus eſt ſubſtantia perceptionis expers, eſt talis, illa vero altera quæ dicit corpus eſſe extenſum in longum, latum, et profundum non eſt talis*; (non enim manifeſtum eſt extenſionem eſſe propriam differentiam corporis) Ergo *prior eſt recta corporis definitio, poſterior ſine ratione præſumitur*.

5. Quod autem mens, in iſtis exercitiis, ad regulas reſpiciat, vel prout in logica traduntur, vel ut a ratione naturali dictantur, manifeſtum eſt; quia alioqui temere, et ſine ratione de rebus pronunciaret. Unde ſi ratio-

nem

tionem cur ita quis concipiat, aut pronunciet, exigamus, non aliam reddet, quam aliquod præceptum logicæ; licet ipſum forte, nec ex libris, nec ab ullo magiſtro didicerit.

6. Differt geneſis ab analyſi, primo, quod geneſis eſſe poſſet, etiamſi nulla eſſet analyſis. Ut, ſi homines nullam ſocietatem in conceptibus & ſermonibus communicandi, colerent, nec ullus cogitata ſua examini ſubjiceret. At analyſis geneſin neceſſario præſupponit, tanquam materiam circa quam ipſa occupatur.

7. Secundo, in Geneſi mens, ut plurimum, circa res, præter voces, et conceptus, occupatur, cogitatione directa: in Analyſi vero, vel circa conceptus & ſermones alienos verſatur, vel circa ſuos, cogitatione reflexâ.

8. Tertio, Geneſis reſpicit cogitationes formandas, ſeu prout ſunt *in fieri*; Analyſis vero, ut formatas, et jam factas. Unde Geneſis eſt cauſa procreans conceptuum; at Analyſis eſt eorum index, eoſque explicat, et ſi recti ſint, probat, ſi erronei, damnat.

9. Quarto, in Geneſi, traditur idea debita, et judicium debitum de rebus, aut ſaltem tradi obtenditur. In Analyſi conſideratur & examinatur idea, et judicium quod traditur, ſive talia illa ſint, qualia eſſe debent, ſive non.

10. Quin-

10. Quinto, Geneſis prior eſt Analyſi: quia compoſitio rei prior eſt ejuſdem reſolutione : et prius cogitationes noſtræ recte formandæ ſunt, quam aliorum rite examinare poſſimus. Geneſis materiam analyſi ſubminiſtrat : at non viciſſim : niſi quod Analyſis occaſionem ſæpe prebeat ad Geneſin aliquam novam producendam, aut eam quam reſolvit corrigendam, ſi male alicubi procedat, aut perficiendam, ſi imperfecta ſit.

11. Sexto, Geneſis eſt operatio mentis magis neceſſaria, et præſtantior ac difficilior quam Analyſis. Melius enim & difficilius eſt, proprias cogitationes recte formare, et regere, quam alienas intueri, et dijudicare. Unde finis Analyſeos eſt Geneſis. Ideo enim aliorum dicta & cogitata reſolvimus, et explicamus, ut noſmet, aut alios inſtruamus, et ſcientiam alienam noſtram faciamus, ſeu aliis communicemus; aut denique ut errores, in quos alios incidiſſe perſpicimus, ipſi caveamus.

12. Septimo Geneſis procedit a notionibus ſecundis ad primas, ſive a præceptis ad res, in particulari, ſub illis contentas : ut a genere aut differentia in communi, ad hoc vel illud genus, hanc vel illam differentiam inveniendam. Analyſis contra, a notionibus primis ad ſecundas, ab exemplis ad præcepta, et juxta hæc illa examinat.

Ex: g.

Ex: *g*. Conſiderat hanc propoſitionem ab alio prolatam, *omnis ſpiritus poteſt ſeipſum movere*. Et inquirit de illius *ſubjecto*, ſitne ſpiritus creatus tantum, an etiam increatus: de *attributo*, ſitne commune, an proprium; eſſentiale an accidentarium; et ſi eſſentiale, utrum ſit genericum an differentiale; et ſi poſterius, utrum prima differentia ſubjecti, an non.

13. Dividitur geneſis in *didaſcalicam* & *pathéticam*. Didaſcalica eſt tractatio ſtricta & accurata, claram rei cognitionem, quoad fieri poteſt, continens. Pathetica vero, quæ non tantum ad intellectum illuminandum, ſed etiam & præcipue ad affectus movendos ordinatur. Unde minus accurata, ut plurimum, eſſe ſolet. Prior modus tractandi, philoſophicis diſciplinis familiaris eſt. In illis enim res difficiles tractantur, quæ ſermone ornato, et pathetico, commode explicari ſæpius recuſant, ſed doceri contentæ ſunt ut ait Poeta. Poſterior oratoribus, Poetis, et hiſtoricis proprius eſt. Semper tamen aliquid prioris admixtum habet: quia affectus non moventur, niſi rebus aliqualiter explicatis. Interim tamen nihil opus eſt in didaſcalica tractatione, illa barbarie ſermonis uti, quæ apud ſcholaſticos Pontificios dudum jam obtinuit.

CAP.

CAP. II.

Præcepta quædam exercitiis geneticis antecedanea.

1. QUI ratione ſua recte uti vult in cognitione rerum acquirenda, expendere debet quænam ab eo cognoſcenda ſint; quis ipſe ſit qui cognitionem ambit; et qua via, et quibus mediis, ipſa quærenda ſit.

2. Ad primum quod attinet, illa ſola ſibi cognoſcenda proponere debet, quæ ab homine in hac vita cognoſci poſſunt. Non autem illa quæ captum & indaginem humanam ſuperant, quales ſunt res infinitæ, inſcrutabilia perfectionis divinæ, et quæ ad ſeculum futurum pertinent. Item illa, quæ omnia ingenia hactenus torſerunt. Cognoſci autem a nobis non poſſe illa omnia reputabimus, quibus indagandis, nulla ſuppetunt principia, neque innata, neque per ſenſum aut experientiam acquiſita: et quæ, ſi divina ſint, a Deo non revelantur. Arcana quidem naturæ, licet hactenus abſcondita, tentare licet: verum, niſi ſpes aliqua propoſiti potiundi apparet, in conatu iſto non eſt perſiſtendum.

3. Nec omnia quæ ſciri poſſunt corradenda

da ſunt, ſed ea tantum quæ ſcitu magis ſunt neceſſaria ad noſtram fælicitatem. Imprimis illa quæ ad pietatem & juſtitiam promovendam maxime faciunt, aut ad uſum & finem artium præſtantiorum, ut, Politicæ, juris prudentiæ, medicinæ, et quæ ſub his continentur. Sapientia enim non eſt rerum quarumcunque ; et multa poſſunt a viro docto ſine dedecore ignorari.

4. De ſeipſo autem quiſque penſitare debet ætatem & ingenium. Ætati omni, non omnia ſcienda conveniunt. Prima enim, quæ pueritia & adoleſcentia eſt, exerceri debet circa linguas, et rudimenta diſciplinarum faciliorum, puta Arithmeticæ, Geometriæ, Geographiæ, et ſimilium, quæ ſenſum & memoriam deſiderant, quibus adoleſcentia pollet maxime. Matura vero ætas, creſcente judicio, ad difficiliora aſcendere poteſt, nempe ad cauſas & principia rerum exquirenda.

5. De ingenio explorandum eſt, quibusnam rebus tractandis & addiſcendis aptius ſit. Nec enim omnes ad omnia ex æquo habiles ſunt. Alii ad Matheſin, alii ad Poeſin, alii ad eloquentiam, alii ad ſeveriores contemplationes, pauci ad multa aut omnia idonei. Et quo genius ſuus quemque inclinat, ipſe judicare facile poteſt. Sed de facultate ad id acquirendum, alii ſunt conſulendi.

6. Ad

6. Ad viam & media cognitionis acquirendæ quod attinet, ſuperfluum eſſet monere, ut viam breviſſimam, facillimam, et certiſſimam eligamus. Omnes enim iſta in genere, ſponte ſua probant, et expetunt. Sed ea ut aſſequamur, imprimis innitendum eſt, eam viam capeſſere quæ naturæ mentis noſtræ congruit, hoc eſt, quæ eam non invitam trahat, ſed ſponte ſequentem ducat & regat.

7. Deinde neceſſaria eſt *attentio* ſeu debita in rebus conſiderandis mora. Nam ea demum perceptio clara eſt, per quam res menti quaſi præſentes & apertæ ſunt. Ut autem tales ſint, requiritur ut mens ſtabilis, et defixa ſit, in earum conſideratione; nec per vagas cogitationes, et quaſi in tranſcurſu, ac oculo volante, eas inſpiciat.

8. Tertio neceſſaria eſt *cura*, ac *cautela*, ne inanes rerum ſpecies nobis illudant. Non igitur quod primum arridet, ſtatim amplectemur; nec primis cogitationibus noſtris, (ut nimis ſæpe fieri ſolet,) fidemus; ſed quicquid nobis offertur, tam diu ſub examine detinebimus, dum omnibus, quantum fieri poteſt, circumſpectis, ſolida ratione freti, certi ſimus nos veritatem inveniſſe.

9. Porro hallucinationes, non tantum illas quæ ex mentis noſtræ infirmitate, aut incogitantia, ac temeritate, ſed etiam quæ ex

affectu

affectu pravo oriuntur, diligenter cavebimus. Curandumque ut nudam veritatem in omnibus ſectemur, ſive pro nobis, hoc eſt, præſentibus conſiliis ac inſtitutis noſtris ſive adverſus nos pronunciet. Unica enim illa eſt, nec a noſtris cupiditatibus pendet, aut ab illis immutatur. Non igitur amicos aut ſocios profeſſionis noſtræ ſequemur, niſi rectâ nos eò veritas duxerit. Nec cum ipſis hoſtibus aut alioquin maxime malis, in eandem ſententiam ire recuſabimus, ſi id ratio ſuadeat. Quædam enim pars veritatis apud quemlibet hoſpitari poteſt. Nec cum aliorum opem adſciſſimus, etiam doctiſſimis, et ingenioſiſſimis nimis tribuamus, quaſi illi in nullo decipi poſſunt; ſed perpendendum, non quis dixerit, ſed qua ratione hoc vel illud dicatur. Hujus regulæ neglectu factum eſt, ut varii, in pleriſque diſciplinis, errores reperiantur.

10. Nec tamen duo illa Carteſii præcepta ſine limitatione amplectimur; nempe, ut *ſemel in vita de omnibus dubitemus*; *utque ſenſibus externis*, qui nos quandoque decipiunt, *minime fidamus*. Nec enim dubitandum eſt de iis, de quibus, nullam rationem dubitandi habemus; ut an noſmet ipſi ſimus &c; ſed tantum eatenus, et eo uſque dubitandum eſt, dum rationem certam inveniamus. Et quod ad ſenſus externos attinet, ſolum cavendum eſt, ne illis ſemper & in omnibus

omnibus circumſtantiis credamus, nempe ſi intemperie aliqua laborant, ſi objectum longius diſtet, aut minoris quantitatis ſit, quam ut ſenſu, clare & vivide percipi poſſit; ſi denique medium per ſe, aut ex accidenti aliquo, ineptum ſit, per quod veræ rerum imagines ad ſenſum deferantur.

CAP. III.

Præcepta ad Geneſin circa themata ſimplicia præſertim ad definitionem ſpectantia.

THema ſimplex aliud abſolute tale eſt, quod ordinarie, unica voce nominativi caſus, (licet adjectis ſæpe caſibus obliquis, ad ſignificationem ejus reſtringendam) efferri ſolet: ut *homo*, *lapis*, *motus*; *amor virtutis*, *metus mortis*: aliud comparate ad judicium, quod terminus complexus vulgo dicitur. Ut *homo doctus*, *lapis lydius*, *motus violentus*, *amor virtutis fictus*, *metus mortis ſervilis*. Et ejuſmodi thema ſimplex, frequenter nomine ſubſtantivo & adjectivo ſimul effertur, ſæpe etiam circumlocutione, ut ſubjectum hujus propoſitionis, *felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas*. De themate igitur ſimplici tractando præcepta ſequentia obſervanda ſunt. Præcep: I.

Præcep : 1. In themate, ſi terminus complexus fuerit, requiritur, ut partes conſentiant, non repugnent, aut ſe mutuò evertant, per *contradictionem* aut *repugnantiam in adjecto*, ut in ſcholis dici ſolet. Contra hanc legem peccant Pontificii, dum *ſacrificium incruentum* in Euchariſtia, ſeu potius in miſſa ſua, fieri aſſerunt ; nempe, in quo Chriſtus, etiamnum a ſacrificulis ſuis, Deo offertur pro peccatis vivorum, et animabus mortuorum in purgatorio : item cum dicunt eſſe quædam *opera bona*, *quæ Deus non præcipit* & *exigit*, ſed tantum indicat ; illa ſcilicet quæ *ſupererogationis* appellant, et in conſiliis divinis contineri fingunt. Etenim ſacrificio proprie dicto, quale illud eſſe volunt quod in miſſa fieri ſomniant, repugnat eſſe incruentum : nec illa opera bona eſſe poſſunt moraliter, quæ Deus non præcipit & requirit.

Non putandum quidem eſt mentem poſſe terminos, quos manifeſte repugnantes, eſſe percipit, componere ; licet ſermone externo id facilè fiat : ſed tantum per incogitantiam, aut propter affectum vehementiorem, in hunc errorem incidere. Sunt tamen termini, in quibus altera pars rem denotat prout fuit de præterito, aut erit de futuro, altera prout eſt de præſenti, quarum idcirco altera alteram non evertit, licet ita facere videatur, ut *homo mortuus*, *domus condenda*,

denda. Nam in termino *homo mortuus*, *homo* significat id, non quod jam est, sed quod fuit homo ; et in altero, *domus* significat, non id quod nunc domus est, sed quod erit domus.

2. Additamenta supervacanea sunt vitanda. Cum enim omne additamentum, vel explicativum sit, vel determinativum, ut supra part : com : cap. 18. Sect. 8. ostendimus, supervacaneum erit, quod nec explicat, nec determinat, (ampliando aut restringendo) id cui additur. Ut si quis dicat *animal vivens* non indicans posteriorem partem, priorem explicare, quod fieret dicendo *animal quod est res vivens.* Omne enim animal est vivens. Adeoque pro utroque satis fuisset dixisse *animal*, nisi quis intenderet verum animal a cadavere discernere.

3. Attributa thematis qualecunque fuerit, exquirenda sunt, et contemplanda. Cognoscuntur enim res per sua attributa ; sed maxime quærenda sunt attributa positiva, essentialia & propria. *Positiva* quidem quia illa explicant quid, aut qualis res sit ; negativa solum quid, aut qualis non sit, quod infinitis modis fieri potest. *Essentialia* vero, quia illa declarant rem ipsam secundum se ; accidentalia tantum declarant quid cum ea conjunctum sit ; *propria* denique, quia illa solam rem de qua inquiritur, notificant ;

communia

communia non illam, magis quam aliam quandam cui ſimul conveniunt. Nec tamen attributa negativa ſemper rejicienda ſunt, (quandoque enim poſitiva vel nulla ſunt, ut in non-entibus, vel aſſignari a nobis nequeunt,) ſed cum infinita ſint, ea ſeligemus, quæ ad rem diſtinguendam ab aliis vel omnibus vel quibuſdam ſunt idonea. Sic Deus, in ſacris literis, cognoſcendus nobis proponitur, per multa attributa negativa, quibus a rebus creatis diſtinguitur, et omnis ab eo imperfectio removetur. Accidentaria etiam oſtendunt quarum rerum aut privationum capax ſit res: communia convenientiam illius cum aliis exhibent.

4. Magis etiam quærenda ſunt attributa neceſſaria, quæ non poſſunt rei non convenire, quam contingentia, quæ ſecus. Illa enim ſunt conſtantia, et perpetua rei criteria; hæc mutabilia & incerta.

5. Ut autem attributa rei facilius inveniamus, expendendum primo eſt, de voce qua exprimi ſolet, quid illa proprie ac primo ſignificet, aut ad quodnam ex uſu proprio, et prima inſtitutione, ſignificandum transferatur, et ſic conſtituenda eſt definitio nominis. Ut vox *philoſophia* proprie, et ex prima intentione hominum, *amorem* aut ſtudium *ſapientiæ* denotat, quæ definitio nominis eſt. Verum cum hinc transferatur ad ſapientiam ipſam indicandam, hujus idcirco

alia definitio eſt quærenda.

6. Poſt definitionem nominis, inquirendum eſt an ſit res, quæ eo appellatur: hoc eſt, vel an poſſibilis ſit, vel an actu exiſtat. Fruſtra enim de non-ente inſtituitur tractatio. Sed inquiſitio iſta, per præcepta thematis complexi tractandi, (de quibus infra) dirigitur.

7. Si igitur conſtet rem eſſe, ſive actu ſive poteſtate, duplex eſſe poteſt illius conſideratio: alia abſoluta, ut eſt in ſe; alia comparata; prout alias reſpicit. Et tractatio abſoluta ſimplicior cum ſit, comparatam antecedere debet.

8. In conſideratione abſoluta, primo inveſtigandum eſt *Genus* rei, ſeu videndum eſt ad quemnam ordinem rerum ſpectet res, puta ſitne ſubſtantia, an modus, an vero hujus illiuſve attributum. Iſtud autem ut conſtet, reſpiciendum eſt ad horum omnium ideas, ſupra traditas, et diſpiciendum eſt, quænam ex illis rei congruat. Si ſubſtantiam eſſe comperiamus, videndum rurſus, ſitne materialis an ſpiritualis, et ad quemnam vel hujus vel illius ordinem referenda ſit. Si modum, expendendum eſt, an ſit modus materiæ an ſpiritus, et (percurrendo omnia utriuſque modorum genera, ſi opus erit) ad quodnam ex illis connumerandus ſit.

9. Genus non qualecunque, ſed proximum

mum ſi fieri poteſt, exquirendum eſt. Hoc enim rem a pluribus diſtinguit, quam genus remotum. Iſtud autem ut præſtetur, eo uſque attributum genericum dividendum eſt, dum ad ejuſmodi membra deventum fuerit, quorum alterum ſoli rei cognoſcendæ, et uni alicui alii ſpeciei commune ſit. Difficile nonnunquam eſt genus rei etiam remotum, præter remotiſſimum nempe ens, (inter ens enim & non-ens facillime diſtinguitur) invenire: ut utrum *lux* ſit ſubſtantia, an modus ſubſtantiæ. Sed longe difficilior eſt proximi inveſtigatio: quia differentiæ, quo magis ad infimas & individuantes accedunt, difficilius inveniuntur. Interim tamen quandoque non multum refert, ſive proximum ſive remotius genus aſſumpſeris. Utdicaſne logicam eſſe *artem* abſolute, qua ratione recte utimur, an *artem circa mentem occupatam*. Differentia enim gradum illum propinquiorem exprimit. Neceſſe tamen eſt, aliquod genus aſſumere, vel explicite vel implicite. Differentia enim per ſe, ſeu in abſtracto, nullo attributo generico ſubintellecto, non poteſt vere de ſubjecto ſuo affirmari. Nec enim dicere licet hominem eſſe *virtutem* ratiocinandi. Quod ſi dicas, *homo eſt virtute ratiocinandi præditus*, idem erit ac eſſe *aliquid virtute illa præditum*. Illud autem *aliquid* eſt genus, licet remotiſſimum.

10. Sed longe operoſius deſudandum erit in differentia eſſentiali exquirenda. Dignoſcitur autem ex eo, ſi abeſſe repugnet a re, et tamen cum ea reciprocetur. Et quo res quæ tractatur minus communis eſt, ſeu propius ad ordinem ſingularium accedit, eo plerumque difficilius invenitur. Paucas enim ex differentiis ſpecierum infimarum tenere ſe, profitentur philoſophi.

11. Præterea, ex differentiis eſſentialibus, (plures enim ejuſdem rei eſſe poſſunt,) *primæ* maxime quærenda. Hæc enim eſt cauſa, vel ratio reliquarum. Primam autem eam putabimus, in qua reliquæ, ſi appareant, fundantur, ſive ad quam conſequuntur, eo modo quo effectus neceſſarius ſequitur ſuam cauſam, non autem viciſſim. Et ſi res operativa ſit, principium primæ, ſeu nobiliſſimæ operationis, ex qua reliquæ pendent prima differentia ſtatuetur. Si non operativa ſit, difficile eſt regulam aſſignare communem. Speciales autem variæ infrà tradendæ ſunt.

12. Si res poſitiva ſit, differentia illius poſitiva quærenda eſt. Ejuſmodi enim differentia carere vix poteſt: Et negativa ſolum oſtendit quid res non ſit. Aliquando tamen negativam aſſumere cogimur, Quia poſitiva non occurrit; ut cum beſtiam definimus *animal rationis expers*, vel *merum animal*; Materiam, *ſubſtantiam perceptionis expertem*.

Et

Et Poſitiva differentia, ſæpe voce negativa effertur. Exemplum vulgo ponitur in beſtia, quæ definitur animal *rationis expers*. Interim tamen fieri poteſt, ut differentia inter duas res, ex altera parte ſit revera negativa: ut inter hominem dormientem & vigilantem: nempe cum altera omnia habet ſimilia cum altera, præter unum aliquod. In eo enim caſu, differentia alterius ab altera erit, quod careat illo, quod alteri eſt proprium. Sed differentia poſitiva quærenda non eſt, cum res definienda eſt privatio aut negatio, aut pro ratione formali, negationem, aut privationem includit. Niſi quod in privationibus differentia, ex parte, a reſpectu ad ſubjectum deſumi ſoleat.

13. Primæ differentiæ ſubjungendæ ſunt ſecundæ, ſeu proprietates eſſentiales conſequentes, ut vocantur. Et ſi aliquem ordinem prioris & poſterioris inter ſe habeant, ordo ille notandus eſt. Oſtendendum enim eſt, quænam ex illis immediate ſequatur differentiam primam, et quomodo tertia ſequatur ſecundam, et ſic porro. *Ex: g. facultas ratiocinandi*, eſt prima differentia hominis, per quam homo differt ab omnibus aliis rebus ſaltem corporeis: ex hac autem ſequitur *potentia admirandi*; quia enim præſtantiam rei per rationem percipit, aut quia cauſam aliquam illius eſſe novit, quam in ſpecie aut individuo, non capit,

ideo miratur. Sequitur *facultas libere eligendi*, aut *respuendi* aliquid: per rationem enim videt quædam esse indifferentia ad finem, et e pluribus unum aut alterum ex æquo sufficere: ex hoc autem sequitur *culpabilitas* electionis malæ; et ex hac rursus *punibilitas* secundum justitiam.

CAP. IIII.

De Definitionibus & Divisionibus conficiendis præcepta specialia.

PRO variis rerum generibus & affectionibus varia præcepta definiendi sunt necessaria. Nec enim omnes res eodem modo definiendæ sunt; nec ex iisdem locis desumuntur differentiæ, in quibus recte assignandis præcipua definiendi difficultas sita est. Præcepta illa trademus secundum ordinem, quem in generibus rerum & attributorum communium enumerandis, observavimus;

1. Substantiæ activæ definiuntur per virtutem suam activam propriam. Hæc enim earum primaria perfectio est. Dignoscitur autem virtus illa ex affectis, seu operationibus, quas substantiæ istiusmodi præstant. Sic planta definitur, *substantia corporea viveni*

vens: animal, *ſubſtantia corporea vivens ſentiens:* homo, *vivens, ſentiens intelligens,* ſeu *rationalis.* Præcipue autem ſic definiuntur ſubſtantiæ ſpirituales, quarum perfectio propria in virtute agendi præcipue ſita eſt.

2. Quæ ex ſe paſſivæ tantum ſunt, illæ, quatenus tales, per virtutem ſeu potentiam receptivam aliarum rerum, aut modorum, definiuntur. Sic materiam primam definiunt Peripatetici juxta placita ſua, (puram enim potentiam, paſſivam vocant) *ſubſtantiam multarum formarum,* et *variæ mutationis capacem.* Sed fruſtra monent ſubſtantias materiales per formas ſuas definiendas eſſe; quia licet verum illud ſit, formas tamen invenire, hoc opus hic labor eſt.

3. Modi definiuntur per reſpectum ad ſubjectum cui inſunt, et effectum formalem quem ipſi præſtant. Ut figura, quod ſit *terminatio magnitudinis*; motus, quod ſit *mutatio loci in ſubſtantia*; perceptio, quod ſit *formatio ideæ in mente.*

4. Res ſingulares creatæ definiuntur, enumeratione accidentium propriorum: ut Alexander Magnus, quod *filius Philippi Macedonis* fuit, *regni perſici everſor.* Attributa enim eſſentialia, communia ſunt, et in definitione ſpeciei evolvuntur. Sed Deus, qui ens ſingulare increatum eſt, definitur per attributa eſſentialia. Quia qua tale

ſing lare

ſingulare eſt, attributa propria plurima, et notiſſima habet.

5. Relationes definiuntur mentione facta ſubjecti, fundamenti & termini; ut eſſe patrem *eſt genuiſſe alium*: eſſe dominum, eſt *jus habere utendi* aut *fruendi re aliqua*. Eſſe ſimile, eſt *unum eſſe ut aliud*.

6. Res compoſitæ, qua tales, definiuntur per partes, et earum unionem: ut extenſum eſt, cujus *pars eſt extra partem*; continuum, cujus partes cohærent: homo eſt *ſubſtantia corpore organico, et anima rationali conſtans*. Concretum vero definitur per ſubjectum & formam; ut juſtus eſt *qui juſtitia præditus*. Sed notandum hic eſt, ut perſpicue definiatur res compoſita, ſi partes per ſe notæ non ſint, illas etiam ſeorſim eſſe definiendas. *Ex: g*: Ut clara ſit definitio hominis, quæ per partes eſſentiales fit, puta corpus, et mentem, et eorum unionem, neceſſe eſt explicare quid ſit *corpus* organicum, quid *mens*, et quomodo hæc illi uniatur. Et ut plena ſit definitio *juſti*, oſtendendum eſt, tum quid ſit *juſtitia*, tum etiam quidnam ſit cui illa ineſſe poſſit. Unde colligere licet unam ſententiam rei definiendæ non ſufficere, niſi termini illius ante definiti fuerint, ſed neceſſarium ſæpe eſſe integram tractationem.

7. Potentia activa, ſub qua & habitus continetur, definitur per actum quem exercere,

cere, et effectum quem per illum producere apta est. Ut patientia est *virtus recte ferendi res adversas.* Potentia creandi est *virtus producendi aliquid ex nihilo*, aut *ex materia inhabili.*

8. Potentia passiva definitur per id quod res recipere potest : ut divisibilitas est *per quam partes rei separari possunt.* Mutabilitas *per quam res potest esse diversa ab ea quæ nunc est.*

9. Actus percipiendi, et appetendi, definiuntur per respectum ad objecta, et modum proprium quo in illa feruntur. Ut judicium est, *quo aliquid de aliquo mens statuit.* Assensus, *per quem judicamus aliquid esse :* dubitatio, *cum mens hæret*, seu cum nec judicare potest rem esse, nec non esse. Potentiæ vero actuum ejusmodi per actus definiuntur.

10. Actiones qualescunque, definiuntur mentione agentis, et termini producti : ut scriptio est *characterum regularium formatio*, ab homine. aut aliquo alio agente rationali : loquela est *formatio sonorum articulatorum, conceptus* & *affectus animi significantium.*

11. Signa definiuntur mentione signati : ut vox est *signum rei conceptæ :* Sacramentum est *signum beneficii spiritualis.*

12. Privationes definiuntur mentione subjecti, et formæ quam ex eo tollunt : ut cæcitas est *carentia visus*, seu *potentiæ videndi in oculo*, vel *animali.* 13. Ex

13. Ex his quæ jam dicta ſunt, manifeſtum eſt unam & eandem rem, ſub diverſa ratione, diverſas definitiones admittere. *Ex: g.* aliam definitionem admittit res ut activa, aliam ut paſſiva: et alia eſt definitio hominis, ut eſt totum logicum, ex genere & differentia conſtans, alia ut eſt totum phyſicum, ex corpore & mente. Et alio modo definitur mens ut intelligens, alio ut appetens.

14. Præcepta de reliquis, quæ in prima parte logicæ tradita ſunt, definiendis, ut de ſubjecto & adjuncto, toto et parte, cauſa & effecto & ejuſmodi quæ hic prætermiſimus, minime ſunt neceſſaria. Nam qui noverit quid ſit ſubjectum, aut adjunctum in genere, novit etiam quid ſit eſſe ſubjectum aut adjunctum hujus aut illius rei, quatenus eſt tale, et ſic de reliquis. Sed de his quæ nunc recenſuimus, præcepta quædam ſpecialia ſunt neceſſaria; quia ex definitionibus eorum in genere ſupra traditis, non ita facile tyronibus apparet quomodo in ſpecie definiendæ ſint. Ut data idea relationis in genere, non ſtatim apparet quomodo hæc & illa relatio definienda ſit.

15. Poſt definitionem, diviſio, ſi res eam poſtulat, inſtituenda eſt. Poſtulat autem res, ſi multiplex fuerit; multiplex autem cenſenda eſt, ſi univerſalis ſit, puta genus aut ſpecies; aut totum quoddam, eſſentiale

eſſentiale, integrale, aut collectivum, præſertim heterogeneum. Tum enim partium diverſitas diviſionem requirit, ut ſic illæ ſeorſim conſiderentur, et diſtinctior totius cognitio habeatur.

16. Si igitur res dividenda ſit genus, diviſio facienda eſt in ſpecies: ſi ſpecies fuerit, dividenda eſt per varia accidentia. Si totum eſſentiale, in partes eſſentiales; ſi integrale in integrantes; ſi collectivum in partes collectivas. Subjecta dividenda ſunt per adjuncta: cauſæ per effecta, aut diverſum modum cauſandi; effecta per cauſas, aut diverſum modum dependendi ex illis.

17. Poſt diviſionem, novæ definitiones membrorum ex ea reſultantium, inſtituendæ ſunt, juxta præcepta definitionis jam data: et novæ ſubdiviſiones, prout materia poſtulat; dum tandem ad individua deventum fuerit, aut ad ea in quibus, nulla notabilis differentia invenitur; aut denique quæ in aliqua alia diſciplina tractanda ſunt.

CAP.

CAP. V.

De inveſtigatione cauſarum & reliquis quibus thema ſimplex tractatur.

CUM mens noſtra, poſt eſſentiam rei definitione explicatam, proxime cognitionem cauſarum deſideret, ut ſic ſciet non tantum quid ſit res, ſed etiam unde ſit; in earum inveſtigatione ſingulari ſtudio elaborandum eſt. *Felix* enim habetur, *qui potuit rerum cognoſcere cauſas.* De illis igitur inveſtigandis, ſequentia præcepta ſubjiciemus. Quanquam hic ingenium, et ſolertia deſideretur, magis quam præcepta.

1. *Materia* ex qua res conſtat hinc dignoſcitur, ſi in re aliquid inveniamus, quod formam aut modum quendam ſuſcipit, ad quem ex ſe indifferens eſt, et per quem determinatur ad certum ſtatum, ſeu ſpeciem. Sic intelligimus *tres terminos* eſſe materiam ſyllogiſmi ſimplicis, *homines* eſſe materiam Eccleſiæ, aut Reipublicæ.

2. *Formam* habemus, cum id in re percipimus, quod aliud in eâdem afficit, et determinat: et propriam quidem, (quæ maxime quærenda,) ſi eam ab omnibus aliis diſtinguat. Ut ſi tres termini ita diſpoſiti ſint, ut tres propoſitiones conficiant, quarum

una

una ex reliquis ſequitur, diſpoſitio illa erit forma ſyllogiſmi : et ſi plures homines veram religionem profitentes obſervemus, illa profeſſio erit forma eccleſiæ.

3. Materia & forma rei, ſi qua ſit, in definitione plerumque memorantur. Non tamen abs re erit, illa ſeorſim, et diſtincte notare, ut lector eos facilius agnoſcat. Ut theologi poſtquam definiverunt eccleſiam *cœtum hominum, veram religionem erga Deum in Chriſto profitentium* ; addunt materiam eccleſiæ eſſe *cœtum* hominum ; formam eſſe illam *profeſſionem.* Memoria etiam tenendum eſt, materiæ rationem habere omne illud quod analogum eſt materiæ proprie dictæ, puta rerum corporearum, ſive a natura, ſive ab arte illæ ſint.

4. In *concretis* ex ſubjecto & modo qualicunque, ſubjectum habet rationem materiæ, modus vero eſt forma : In reliquis compoſitis, partes, materiæ officio funguntur, unio vero partium, qualiſcunque tandem ſit, ſive phyſica, ſive relativa, pro forma habenda eſt.

5. Cauſa *efficiens* in genere, dignoſcitur ex effectis, in hunc modum : *ſi aliquid reperiamus, quod virtutem habet rem efficiendi* (de quo ex attributis illius judicandum eſt) *et nihil aliud inveniri poſſit, a quo res oriatur ; ſi res talem cauſam exigat, et ea poſita in actu, conſtanter ſequatur, ſublata vero ceſſat,*

aut

aut non ponatur, nullo impedimento interveniente, illud pro cauſa efficiente habendum eſt.

6. Ex effectis etiam percipimus indolem cauſæ; nempe, ſitne intelligens, an intelligentiæ expers; neceſſaria, an libera; potens, an debilis; vehementer agat an languidè.

7. Ex modo cauſandi intelligimus qualisnam cauſa ſit; prima, an ſecunda; proxima, an remota; ſubordinata, an coordinata; ſolitaria, an ſocia; principalis, an inſtrumentalis, ac miniſtra; adæquata, an partialis; juxta harum omnium ideas ſupra traditas parte communi.

8. *Objectum* ex eo percipitur, ſi attributa aliqua illius, proprietates, aut ſpecies, per actum attinguntur. Sic intelligimus *operationes intellectus* eſſe primarium objectum logicæ, quia, quæ in ea præcipue intenduntur tractanda, illarum ſunt attributa, modi, et ſpecies.

9. *Finis* rei inveſtigatur, conſiderando ad quidnam res natura ſua apta ſit, et quid per eam obtineatur, aut procuretur. Ut *pluviæ* finem eſſe terram emollire, et ſuccum ac humorem viventibus ſubminiſtrare. Qualiſnam autem finis ſit, ex illius diſtributionibus ſupra traditis, ſatis intelligetur; puta propriuſne an communis; ſupremus, an ſubordinatus, per ſe an per accidens; &c.

10. In

10. In definitionibus ſæpe adhibentur cauſæ efficientes & finales; licet illæ extrinſecæ ſint rei definiendæ. Differentiæ enim nonnunquam ex illis deſumuntur. Ut habitus ordinarius definitur, *diſpoſitio rei percipientis crebris actibus acquiſita, ad facile & expedite operandum.* Verum per finem magis declaratur natura rei, quam per efficientem; licet & hanc ſæpe redoleat. Finis enim aptitudinem rei ad aliquid procurandum denotat, ut quod *homo natus ſit ad Deum glorificandum*, de eo docet facultate inſtructum eſſe, per quam poſſit Deum cognoſcere, ſupra omnia deligere, ipſique obſequium præſtare.

11. Poſt tractationem cauſarum, accidentia, ſeu adjuncta, inquirenda ſunt; ſive inhærentia illa fuerint, ſive adhærentia. Sed non niſi propria, aut ſaltem univerſalia, hoc eſt quæ omnibus, aut pleriſque eorum quæ in re continentur, conveniunt. Quæ enim rei communia ſunt cum aliis, parum aut nihil faciunt ad eam explicandam. Quæ paucis ex illius inferioribus conveniunt, non niſi diviſione facta, ponenda ſunt.

12. In tractatione comparata, adhibenda ſunt rei *cognata*, ſeu *conſentanea*, puta ſimilia, paria & æqualia; et *repugnantia*, ſeu *diſſentanea*, ut contraria, et privantia. Contradicentium & diſparatorum rarior eſt uſus. Nec in reliquis aſſignandis diu im-

morandum eſt ; et ea ſeligenda ſunt, quibuſcum res maxime convenit, et a quibus magis immediate, et e diametro diſſentit: illa ſcilicet, quibus juxta cum eâ poſitis, ipſa magis eluceſcat.

13. Ad methodum thematis ſimplicis tractandi quod attinet, ex dictis jam conſtare poteſt, vocem primo ſi opus ſit, diſtinguendam, deinde rem, prout hæc vel illa fuerit quæ voce ſignificetur, definiendam. Proxime addendæ ſunt omnes cauſæ ; deinde adjuncta : tandem conſentanea & diſſentanea. Et tum demum diviſionem eſſe inſtituendam, præſertim illa quæ eſt in ſpecies. Nam diviſio rei in partes ad tractationem cauſarum, nempe ad locum materiæ pertinet.

14. Unicum tamen reſtat, ut omnia præcepta ſint *homogenea*, et *reciproca*. Homogenea erunt ſi omnia de eadem re loquantur. Secus cum fit, vitium committitur, quod *digreſſio* ſeu μετάβασις εἰς ἄλλο γένος *tranſitus ad aliud thema* vocatur. Hoc enim licet oratoribus & poetis permittitur, quorum finis præcipuus eſt animum movere, philoſopho tamen, cui nuda & ſimplex rei explicatio incumbit, illicitum eſt.

15. Reciproca autem ſunt præcepta, quando quæ cum genere reciprocantur, aut ei propria ſunt in tractatione generis ; quæ vero propria ſunt ſpeciei, in tractatione ſpeciei,

ciei, proponuntur. Sic enim tractatio erit ordinata, perſpicua, et jucunda ; et res quam clariſſime menti audientis aut legentis obverſabitur. Secus ſi fiat, erit turbata, obſcura, et alios offendet : *Ex : g.* De vita in genere non agendum eſt in tractatione animalis, ſed viventis. De ſenſu non in tractatione hominis, ſed animalis. Præceptum iſtud extenditur non tantum ad attributa eſſentialia, ſed etiam ad cauſas efficientes, et finales, adjuncta, cognata, et oppoſita. Et hæc de tractatione thematis ſimplicis.

Sunt qui ad Geneſin circa themata ſimplicia dirigendam, varias ordines rerum proponunt ; ut univerſalium, ſingularium, ſubſtantiarum & modorum, concretorum collectivorum, privationum, et de ſingulis tractandis varia præcepta accumulant, quorum pleraque coincidunt. Sufficiant igitur hæc quæ tradidimus, quæ, præter nonnulla ad definitionem ſpectantia, generalia ſunt. Fateor quidem peculiarem quandam methodum eſſe tractandi ſubſtantias ſingulares, præſertim perſonas. Verum rhetorica magis quam philoſophica eſt, et a Voſſio traditur. partit. *Orat. lib.* 1. *cap :* 4.

CAP. VI.

De Geneſi circa themata complexa.

PER geneſin circa thema ſimplex, varia rei attributa eruuntur, ex quibus una cum re ipſa, cujus attributa ſunt, variæ propoſitiones conficiuntur. Erunt autem illæ vel evidentes vel non. Si evidentes fuerint, quieſcit mens, nec ulteriorem inquiſitionem inſtituit. Si non-evidentes ſint, hoc eſt, ſi vel dubiæ, vel falſæ, ſpeciem tamen veritatis gerant, aut rationibus in partem oppoſitam urgeantur, alia exercitatio inſtituenda eſt, quæ geneſis *ſyllogiſtica*, ſeu *diſcurſiva* dici poteſt. Ejus igitur objectum ſeu materia eſt thema complexum, nempe propoſitio dubia, aut difficultatibus implicita, aut falſa, ſed quæ a quibuſdam pro vera accipitur, aut facile imponere poſſit: et quatenus examini ſubjicitur *quæſtio* appellatur. Quæſtio alia eſt *de nomine*, cum quæritur an hoc vel illud tali nomine aut voce appellanda ſit. *Ex: g.* an convenientia plurium, præſertim illa quæ eſt in attributis eſſentialibus, aut neceſſariis, ſit univerſalitas, ſeu unitas quæ ad univerſale ſufficiat: hoc eſt, an nominibus *unitatis*, et *univerſalitatis*, appellanda ſit. Alia eſt *de re* nempe,

(cum

cum de ſignificatione vocum quibus termini quæſtionis exprimi debeant, ſatis conſtat) an attributum ſubjecto conveniat, necne. Ut, *an quod ſemel movetur, ſemper moveri debeat, ſi nihil occurrat quo motus illius ſiſtatur.*

Utraque vel eſt de notione prima, ubi attributum quæſtionis eſt notio prima; ut an logica ſit ars; an de rebus præter voces & conceptus agat. Vel de notione ſecunda, cum attributum eſt notio ſecunda. Ut an *rationale* ſit differentia hominis, an *album* & *nigrum* ſpecie differant, hoc eſt, an albedo & nigredo ſint differentiæ ſpecificæ. Prior quæſtio *realis*, poſterior, *notionalis* a quibuſdam dicitur; an ſatis apte alii forte queſtionem facient.

Modus tractandi duplex eſſe poteſt, ſolitarius ubi quis apud ſeipſum quæſtionem tractat; vel ſocius quando cum alio, qui ſtat a parte oppoſita. Ex his poſterior *diſputatio* dicitur: de priori ſequentia præcepta tenenda ſunt.

1. Summa cura diſpiciendum eſt de ipſa quæſtione, ſitne de nomine tantum, ex toto aut parte, an de re. Logomachiis enim omnes fere diſciplinæ ſcatent. Si autem de voce ſit; plane inutilis eſt illius ventilatio, niſi quod ad hunc exitum perduci poſſit, ut proprietatem loquendi oſtendamus.

2. Diſtinguenda eſt etiam quæſtio notio-

nalis a reali, poteſt enim attributum vere ſubjecto convenire, et tamen eam ad ipſum χσιν non gerere, quæ putatur. Ut, aliud eſt quærere, an extenſio, motus, et quies vere conveniant materiæ; aliud an ſint ei propriæ. Et alia quæſtio eſt an fides ad juſtificationem concurrat; alia vero, an ſit cauſa juſtificationis.

3. Ubi plures quæſtiones complicatæ ſunt: diſtinguendæ ſunt, et ſeorſim penſitandæ. Fieri enim poteſt, ut altera affirmative, altera negative concludenda ſit. Et facilius eſt connexionem unius cum uno, quam plurium cum pluribus recte dijudicare. Item videndum an quæſtio propoſita aliam præſupponat prius diſcutiendam; et diſtinguenda eſt quæſtio incidens a principali. *Ex: g.* hæc, *an* ὁ λόγος *officio mediatorio functus ſit ante incarnationem*, tres quæſtiones includit; nempe an homines beneficia mediationis acceperint ante incarnationem λογυ; an λογος ipſe ea applicaverit; et an applicatio illa fuit opus mediatorium. Ex quibus tertia principalis eſt, quia ad quæſtionis complexæ ſolutionem maxime conducit.

4. Verus quæſtionis ſtatus, quæcunque tandem illa ſit, ponendus eſt. Secus enim culpa admittetur, quæ *ignoratio Elenchi* appellatur: et omnem operam in quæſtione tractanda perdemus.

5. Ter-

5. Termini omnes quæſtionis prægnoſcendi ſunt, et nihil in illis obſcurum, aut ambiguum relinquendum eſt. Prius enim intelligere oportet, quid ſubjectum & prædicatum ſignificent, quam percipere poſſimus, an hoc illi conveniat aut repugnet. His enim incognitis, nihil de quæſtione ipſa, niſi temere & caſu pronunciare poſſumus: male autem intellectis, neceſſe eſt rationes quas adducimus, aliud concludere, quam concludendum eſt. Et quo perfectius naturam & attributa terminorum capimus, eo facilius rationes inveniemus ad connexionem aut disjunctionem eorum concludendam. Siquidem illæ ex attributis utriuſque præcipue deſumuntur.

6. Nihil ſine ratione aſſerendum eſt, vel certa, vel ſaltem probabiliori. Vel enim propoſitio quam ſtatuimus, per ſe nota eſſe debet, adeoque ratione confirmari non indiget; vel ſi dubia, aut ignota fuerit, per alias notiores elucidanda eſt. Secus enim temere de ea ſententiam ferimus, et rationem abdicamus. Interim tamen τὸ διότι non eſt ſemper quærendum; ſed ſufficere debet τὸ ὅτι, cum potiorem rationem non aſſequimur. Hoc eſt, quod verum eſſe conſtabit, amplectendum eſt, licet difficultatibus circumſeptum, quas facile ſuperare non poſſumus. Sic *Deum eſſe immenſum* recte ſtatuimus, præeunte ſcriptura ſacra, et ratione;

licet modum iſtius immenſitatis definire difficile ſit: ut ſitne tota eſſentia divina ubique, an vero extenſa ſit per partes, aut quaſi partes. Nec in practicis certitudinem ſemper quæremus; quia occaſio agendi forte præterlabetur, antequam eam inveniamus. Sed ſufficit id eligere, quod veriſimilius ad finem conducere videbitur: modo certi ſimus aliquid nobis eſſe tentandum.

7. Nullum axioma ponendum eſt, quod non ſit evidentiſſimum. Pro evidenti autem habendum eſt, ſi debita attentione adhibita, attributum in idea ſubjecti contineatur, aut eidem repugnet. Alii ſic exprimunt, axioma eſt cujus veritas cognita ſignificatione terminorum ſtatim innoteſcit. Nec proinde demonſtrari debet, quia ex ſe, omnem evidentiam habet, quam ope demonſtrationis habere poteſt.

8. Propoſitiones jam demonſtratæ inſtar axiomatum ſumi poſſunt, ad alias dubias demonſtrandas. Perinde enim eſt, ſive per ſe notæ ſint, ſive aliunde, propoſitiones ex quibus diſcurrimus, modo de earum veritate ſatis conſtiterit.

9. Præcognita qualitate quæſtionis, et terminis ſatis definitis, ac axiomatis, ſi opus fuerit, præſtitutis, proximus labor eſt argumenta excogitare, et adhibere ad alteram partem concludendam; quæ vel artificialia ſunt, nempe ex natura ſubjecti aut attributi,

tributi, aut quovis loco præter teſtimonium; ſive antecedentia, ſeu a priori fuerint; ſive conſequentia, ſeu a poſteriori. Vel inartificialia, quæ a teſtimonio divino, vel humano deſumuntur; nec, ut illa, artem requirunt. Sed de probationibus notanda ſunt præcepta ſequentia.

10. In probando non de ſola certitudine, ſed etiam de evidentia laborandum eſt, hoc eſt, non acquieſcendum in eo eſt, quod certiſimus rem ita eſſe, ſed enitendum etiam ut cauſam vel rationem cur ſit, adeoque rationem intrinſecam, proximam, propriam, et a priori teneamus. Secus quam in Geometria fit, prout multis jam ſeculis tradita eſt. In ea enim una propoſitio ſemper demonſtratur per aliquam aliam prius demonſtratam, ſi paucas excipias, quæ in initio ponuntur: cum credibile ſit, vel omnes, vel pleraſque per rationes intrinſecas demonſtari poſſe.

11. Cavendum eſt ne argumenta adhibeamus inutilia, quæ non concludant. Sic enim in deceptionem *non cauſæ pro cauſa* incidimus Et ſi ratiocinia noſtra ſcriptis committamus, aut ſermone externo proferamus, fiduciam facimus adverſario (ſi contingat aliquem ejuſmodi eſſe,) de veritate ſuæ ſententiæ, et infirmitate noſtræ, cum ipſe in errore verſatur; et ſpem de reliquis argumentis noſtris diluendis, quæ tamen

ſubverti

ſubverti nequeunt. Unde & bonæ cauſæ, inſcitia & negligentia noſtrâ injuriam facimus, eamque oneramus potius quam defendimus.

12. Quæ ſolum probabilia ſunt, probabilia tantum eſſe fatebimur; nec pro neceſſariis venditanda ſunt.

13. Pondere quam numero argumentorum magis eſt contendendum. Præſtat enim, vel unica ratio evidens, quam viginti earum, quæ exceptionibus ſunt obnoxiæ.

14. Ex theſi demonſtrata, corollaria, ſeu poriſmata, quæ deduci poſſunt, notanda, et eorum cum illa connexio probe tenenda. Quot modis autem illa deduci poſſint, oſtendimus ſupra, parte communi, *cap.* 28. *Sect.* 13. et ſeq.

15. De rationibus in partem oppoſitam diluendis, hæc breviter offerimus. 1. Obſervandum eſt, an in forma ſyllogiſtica deficiant. 2. Si contra eam nihil peccant, cogitandum eſt, an concluſio in præmiſſis contineatur. Hoc autem, extenſione & comprehenſione terminorum ſpectata, innoteſcet. 3. Videndum eſt an contra aliquam aliam veritatem evidentem militent: aut manifeſtam falſitatem neceſſario conſequentem habeant. Veritas enim, ſibi nunquam contradicit, nec ex ea ſequitur falſum. 4. Expendendum etiam eſt, an difficultatem

tem potius injiciant de modo rei, de qua quæritur, quam vere oſtendant eam aliter eſſe ac ſtatuimus. Ut ſi quis contra morulas in motu gravium, aut quarumlibet aliarum rerum quæ continuo moveri videntur, objiceret, non eſſe majorem rationem cur res in una parte ſpatii moretur, quam in alia: quod quamvis ἄ'λυσον ſit, aſſenſum tamen noſtrum veritati prohibere non debet, quæ vel ex eo manifeſta eſt, quod non omnia per idem medium pari velocitate moveantur.

CAP. VII.

Axiomata communia quibus plerique diſcurſus nituntur.

SED ad geneſin circa themata complexa promovendam, duo adhuc media ſuperſunt, nempe axiomatum & idearum communium obſervatio. Axiomata communia ſunt veritates per ſe notæ, vel facile demonſtrabiles, ad omnes fere ordines rerum, et attributorum ſpectantes.

1. De eſſe & non eſſe, tria ſunt axiomata. 1. *Nihil poteſt ſimul eſſe & non eſſe:* hoc eſt, exiſtere, et non exiſtere; eſſe tale, et non eſſe tale; ut eſſe album, et non eſſe album

album. 2. *Quodlibet eſt vel non eſt* : hoc eſt, exiſtit, vel non exiſtit. Eſt tale vel non eſt tale. Cui affine eſt illud, *inter eſſe & non eſſe*, ens & non-ens, *non datur medium* ; ſcilicet, quod nec ſit, nec non ſit, nec ſit ens, nec non-ens, aut partim ſit ens, partim non-ens. 3. *Quicquid eſt quando & quamdiu eſt neceſſario eſt* ; ſeu non poteſt non eſſe. Sequitur ex primo.

2. De ſubjecto & modo, ſeu adjuncto, vel accidente, duo ſunt. 1. *Poſito modo, adjuncto, aut accidente, ponitur ſubjectum*, ſed *non viciſſim.* Ut eſt motus, ergo aliquid movetur. 2. *Sublato ſubjecto, tolluntur omnes illius modi, adjuncta*, ſive *accidentia*, ſed *non viciſſim.* Ut ſi in Euchariſtia, poſt conſecrationem panis & vini, nec hujus, nec illius ſubſtantia ſuperſtes ſit, ut Pontificii affirmant, neque ulla figura, color, ſapor &c, remanebit quod contra ſenſum eſt. Ratio utriuſque eſt, quia modus eſſentialiter & neceſſario pendet a ſubjecto. Adjunctum autem ſeu accidens, licet de ſe, non ſemper requirat ſubjectum, nempe cum ſubſtantia eſſe contingit, eſſentialiter tamen dicit reſpectum ad ſubjectum : ita ut ſi ab eo ſeparetur, non amplius eſt adjunctum aut accidens. Sed ſubjectum non neceſſario requirit hunc aut illum modum, aut hoc vel illud adjunctum determinate.

3. De illis quæ identificantur & diſtinguuntur

guuntur hæc ſunt axiomata. 1. *Quæ idem ſunt*, quatenus ſunt idem, *poſſunt de invicem affirmari*; *negari* autem ſalva veritate *non poſſunt*: ut *homo* & ἀνθρωπος, *enſis* & *gladius*. 2. *Quæ ſunt eadem uni tertio ſingulari*, aut cuivis rei, ejuſdem extenſionis, *ſunt eadem inter ſe*. De hoc ſupra parte com: Cap. 27. Sect: 8. 3. *Quæ diſtinguuntur*, quouſque diſtinguuntur, *negari poſſunt de ſeinvicem*; *affirmari* vero *non poſſunt*: ut miſericordia & juſtitia in Deo, in ſenſu formali. 4. *Quæ ſeparari poſſunt a ſeinvicem*, ſive ambo ſimul ſeparatim exiſtant, ſive non, *tanecceſſario diſtinguuntur*. Secus enim idem ſimul eſſet & non eſſet. Non tamen omnia, etiam quæ realiter diſtinguuntur, ſeparari poſſunt; ut pater æternus & filius: ſicut nec illa quæ ſola ratione diſtinguuntur, ut *intellectus* & *voluntas* in mente.

4. De relatis unicum eſt axioma. *Poſito uno relatorum ponitur alterum, et ſublato uno tollitur alterum*: ut eſt pater. Ergo eſt aliquis filius; non eſt pater: Ergo, nullus eſt filius.

5. De univerſalibus in genere, hæc ſunt. 1. *Quicquid convenit univerſali, dempta ipſa univerſalitate, convenit unicuique ſingularium, quæ in extenſione illius continentur.* 2. *Quod repugnat univerſali, repugnat etiam omnibus quæ in extenſione illius continentur*; dempta tamen ſingularitate, et aliis

rationibus

rationibus formalibus inferioritatis. Repugnat enim universale esse singulare; et generi, qua genus est, esse speciem De his etiam supra dictum est, ubi de principiis consequentiarum in syllogismis universalibus egimus. 3. *Posita singulari* in creatis *ponitur universale secundum essentiam*, seu comprehensionem suam spectatum : sed posito universali sic accepto, non ponitur ullum singulare determinatum : ponitur tamen aliquod indeterminatum. Ratio est, quia universale, secundum essentiam spectatum, continetnr in quovis singulari, puta, *homo* & *animal* in Petro; sed nullum singulare determinate continetur in universali sic spectato, sed tantum aliquod indeterminate. Axioma istud generalioribus terminis efferri potest, et debet; *posito quovis inferiori, ponitur superius, et eo negato tollitur.* Et *posito superiori ponitur quoddam inferius indeterminate*, non autem unum determinate magis quam aliud. Hic tamen intellige superius & inferius in eadem linea categorica. Et *Positis omnibus inferioribus, ponitur superius universaliter consideratum, seu in tota sua extensione*, et *negatis aliquibus inferiorum tollitur.* Huic axiomati nititur *inductio.*

6. Axiomata de genere, specie & individuis, huic proxime memorato innituntur, seu in eo continentur, hæc scilicet, 1. *Posito individuo ponitur species*; *posita specie ponitur*

nitur genus. Intellige hic genus & ſpeciem abſolute, ſecundum naturas ſuas in particulari, non autem ſecundum univerſalitatem: ut eſt Socrates, ergo eſt homo; eſt homo; ergo eſt animal. 2. *Poſito genere, ponitur aliqua ſpecies indeterminate, hæc vel illa;* et *poſita ſpecie, ponitur aliquod individuum indeterminate hoc vel illud:* ſed non ponitur ſpecies determinata, aut individuum determinatum. Ut eſt animal, ergo vel eſt homo, vel beſtia: eſt beſtia, ergo vel eſt equus, vel aſinus, vel canis, &c. Ratio eſt quia ſuperiora exiſtere nequeunt, ſublatis omnibus inferioribus. 3. *Negato genere, negantur omnes ſpecies,* et *negata ſpecie, negantur omnia individua.* Superius enim continet actu unum, ad minimum ex inferioribus.

7. Speciei & differentiarum eſſentialium propriarum, unum eſt axioma. *Species cum ſua differentia propria & differentiæ omnes propriæ ejuſdem ſpeciei, aut individui, reciprocantur:* id eſt, univerſaliter affirmantur de ſeinvicem. Unde & uno ex his negato, negantur et reliqua, et uno poſito, ponuntur reliqua. Exempla obvia ſunt.

8. De toto & partibus, hæc ſunt axiomata. 1. *Poſito toto, ponuntur omnes partes & unio.* 2. *Sublata quavis e partibus, non manet idem totum,* niſi moraliter, et communi eſtimatione. 3. Et *ſublata unione,*

tollitur

tollitur compoſitum, qua tale. 4. *Totum eſt majus ſua parte.* Continet enim eam, et aliquid amplius.

9. De actu & potentia hæc ſunt. 1. *Ab actu ad potentiam, valet conſequentia,* ſed *non viciſſim*: ut exiſtit res, ergo poteſt exiſtere; operatur, aut patitur: Ergo poteſt operari aut pati. 2. *Cujus eſt actus, ejus etiam eſt potentia,* et *viciſſim*; Ut ſi in homine ſunt actus ratiocinandi, in eo etiam eſt virtus ratiocinandi, et ſi virtus, etiam actus, quando ſunt. Hic tamen intellige actus proprios rei.

10. De ſigno & ſignato hæc ſunt 1. *Poſito ſigno neceſſario, ſeu certo, ponitur ſignatum.* Hoc enim illi ſubeſſe neceſſe eſt. Ut eſt fumus, ergo eſt, vel fuit ignis. Deus loquutus eſt, ergo res eſt, fuit aut erit, prout ab eo ſignificatur. 2. *Cui convenit jus in ſignum, ei convenit etiam jus in ſignatum. Et ad quos pertinet ſignatum, illis ſignum non eſt denegandum:* ut regeneratio eſt infantum: Ergo ſunt baptizandi. Communio ſanguinis Chriſti fidelibus convenit, ergo & jus bibendi de poculo ſacro.

11. De cauſa & cauſato. 1. *Poſita cauſa in actu, ponitur cauſatum.* Cauſa autem in actu, eſt cauſalitatem ſuam exercens. 2. *Poſito cauſato ponitur cauſa, eaque in actu, vel de præſenti vel de præterito.* Huic nititur demonſtratio ἀπὸ, illi, ἀπὸ. 3. *Nihil eſt cauſa*

ſa ſuipſius. Sic enim eſſet prius & poſterius ſeipſo, vel tempore, vel natura. 4. *Non-ens non poteſt eſſe cauſa entis.* Siquidem nihil dat quod non habet. 5: *Cauſa manens eadem, ſemper apta eſt facere idem.* Et ſi neceſſario cauſet, et nullum impedimentum interveniat, ſemper facit idem. 6. *Poſito fine in intentione, ponitur electio mediorum,* ſaltem in genere, et confuſe. Intentio enim eſt volitio finis per media obtinendi. 7. *Poſito fine in fruitione, ponuntur media de præſenti aut præterito.* 8. *Qui utitur mediis intendit finem,* aliquem quidem, ſed non omnem ad quem illa natura ſua tendere poſſunt. Et *qui media ſufficientia ad finem acquirendum non adhibet cum poſſit, ſi agens ſapiens fuerit, non intendit finem.* 9. *Poſito actu ponitur objectum,* circa quod actus verſatur, *vel in eſſe reali* ſeu actuali, *vel poſſibili,* vel denique *intentionali,* ſeu *objectivo,* id eſt in cogitatione.

12. De cognatis, paribus nempe & ſimilibus. 1. *Paribus & ſimilibus, paria & ſimilia conveniunt*; ſcilicet quatenus ſunt paria & ſimilia. 2: *Cui unum parium convenit, ei etiam alterum convenit.* Ut Chriſtus potentia propria ſanavit ægros, ſine mediis naturalibus; ergo potuit etiam remittere peccata. Sic enim ipſe arguit *Matth.* 9. 5.

13. De imparibus & diſſimilibus. 1. *His conveniunt imparia & diſſimilia,* in quantum

ſunt talia. 2. *Cui convenit majus, ei & minus convenit.* Hoc eſt, qui poteſt majus aliquod præſtare aut dare, etiam minus, ejuſdem generis, poteſt. Et qui majorem perfectionem habet etiam minorem habet, vel formaliter, aut eminenter. 3. *Cui minus non convenit, a fortiori, non convenit majus,* ejuſdem ſcilicet ordinis, et imperfectione ſepoſita. Ut homo irregenitus non poteſt recte & ſincere diligere proximum; ergo multo minus Deum. 1 *Johan.* 4. 20. 4. *Quod non convenit majori,* id, ſepoſita imperfectione, *neque minori convenit.* Ut cæli & angeli non ſunt puri, ſi ad Deum conferantur; multo igitur minus homines. Adamus in ſtatu innocentiæ non potuit mereri, ex juſtitia commutativa, beatitudinem; ergo multo minus homo poſt lapſum.

14. De oppoſitis. 1. *Poſito uno oppoſitorum,* nempe contradicentium, aut contrariorum, ſi medio careant, item privantium, debito ſubjecto & tempore obſervato, *tollitur alterum.* Ut eſt homo, ergo non eſt non homo: eſt probus, ergo non eſt improbus: cæcus eſt, ergo non videt. 2. *Oppoſitis* quatenus ſunt oppoſita, *oppoſita conveniunt.* Ut injuſtus leges violat; ergo juſtus eas obſervat. Lux eſt grata animalibus; ergo tenebræ ſunt ingratæ.

15. De definitione. 1. *Omni rei convenit*

nit ſua definitio, ſeu idea propria. 2. *Cui tribuitur definitum, ei etiam tribuitur definitio,* et omnia illius attributa. Seu cui convenit eſſentiatum, ei convenit eſſentia tota. Adeoque cui convenit unum ex attributis eſſentialibus propriis, ei etiam conveniunt reliqua. 3. *Cui convenit definitio, ei & res definita convenit.* Ut logica eſt habitus effectivus; ergo eſt ars. 4. *Cui repugnat, aut non convenit definitio, ei & res definita repugnat, aut non convenit.* Et ſimiliter de re definita. Ut idola non fecerunt cælum & terram; ergo non ſunt dii.

16. Reliqua axiomata ſunt quæ ſequuntur. Nec enim ad certa capita referri poſſunt. 1. *Quicquid Deus teſtatur, aut illi qui in teſtando a ſpiritu Dei infallibiliter ducuntur, illud eſt veriſſimum.* Huic veritati innititur tota fides chriſtiana. 2. *Claræ mentis noſtræ perceptioni fidendum eſt.* Secus enim tolleretur omnis tum fides, tum ſcientia. 3. *Fidendum etiam eſt experientiæ internæ,* ſeu mentali: ut certi ſumus nos cogitare, velle, nolle, amare, odio habere, gaudere, dolere. Iſta enim immediate & vivide in nobis percipimus. 4. *Quicquid ſenſus externus non vitiatus, nobis repræſentat, ſi objectum in debita diſtantia, aut propinquitate ei offeratur, et medium idoneum fuerit, id pro vero habendum eſt.* Putandum enim non eſt, Deum organa iſtiuſmodi cognitionis acqui-

rendæ creaturis, præſertim rationalibus dediſſe, quæ eas ſemper fallant. 5. *In quo omnes ubique, et omnibus ſeculis, aut ſcientiores, et meliores conſenſerunt, illud, vel eo nomine, veriſimilius eſt.* Ex. g. Deum eſſe, animam humanam eſſe immortalem. 6. *Artifici perito in ſua arte fidendum eſt.* 7. *In quæſtione de jure,* ſeu de eo quod fieri debet, aut non debet, *conſulenda eſt lex,* et quicquid habet vim legis. 8. *In quæſtione de facto adhibentur teſtes,* contra quos jure excipi non poteſt, præſertim qui juramento tenentur verum dicere. Item chirographa, cui nulla falſationis ſuſpicio ſubeſt. 9. *Cum quæſtio eſt de eo quod eſt aut fuit, ſi tale ſit, ut de eo ſenſus facile poſſit judicare et confirmetur teſtimoniis multorum hominum, diverſorum ſeculorum & gentium, diverſa ſtudia ſequentium, ſi teſtentur de illis tanquam a ſe viſis teſtibus iſtiuſmodi fides adhibenda eſt.* 10. *In quæſtione denique de voce, aut phraſeologia, ſtandum eſt acceptioni communi.* Hoc eſt, illis nominibus res appellandæ ſunt, quibus communiter appellari ſolent.

Ex axiomatibus communibus hæc ſunt præcipua. (ſpecialia enim unaquæque diſciplina ſibi proponit) quibus mens noſtra in ratiocinatione utitur. Etlicet pauci ad ea expreſſe & in actu ſignato reſpiciant, omnes tamen in actu exercito, ſeu cum applicatione ad materiam particularem intuentur. Iſtud

tud enim niſi facerent, de nulla concluſione, certi eſſe poſſent.

CAP. VIII.

Quæſtiones ad varia capita ſpecialiora revocantur & præcepta de ſingulis proponuntur.

ALterum ad Geneſin circa thema complexum facilitandam medium eſt, ideis rerum & attributorum generalibus uti in materia particulari quæ in illis continetur. Hoc autem, ut adhibeamus, ad varia capita quæſtones revocandæ ſunt, juxta ordines rerum & attributorum communium. Quanquam autem ideis generalibus facile utuntur periti, et natura ad uſum illarum omnes trahat, quia tamen non omnes ſciunt ſe illis uti, et tyrones ad medium iſtud ſine monitore non ſemper attendunt, idcirco rationem eis utendi breviter oſtendemus.

1. Si quæſtio ſit, an aliquid ſit ſubſtantia an modus, videndum eſt an res per ſe ſubſiſtere poſſit; an vero ſubjectum neceſſario requirit.

2. Si quæratur an attributum eſſentiale ſit, an accidentarium ſubjecto, diſpiciendum eſt, an poſſit ab eo ſine contradictione ſeparari, ſeu an oppoſitum ei convenire poſſit, an ſecus.

3. Si quæratur an attributum commune ſit an proprium, videndum eſt, an ſoli ſubjecto, an vero ipſi una cum aliis conveniat.

4. Si quæratur, ſitne aliquod ſubjectum alterius, an adjunctum, inquirendum an poſtquam in eſſe ſuæ ſpeciei aut ordinis conſtituitur, ipſum recipiat, an ab eo recipiatur.

5. Si quæratur, utrum res actu exiſtit, an non, videndum eſt, ſitne cauſa efficiens phyſica actualis, effectus de præſenti, ſubjectum, forma, aut pars alterius, an non; an ſenſu percipiatur, interno, vel externo; an locus aſſignari poſſit in quo ſit: denique ſi ex non-exiſtentia illius ſequatur falſum eſſe quod eſt evidenter verum, aut viciſſim. Non concludemus exiſtere, cujus exiſtentiæ nullum ſignum aut rationem certam habemus: nec tamen concludemus non exiſtere, niſi exiſtentia aperte ei repugnet.

6. Poſſibile eſſe communiter concluditur in quo nulla repugnantia apparet: impoſſibile, in quo contra. Verum licet certi eſſe poſſimus illud eſſe impoſſibile, cujus una pars ideæ alteram evidenter evertit, ut *quadratum rotundum*, non tamen ad concluden-

dum

dum poſitive hoc vel illud eſſe poſſibile, ſufficit, quod in idea illius, nulla repugnantia nobis apparet; (fieri enim poteſt ut ſit aliqua in ea repugnantia nobis occulta, ut in creatura ab æterno, infinite extenſa, &c) ſed tantum ut putemus, quantum nobis conſtat, poſſibile eſſe. Quia enim potentia Dei infinita eſt, de poſſibilibus, et impoſſibilibus difficile eſt judicium. Solum quod non evidenter repugnat, pro impoſſibili non eſt habendum.

7. Aliquid eſſe idem cum alio in ſenſu reali, concludemus, ſi nihil in altero inveniamus, quod in altero non includitur præter negationem, aut habitudinem aliquam ad aliud: in ſenſu vero formali, ſi ſola voce differant Idem vero inadæquate judicabimus, quod alterum includit, aut in eo includitur, ut attributum, aut pars.

8. Aliquid ab alio diſtinctum intelligemus, ſi alterum de altero negari poſſit, ſine contradictione: et realiter quidem ſi utrumque ſeparatim exiſtere poſſit; modaliter, ſi alterum ſine altero exiſtere poſſit, ſed non reciproce: (Quod tamen in ſolis rebus creatis obtinet: modi enim divinæ eſſentiæ ſunt abſolute neceſſarii;) denique ſaltem ratione diſtincta ſunt, quæ diverſas definitiones admittant, modo ambæ ſint per atrributa eſſentialia, eadem enim res poteſt diverſas definitiones admittere, ſi altera per at-

tributa, altera per partes tradatur. Dico *ſaltem*, quia quæ realiter aut modaliter diſtinguuntur, multo magis diverſas definitiones habent.

9. Relatum eſſe concludemus, quod ſine reſpectu ad aliud concipi nequit, abſolutum ſi contra.

10. Pro univerſali habebimus, quicquid pluribus ineſt per ſimilitudinem : univerſale vero reſpectu ſubjecti erit ſi poſſit de illis affirmari : ſingulare ſi contra.

11. *S*implex eſſe concludendum eſt, in quo diſtinguere non poſſumus plures entitates, partes, aut rationes. Compoſitum vero ſi contra.

12. Pro concreto accipiemus, in quo diſtingui poſſunt ſubjectum, forma, aut quædam illis analoga : abſtractum autem judicabimus, quod ſola cogitatione ſeparatum a ſubjecto invenimus.

13. Bonum in ſe, ſeu perfectum, aliquid eſſe inferemus, ſi nihil ei deſit, aut ſuperſit, quod adeſſe vel abeſſe debet. Malum vero ſeu imperfectum, ex quovis defectu, quatenus defectus iſte ipſi adhæret. Bonum autem alteri, ſi ipſum producat, conſervat, perficiat, delectet, malum ſi ei quocunque modo contrarium aut nocivum fuerit.

14. Potentiam activam alicujus, rei ineſſe concludemus, ſi vel illud, vel aliquid

aliud

aliud quod æque difficulter fit, ſeu parem potentiam requirit, ab ea oriri perſpiciamus, aut ſi ea potentia negata, negandum eſſet aliquod attributum iſtius rei manifeſtum. Paſſivam vero, ſi id de quo quæritur an ineſſe poſſit, actu inſit, aut aliquid aliud cujus par eſt ratio: aut denique ſi potentiam activam inveniamus, qua illud rei inferri poſſit.

15. Actum informantem eſſe concludemus, quod potentiam aliquam paſſivam perficit, replet, et rem cujus eſt, determinat: terminatum, vero ſi aliquid reſpiciat repræſentando, proſequendo, vel fugiendo. Hujus autem vel illius potentiæ, ſive naturalis, ſive adventitiæ, actum eſſe intelligemus, ſi ab alia potentia oriri nequit, ſive ſi non niſi per reſpectum ad ejus generis actum, potentia concipiatur.

16. Neceſſarium abſolute concludemus, quod non eſſe aut aliter eſſe nequit: alteri vero, ſi ſine eo alterum illud eſſe nequit: utrumque autem, ſive abſolute, ſive ex hypotheſi. Contingens, ſi contra.

17. Signum hujus aut illius rei eſſe percipimus, ſi illam in cognitionem noſtram ducere aptum ſit, aut actu ducat. Signatum, ſi per aliud in cognitionem venire poſſit, aut actu veniat: modo tamen illud aliud nec ſit cauſa, nec pars, nec effectus, nec aliquid de eſſentia rei cognitæ.

18. Princi-

18. Principium hujus aut illius rei esse statuemus, si res illa ab eo quocunque modo sit. Principiatum si ab alio sit.

19. Efficientem proprie, et physicam, si res ab ea per veram actionem sit. Progumenam, si interius disponit agens ad agendum. Instrumentum, si extrinsecus assumatur a causa nobiliori, et in virtute illius agat. Causam moralem, si objective dirigat, excitet, aut inducat ad agendum, aut agentia naturalia applicet. Objectum, si circa ipsum actus aliquis vitalis exerceatur. Finem, si illud sit ad quod alia tendunt, aut cujus gratia suscipiuntur, et fiunt. Medium si aptum sit ad aliud, aut ab agente usurpetur ad illud consequendum. Conditionem denique, si ad rem aliquid conferat; nec tamen ut efficiens, finis, objectum, aut pars.

20. Denique convenire aliquid cum alio inferemus, si sicut illud sit. Differre vero si contra. Oppositum si cum alio pugnet, sive repugnet. Contradictorium, si nihil sit medii inter ipsum & illud cum quo pugnat; privationem, si sit carentia alicujus rei, cujus res est capax: puram negationem, si carentia sit, cujus res est non capax. Contrarium si id cum quo pugnat sit positivum, et sub eodem genere.

Hæc forsan parum necessaria sunt: ex iis enim quæ de ordinibus rerum & attributorum

torum diximus, levi negotio intelliguntur. Malui tamen aliquid tradere quod exercitatis nauſeam cieret, quam in illis tradendis deficere quæ tyronibus quocunque modo uſui eſſe poſſent.

CAP. IX.

De Diſputatione ſeu diſcurſu ſociali.

GEneſis circa thema complexum ſocia, *diſputatio* dicitur. Quanquam qui contemplationibus ſe dedunt, non raro ipſi cum ſeipſis conflictantur, ſeu quæſtiones, et rationes objiciendo, et reſpondendo, ultro citroque agitant. Sed diſputatio ex uſu communiori, illam exercitationem ſignificat, in qua unus alterius ſententiam impugnat, alter ſuam defendit. Unde & hic *reſpondens* ſeu *defendens*; ille *opponens* dicitur.

Diſputatio quandoque viva voce fit in congreſſu perſonali: et ſi publica, aut de re graviori fuerit, utile eſt præſidem ſeu judicem, ex utriuſque partis conſenſu eligere.

Quando-

Quandoque ſcriptis, ubi cum abſente manum conſerimus, impugnando id quod ab eo vel dictum, vel ſcriptis conſignatum reperimus. Hujus exercitii finis eſt vel ut alterius ingenium, et profectum in ſtudio ſciendi exploremus, vel animi recreatio, vel (quod præcipuum eſt) veritatis confirmatio, erroris refutatio. Præcepta de eo dirigendo alia generalia ſunt; alia ſpecialia. Generalia ſunt quæ ſequuntur.

1. Materia diſputationis nihil contineat principiis religionis contrarium. Impium enim eſſet, et pias aures offenderet, et dubitationes periculoſas quibuſdam forte injiciret, diſputare *an Deus ſit*, *an ſit juſtus*, et *verus*: an *parentes ſint amandi*, et *honorandi*. Interim tamen ſicubi principia iſta negentur, aut ſubvertantur, contra veritatis hoſtes maxime decertandum eſt. Verum hi, non autem qui contra eos agunt, cauſa ſunt cur ejuſmodi veritates in contraverſiam veniant.

2. Neque de illis quæ facilia & manifeſta ſunt, niſi alterius tentandi, aut animi recreandi gratia; aut quæ captum humanum ſuperant; aut quorum cognitio plane inutilis, aut minus utilis, diſputatio inſtituenda eſt. Quia in hunc finem tendere debet omnis diſputatio ſeria, ut veritas recondita, aut difficultatibus circumſepta, aperta & acceſſibilis fiat.

3. Cum-

3. Cumque is finis ipſius diſputationis ſit, rationi conſonum eſt, ut diſputantes, non victoriam, aut gloriam inanem, (inanis autem eſt, quæ ex ingenii noſtri oſtentatione, aut infirmitate alterius capitur,) ſed veritatem, et vel ſuam, vel aliorum inſtitutionem, et confirmationem in ea, præcipue intendant.

4. Sit etiam materia diſputationis, talis, cujus diſputantes non plane ignari ſunt. Secus enim Andabatarum more in tenebris pugnabitur.

5. Ad diſputandum animus adferatur ab omni præjudicio, et partium ſtudio immunis. Secus enim fieri non poteſt, ut veritas quæratur.

6. Ab omni convitio, calumnia, et contumelia, utrinque abſtineatur.

7. Status quæſtionis ante omnia dilucide ponatur, et de eo inter diſputantes conveniat: nec inter diſputandum mutetur: ut fieri ſolet ab illis, qui cum concludere non poſſunt, quod in primo congreſſu ſuſcipiunt, alio tranſvolant, et id probare conantur, quod non eſt probandum. Ratio eſt, quia, alioqui, nec alter alterius ſententiam impugnabit, nec alter ſuam tuebitur.

8. Neceſſe etiam eſt, ut conventum utrinque ſit de quibuſdam principiis, et ejuſmodi quidem quæ ad contraverſiam dirimendam faciunt. Si enim defendens omnia negaverit,

negaverit, quæ alter opponit, nullus erit contradicendi finis.

9. Brevitati & perſpicuitati ſtudendum eſt, tum in rationibus proponendis, tum in ſolutionibus adhibendis, omiſſis verborum ambagibus, et rhetoricationibus.

10. Patienter alter alterum expectet, dum orationem abſolverit, modo legem proxime dictam non violaverit.

11. Alter alterius partes ne arripiat. Quædam enim ad opponentem, quædam ad defendentem peculiariter ſpectant. Ut ad affirmantem probare, ad negantem probationesaffirmantis diluere. Sed ex præceptis ſpecialibus jam tradendis, utraque pars officium ſuum diſcat. Ad opponentem ſpectant quæ ſequuntur.

1. Theſin adverſarii vere & aperte contradicere, juxta regulas veræ contradictionis. Secus enim committetur vitium quod ignoratio Elenchi dicitur. Ut autem vere contradicat opponens, expendere debet quantitatem & qualitatem theſeos impugnandæ, ſitne univerſalis, particularis, indefinita, an ſingularis, affirmans, an negans. Si nota quantitatis deſit poſtulandum eſt a defendente, ut eam ipſe addat. Ad eum enim pertinet definire conditionem ſuæ theſeos. Si dubius ſit notæ negandi locus, petendum eſt ut eum deſignet. Videndum etiam, ſitne theſis ſimplex, an compoſita;

et

et utrum per partes an tota ſimul convenientius impugnari poſſit.

2. Diſtinguere debet opponens theſin defendentis ab argumentis quibus illa confirmatur ope artis analyticæ: et prius theſis refellenda eſt per argumenta oppoſita; deinde argumenta illa diluenda. Præceptum iſtud locum habet non tantum in ſcriptis, ſed etiam in orationibus prolatitiis refutandis. Quandoque enim altera pars diſſidentium, ſententiam ſuam rationibus munitam, oratione longiori exponit: quam idcirco altera reſumere per partes debet, et ad ſingulas reſpondere.

3. Poſtquam de theſi impugnanda conſtiterit, de argumentis quibus ipſa evertatur, cogitandum eſt. Sed cogitatio iſta, ſi licuerit, ſolitarie inſtituenda eſt, præſertim tyroni, aut minus exercitato & provecto; aut cum in arenam, coram perſonis doctis, et gravibus prodeundum eſt.

4. Si materia difficilior fuerit, aut verbis minus perſpicuis efferatur, forma ſyllogiſtica adhibenda eſt, præſertim inter tyrones. Aliis, propter brevitatem, per Enthymemata potius agendum eſt; aut ſimplices propoſitiones quibus probationes continentur.

5. A for-

5. A formis hypotheticis abſtinendum eſt, niſi materia categoricam formam reſpuit. Si enim propoſitionem hypotheticam negaverit defendens, difficilius illa ab opponente probabitur : et longis ſyllogiſmis agendum erit, qui diſputantibus negotium faceſſent, auditoribus tedio erunt.

6. Argumentorum non numero, ſed pondere, contendat opponens ; ejuſmodi ſcilicet, quæ adverſarium pungant & urgeant.

7. Nec per multos ſyllogiſmorum circuitus, ſine neceſſitate, ſed cominus, quam primum commode fieri poteſt, agendum : nec ex altera parte, per ſaltum, ſed gradatim, ad vim argumenti, quo gravius urgere poſſit, procedendum eſt.

8. Argumenta alia ſunt ad hominem, quæ ab adverſario conceduntur : alia ad rem quæ theſin ipſam evertunt, aut evertere videntur. Eaque vel artificialia, nempe, ex natura ſubjecti, aut attributi, aut ex abſurdo : vel inartificialia, ex authoritate, vel teſtimonio. Parce hæc adhibenda ſunt, niſi in materia fidei, aut quæſtione de facto.

9. Si opponens formam ſyllogiſticam argumenti ſui a defendente damnari ſenſerit, requirere

requirere ab eo debet, ut vitium oſtendat: quod ſi factum fuerit, iſtud ſtatim corriget. Si aliquam ex præmiſſis argumenti propoſiti negaverit defendens, eam tenetur opponens novo medio confirmare. In probando enim ſuccumbere, niſi negetur quod per ſe manifeſtum eſt, turpe ducitur.

10. Si totum argumentum conceſſerit defendens, oſtendendum eſt, ſi fieri poteſt, concluſionem contradicere theſi impugnandæ; vel directe, vel per legitimam conſequentiam; adeoque defendentem cauſam concedere. Oſtendi autem iſtud ſemper poteſt, niſi opponens peccaverit per ignorationem Elenchi.

11. Si diſtinctio quam defendens adhibuerit obſcura fuerit, petendum ab eo eſt, ut eam explicet. Si clara, nec tamen vim argumenti retundat, impugnanda & evertenda eſt. Evertitur autem

1. Si oſtendatur membra coincidere, aut alterum alteri ſubordinari. Tum enim diſtinctio eſt ſine diſtinctione, ſeu apparens tantum. Cum in omni bona diſtinctione, membra oppoſita eſſe debent, ſaltem diſparate.

2. Si alterum membrum alteri contradi-

cat. Quod implicite quandoque fit. Sic enim ipsa seipsam evertit.

3. Si ostendatur, admissa distinctione, seu limitatione, sive præmissarum, sive conclusionis, argumento vim suam adversus thesin constare. Istud autem fiet, si quod defendens, cum limitatione concesserit, refutabitur; aut quod negaverit, confirmabitur, nova ratione.

Sequuntur præcepta quæ munus defendentis continent.

1. Repetendum est, a defendente, argumentum opponentis, iisdem verbis quibus proponitur, sine additione, aut detractione. Si autem inepte formatur, monendus est opponens, vel à præside, si sit, vel a defendente, ut vitium corrigat.

2. Recitato argumento, expendendum a defendente est, primo, num conclusio thesi suæ vere contradicat. Sæpe enim inter disputandum mutari solet conclusio. Si non contradicere inveniat, totum argumentum concedet, tanquam nihil contra se.

3. Si conclusio vere contradicat thesi, videndum proxime, num argumentum quoad formam, juxta leges syllogismorum procedat.

cedat. Et si eas violatas invenerit, notato vitio, argumentum ut paralogismum rejiciet. Sin recte formatum perceperit, ad materiam respondebit.

4. Cum quis absentis rationes diluit, sive viva voce differendo, coram auditoribus, sive scriptis, respondere poterit, non tantum illas directe solvendo, sed etiam contra argumentando, aut principia adversarii retorquendo. Sed in congressu personali, ista non expediunt. Sic enim necesse erit opponentem partes defendentis assumere, et viciſſim. Ex quo sequitur, ut plurimum confusio: praeterquam quod sic, non nisi longo tempore, vel unicum argumentum expedietur. Nec, extra congressum personalem respondens munere suo functus est, nisi, praeter argumenta opposita, et retortiones, directe respondeat. Nam contra certissimam veritatem quaedam difficilia nonnunquam possunt opponi: et fieri potest, ut adversarius principia quaedam falsa teneat, aut sibi non satis constet, cum causam nihilominus bonam tuetur.

5. Ut autem partes suas, tum defendens, tum opponens rectius intelligat, materia quaestionis consideranda est: et praecepta sequentia observanda.

1. In quæſtione de facto, quæ in judiciis publicis ventilari ſolet, affirmanti incumbit probatio, neganti vero tantum rationes affirmantis diluere. Ut ſi debitor ſolviſſe ſe affirmaverit, tenetur per teſtes, aut ſcriptum creditoris, illud probare. Creditor autem qui eum judicio poſtulat, non tenetur probare illum non ſolviſſe. Negativa enim pars, in illo caſu, probari nequit, niſi ex accidenti; nempe ſi creditor probare poterit nec ſe, nec aliquem, ſuo nomine, accipere potuiſſe. Similiter, ſi quis criminis accuſatur, tenetur actor factum probare. Is vero qui accuſatur, non tenetur probare non factum. Nec enim illud probari poterit, niſi probando non potuiſſe ab eo admitti, vel quia vires non habuit, vel quia alibi fuit, quam ubi factum commiſſum dicitur.

2. In quæſtione de licito, et illicito, neganti eſſe licitum probatio incumbit, nempe ex prohibitione legis, aut ejus quod vim legis obtinet. Affirmanti vero ſatis erit, ſi rationibus adverſarii ſolide reſponderit. Ratio eſt, quia, ut aliquid licitum ſit, ſufficit ſi nulla lege prohibeatur; ubi enim nulla eſt lex, nulla eſt tranſgreſſio. Excipe tamen, ſi in rebus quibuſdam lege generali caveatur, ne quid omnino, ſine poſitivo præcepto fiat: tunc enim qui aliquid

quid licitum esse affirmat, tenetur legem proferre, qua illud præcipitur. Ut cum Pontificii dicunt sale, unguento, pituita &c, in baptismo infantium esse utendum, tenentur institutionem divinam de istis & similibus ostendere : eo quod scriptura omnes additiones in rebus sacris prohibeat.

3. Si vero quæstio sit de eo quod necessario faciendum est, ad affirmantem pertinet probatio, legem positivam indicando, qua illud præcipitur.

4. Cum quæstio est de possibili, aut impossibili ; qui impossibile esse dicit, probare tenetur. Non autem qui non impossibile, vel possibile esse contendit. Ratio est quia, omne illud pro possibili inter homines habetur, quod non potest probari esse impossibile. Probatur autem aliquid non esse impossibile si omnes rationes in partem oppositam perspicue diluantur.

5. Denique, si quæstio sit de actuali existentia rei, neque tamen de materia facti ; et rationibus intrinsecis, non autem testimoniis decidenda fuerit, affirmanti probatio incumbit. Et si negans oppositam partem probandam susceperit, id est

rem non actu exiſtere, nulla alia ratione iſtud præſtabit, quam probando neceſſe eſſe ut exiſtat, ſive non poſſe non exiſtere, vel abſolute, vel ex hypotheſi aliqua.

6. Si opponens integro ſyllogiſmo utatur, primo expendenda eſt major propoſitio. Et ſi vera fuerit concedetur; aut ſi nihil, aut parum ad contraverſiam ſpectet, tranſire permittetur. Si aperte falſa ſit, negabitur, et probatio illius expectanda eſt. Si uno ſenſu vera, alio falſa ſit, diſtinguentur ſenſus iſti, et oſtendendum quinam ex illis contra theſin ſit. Eodem modo ad minorem reſpondendum eſt, et ad antecedens, ſi opponens per Enthymema egerit.

7. Concluſio nunquam ſimpliciter concedenda eſt, ſi illa, a ſtatu quæſtionis, initio poſito, non mutetur. Sic enim cauſam deſeremus. Nec etiam in diſputationis progreſſu neganda eſt: quia ſufficit quod ſemel in initio negata fuerit.

8. Cavendum eſt ne propoſitio ulla certæ ac manifeſtæ veritatis negetur. Hæc enim facillime probabitur, et quidem ratione ejuſmodi, quæ ſine abſurdo nequit repudiari.

repudiari. Quicquid autem negaveris, oppoſitum ejus defendendum ſuſcipis.

9. Si propoſitio neganda hypothetica fuerit, connexio neganda eſt; ſi disjunctiva, immediata oppoſitio partium; ſi copulativa, partium conjunctio.

10. Opportuna diſtinguendi occaſio diligenter obſervanda eſt. Ubi regula eſt, ut neque ocyus antequam argumentum urgeat, neque ſerius, cum utraque præmiſſarum eſt evidenter vera, diſtinctio adhibeatur. Prius facere eſt parum honorificum: ut ſi miles, ad primum hoſtis intuitum cederet. Poſterius vero admittere, eſt periculoſum. Tunc enim neceſſe erit, vel diſtinctionem parum aptam adhibere, vel ad prius argumentum reſpondendi veniam ab averſario emendicare, quod eſt fateri te deceptum, aut parum attentum fuiſſe; vel denique foro cedere.

11. In argumentis contra veritatem formatis, major propoſitio rarius eſt aperte falſa; et idcirco frequentius diſtinguenda, quam neganda. Minor rarius vera, ſæpius aperte falſa, aut ambigua.

12 Cum major diſtinguenda eſt, ſi idem terminus qui in ea diſtinguebatur, in minori recurrat, eadem diſtinctio ipſi applicanda eſt. Si in minori non recurrit, concluſioni applicabitur: et minor vel concedenda vel prætermittenda tranſire.

13. Si virorum doctorum authoritatem objiciat opponens, illa non eſt ſuperciliose rejicienda, ſed benigne interprætanda, et cum theſi defendentis concilianda. Eique opponi poteſt authoritas aliorum non minus ponderoſa.

Hæc de partibus tum opponentis, tum defendentis, notaſſe ſufficiat. Reliqua ratio cujuſque & uſus docebit. Ad præſidem vero pertinet, diſputantes in officio continere, ſive curare, ut leges diſputandi utrinque obſerventur; ne a materia diſputandi diſcedatur; utrique etiam parti auxiliari: argumenta opponentis, ſi acuta, et valida fuerint, commendare; ſi levia & infirma, monere eum ut fortius agat: ſolutionem defendentis, ſi ſolida & genuina ſit, probare. Denique obſcura explicare, imperfecta perficere, veritatem tueri, defendentem, ſi

incaute

incaute, aut pro ſua infirmitate, ad anguſtias redactus ſit, expedire, modum & menſuram toti actioni pro ſua prudentia ponere.

CAP.

CAP. X.

De ratione ordinis in exercitiis Geneticis obſervanda.

1. ORdo ſeu methodus in Geneſi accurata, quæ cognitionem quam evidentiſſimam rerum ſectatur, talis eſſe debet, ut præcedentia ſequentibus lucem & vim conferant. Unde, ut plurimum naturalis eſt, in qua prius proponuntur, quæ natura ſunt priora, et notiora.

2. Quocirca, ante omnia ſtatuenda eſt vera rei idea, per quam ſciatur quid res ſit, vel quid vox, per quam exprimitur, ſignificet. Adeoque quæſtio *quid ſit*, primo reſolvenda eſt per definitionem, afferendo aliquod rei attributum proprium.

3. Hinc

3. Hinc prius quærenda eſt eſſentia rei, quam accidentia ; prius definienda res eſt, quam dividenda ; prius conſideranda quæ ipſi intrinſeca ſunt, quam quæ extrinſeca ; prius tractanda quæſtio quid ſit res, quam an ſit. Hoc eſt, an actu exiſtat, fuit, erit, aut an poſſibilis ſit.

4. Si res, tum abſolute, tum reſpective conſideranda veniat, prius expedienda ſunt, quæ ad conſiderationem abſolutam ſpectant. Ex hiſce enim pendet cognitio eorum quæ ad conſiderationem reſpectivam pertinent.

5. Si res ſit quid univerſale, prius generatim conſideranda eſt, ſeu ſecundum ideam quæ omnibus convenit quæ in extenſione illius continentur ; deinde ad inferiora, ſeu ſpecies, vel individua, deſcendendum eſt.

6. Licet in ſpeciebus, quæ ſub eodem genere locum obtinent, tractandis, perinde ſæpe ſit , unde incipias, rationi tamen magis conſonum eſt, a notiori incipere ; ut poſtquam diviſionem inſtitueris ſubſtantiæ ſpiritualis creatæ, in angelum

lum, et mentem humanam, a conſideratione mentis inchoanda eſt, quia hæc nobis notior eſt.

7. Cum totum aliquod conſiderandum venit, prius expedienda ſunt quæ ad ipſum ſecundum ſe, ut totum eſt, pertinent; deinde conſiderandæ ſunt partes majores, et ab illis ad minores progrediendum eſt, dum ad minimas, quæ cum utilitate aliqua inveſtigari poſſunt, perveniatur; prout in Geographia fit.

8. Sed cum attributa & modos rerum abſtractos inveſtigamus, a ſimpliciſſimis incipiendum eſt. Ut in Matheſi, initium fit a puncto, lineis, angulis, ſuperficiebus, circulis: et ab his proceditur ad figuras angulares, et circulares &c. Et in Somatologia, prius agitur de materia, ejuſque modis ſimpliciſſimis, ut de unione, et ſitu partium, figura, motu, et quiete: deinde progreſſus fit ad ſpecies rerum materialium. Poſterior ordo compoſitivus, ſeu ſyntheticus, prior reſolutivus, ſeu analyticus dicitur.

9. Cum de compoſitis ex materia & forma, aut ex ſubjecto & accidente, aut modo

modo, agendum eſt, prius de materia, ſeu ſubjecto inquirimus ; deinde de formis, accidentibus, et modis. Ut ſi de *juſto* tractandum ſit, prius inquirimus quid ſit id quod *juſtum* dicitur, deinde de juſtitia quæ ipſum afficit.

10. Sed in abſtractis tractandis, prius conſiderandæ ſunt res ipſæ quæ abſtracte proponuntur ; deinde ſubjecta eorum propria.

11. Prius conſideranda eſt potentia rei, quam actus. Niſi quod ſæpius cogamur ab actibus tanquam ſignis, et effectibus, ad potentiam inveſtigandam aſſurgere.

12. In ſignis inquirendis, prius res ipſæ, quæ ſignificant, deinde illa quæ per eas ſignificantur, et relationes, quas ad ſeinvicem connotant, conſiderabimus : ut, cum in Theologia de ſacramentis agitur.

13. Quod ad ordinem cauſarum attinet, et eorum quæ a cauſis pendent, prius conſideranda ſunt principia quam principiata ;

cipiata ; prius causæ internæ, quam externæ ; adeoque prius materia, et forma, quam efficiens, et finis ; prius agens quam actio ; prius actio, quam modus agendi, aut terminus Productus *secundum se*. (Hoc autem addo, quia actio considerari nequit, sine omni relatione ad terminum.) Prius causa superior, quam inferior ; principalis, quam instrumentalis, procatarctica, aut proegumena. Prius efficiens, quam finis ; prius finis supremus, et principalis, quam subordinatus, aut minus principalis ; prius denique objectum, quam actus, qui circa ipsum exercetur.

14. Prius tradenda sunt cognata, quam opposita : in hisce enim desinet tractatio genetica, quia a themate longissime distant.

15. In serie probationum, prius confirmanda est veritas quam refutandi errores : prius sententia propria statuminanda, quam aliena evertenda. Veritatis enim confirmatio ad falsa refellenda inservit.

16. Cum eadem thesis pluribus rationibus

bus probatur, aut evertitur, ita procedendum eſt, ut præcedentes confirment ſequentes. Rationes autem infirmiores in medio locare puerile eſt : quocunque enim in loco diſponantur, infirmitatem ſuam apud peritos prodent.

17. Argumenta intrinſeca, in diſciplinis philoſophicis, extrinſeca, quæ ab authoritate petuntur, præcedunt : ſed in Theologia chriſtiana, præſertim ubi veritas confirmanda lumen naturale ſuperat, ſequentur. Probatio enim a teſtimonio divino eſt maxime efficax.

18. Demonſtratio a conceſſis adverſarii, ex abſurdo, et ὅτι, demonſtrationi διότι plerumque præmittitur. Hoc eſt, prius oſtendi ſolet quod res ſit, quam cur ſit; rem ita eſſe, quam quod neceſſario ita ſit, nec poſſit aliter eſſe. Serius enim veniret ratio ὅτι, poſtquam jam τὸ διότι tenemus in quo illa includitur.

19. Reliqua ad ordinem ſpectantia, ut quod termini quæſtionis præcognoſcendi ſint, ſtatus quæſtionis ponendus, axiomata

mata præſtituenda, et ſiqua alia ſint quæ præparationem ad demonſtrandum continent, ſupra jam tradita ſunt. Et hæc de Geneſi.

CAP.

Logicæ ſpecialis Pars ſecunda, quæ Hermeneutica, Analytica, & Critica eſt.

CAP. I.

Præcepta Hermeneuticæ antecedanea.

1. QUI uberiorem & ſolidam rerum ſcientiam acquirere velit, in dictis ac ſcriptis alienis intelligendis, & reſolvendis aliquam ſtudii ſui partem impendere debet. Pauci enim, aut nulli ſunt, qui proprio Marte, omnia ad virum doctum faciendum neceſſaria, aſſequi valent. Sunt etiam nonnulla, quæ non niſi ab alio diſci poſſunt, ut linguæ, antiquitates, & omnes fere eventus præteriti. Rationi etiam abſonum eſt, ut opem alio-

rum in ſtudio ſcientiæ reſpuamus, quam divina providentia nobis offert,& novam ſemitam excalcemus, cum à latere habemus ab aliis tritam & deſignatam. Quin & ex illis ipſis, quæ minus recte, aut minus perfecte ab aliis tradita ſunt, proficere poſſumus. Facilius enim eſt inventis addere, & errata corrigere, quam veritatem plane occultam, aut intentatam, de novo enucleare. Quædam denique ſunt, quæ licet indaginem noſtram non ſuperant, nunquam tamen forte in ea incideremus, niſi ab alio indigitarentur.

2. Quapropter, omnibus aliorum ſcripta legere neceſſe eſt. Ut autem lectio recte inſtituatur, tenenda ſunt quæ ſequuntur. Tyroni, ex præceptoris, aut alius periti præſcripto, legenda illa ſunt, quæ intelligere, & ſine periculo legere poterit. Qui judicio confirmatior, ad difficiliora, etiam illa quæ erroribus non vacant, gradum faciat. Delectum tamen quiſque habeat eorum quæ ad inſtitutum ſuum ſufficiant, & majori cum fructu legi poſſint. Legendi ſunt veteres ſcriptores, propter authoritatem, quam apud poſteros obtinuerunt; recentiores vero, propter perſpicuitatem, & quia accommodate ad noſtra tempora ſcribunt, veterum inventa perficiunt, errores corrigunt. Sed materia utilior, præſertim ſi denſa, & contracta fuerit, non raptim legenda eſt, ſed pedetentim, & cum attentione, ut clarius & perfectius intelligamus, altiuſque animis noſtris inſideat.

3. Prima cura in legendo eſſe debet, ut autoris ſenſum genuinum teneamus. Hunc enim qui recte non

non capit, nec partes doctrinæ resolvere poterit, nec de ea rectum judicium facere, sive probando, sive improbando.

4. Ut autem sensum orationis teneamus, oportet verborum, & phrasium, seu formularum loquendi significationem habere præcognitam. Unde linguarum peritia studiosis necessaria est. Sensus enim, in sermonis cum rebus, & conceptibus autoris convenientia consistit.

5. Nec tamen sufficit significationem communem vocum & phrasium intelligere. Multi enim obscure loquuntur, & scribunt. Scripta etiam veterum injuria temporis alicubi vitiata sunt. Et quæ perspicua fuerunt eo seculo, in quo scripta sunt, & iis, quibus lingua qua autor usus est, vernacula fuit, posteris tamen, qui aliis loquendi formulis assueverunt, obscura reperiuntur. Hac enim de causa, Scripta sacra Veteris Testamenti, in lingua Hebræa, aut ex ea in nostram verbatim reddita, nobis plurimis in locis obscura sunt. Multa etiam in omnibus scriptis, si per se spectentur, ambigua sunt. Quod ex eo oritur, quod maxima pars vocabulorum, quæ longe pauciora sunt quam res, ad plura aliquo modo diversa significanda adhibeantur.

6. Quocirca opus est nonnullis uti mediis, quibus ad sensum obscurum aut ambiguum expiscandum, & definiendum, dirigamur. Media autem illa generatim duplicem considerationem complectuntur, nempe eorum quæ orationi extrinseca sunt, & orationis ipsius. Ut à priori ordiamur.

CAP. II.

Præcepta hermeneutica, à conſideratione eorum quæ Orationi extrinſeca ſunt.

1. OBſervandum eſt quis loquitur, ſeu cujus ſit ſententia quam interpretari aggredimur; Deus an homo; principalis autor, an miniſter, vel Amanuenſis; præceptor, an diſcipulus; popularis diſſertor, an ſtrictus, & ſeverus diſquiſitor; Magiſtratus, an ſubditus; nobilis an plebeius; eruditus, an rudis; bonus, an malus: an propriam perſonam gerat, an vero alienam induat, ſeu hiſtrionem agat, &c. De quibus omnibus regula eſt, *Unumquemque ad ſtatum, conditionem, ingenium, & ſtudium proprium, accommodate loqui.*

2. Scire autem poſſumus quis loquitur, 1. Ex proprio, aut aliorum teſtimonio, cum nulla ratio ſuſpicandi ſubeſt, quod falſum aut fictum ſit. 2. Ex ipſa materia, & notis ei impreſſis, quibus autor ſeipſum indicat. Sic ex notis intrinſecis ſacræ Scripturæ impreſſis, divina illius origo innoteſcit, & Deum illius autorem eſſe probant Theologi. Et ex ſcriptis humanis judicare poſſumus, de ingenio, eruditione, ſtudio, & moribus autorum, ut de cauſa per ſuos effectus, de arbore per fructum.

3. Quum

3. Quum autem multa Scripta autoribus fictis tribuantur, cura adhibenda est, ut spuria à legitimis discernamus. Spuria autem existimanda sunt, 1. Si Autor lingua & phrasi utatur, quæ seculo illo quo scripsisse perhibetur, non conveniunt. Hoc argumento probant eruditi, multa scripta quæ nomine Patrum antiquorum veniunt, illorum non esse, sed aliorum quorundam, qui diu post eos vixerunt. 2. Si pugnent cum aliis scriptis indubitatis ejusdem Autoris. Ut manifestum est scripta apocrypha non esse à viris θεοπνεύστοις, quia in multis à Scriptis canonicis dissentiunt. 3. Si ex historia probata, aut chronologia, ostendi potest, eum non esse Autorem qui obtenditur.

4. Considerandum deinde est, *ad quos* loquitur Autor: ad quoslibet promiscue, an ad studiosos illius rei quam tractat; ad superiores, inferiores, an æquales, ad amicos, an adversarios. Et expendendum quid, & quomodo, homines, ad tales personas, in tali argumento, loqui soleant. Sic aliter Christus Pharisæos, justitiæ propriæ opinione turgentes, alloquutus est, aliter eos qui peccati sensu tangebantur. Et qui ad philosophos, ac doctos loquitur, horum lingua & stylo loqui verisimilius est. Hinc quæ Deus ἀνθρωποπαθῶς in sacris literis protulit, ut cum membra corporea & affectus humanos sibi tribuit, θεοπρεπῶς intelligenda esse docent Theologi. Regula igitur generalis hic est, *Unumquemque ita ad alios loqui, ut ab illis possit intelligi, utque propositum suum apud eos consequatur*; nempe ut eos instruat,

delectet, ad agendum incitet, aut aliquid ſimile. Niſi aliqua ratione conſtiterit, hoc ipſi propoſitum fuiſſe, ut lectores inutiliter turbaret, aut laudem profundæ ac myſticæ Scientiæ aucuparet; (ut à vanis quibuſdam ſcriptoribus factitatum eſt) vel denique voluiſſe rem ad tempus abſconditam eſſe, & ab eventu patefieri, prout Spiritui Sancto in prophetiis tradendis, viſum eſt.

5. Perpendendum eſt *qua de re* Autor loquatur. Et conſiderandum, quid conſentaneum ſit eum loqui, qui de tali re tractare velit; item qualem modum tractandi res ipſa admittat, aut requirat. Hinc canon vulgaris, *Verba accipienda ſunt ſecundum materiam ſubjectam.* Sic cum Paulus Apoſtolus dicit ſe factum eſſe omnia omnibus, facile apparet, eum non eſſe factum idololatram idololatris, aut quidvis aliud quod malum eſſet morale, quia, eo in loco, de ſolis rebus adiaphoris loquitur.

6. Conſiderandum eſt, *quiſnam finis* fuerit & *ſcopus loquentis:* ubi regula eſt, *Verba ultra ſcopum non eſſe accipienda.* Videndum igitur qua occaſione, aut conſilio, Autor ſic locutus ſit; ad probandum, vel refutandum, an ad objectionem diluendam; an nude aliquid explicandum ſuſceperit, an ad agendum hortetur, *&c.*

7. Cognoſcitur autem conſilium Autoris 1. Ex inſcriptione, aut proœmio, ſi fuerit. 2. Si nulla ſit inſcriptio aut præfatio, conſiderandum eſt ad quidnam ſummatim collineat maxima pars eorum quæ ab eo dicuntur.

8. Ex-

8. Expendatur etiam *quo animo*, & affectu loquatur. Serione, seu ex animi sententia, an joco, & ex arbitrio alieno, seu (ut dici solet) scenæ serviens, aut ex opinione vulgi: Utrum ex instituto, an per occasionem, & ex accidenti; sub aliena persona, an sua; exercitii, an docendi gratia; ut dubitans, an ut decernens; ex accurata inspectione, an leviori intuitione.

9. Illud etiam observandum, *qua lingua & stilo* utatur; Lingua vernacula, an peregrina; stilo oratorio, historico, poetico, an simplici. Quod enim in una lingua, aut stilo, asperum, in alio auribus gratum est.

10. Aliter etiam sæpe habet autographum Autoris, aliter interpretis versio. Unde regula, *Præstat Autorem lingua propria loquentem legere, quam versum in alienam:* præstat inspicere autographa quam apographa. Sic sententiam Sacræ Scripturæ, luculentius ex fontibus Hebræis & Græcis, sæpe intelligimus, quam ex versionibus. Nec enim semper, in aliena lingua virtus & emphasis sermonis exprimi solet, aut potest: præsertim cum interpres phrasin & stilum Autoris, pro virili (ut communiter facit) imitari studet.

11. De stilo autem judicare possumus si consideremus 1. Ad quem sermo dirigitur. Alio enim stylo utitur, qui servos, liberos, subditos, alio qui pares aut superiores alloquitur: alio qui intelligentes, alio qui rudes. 2. Ex qua gente natus sit. Stilus enim plerumq; idiomatis nativi redolere solet: ut in Gallicis Scriptoribus reperiuntur Gallicismi, in

Anglicis Angliciſmi, *&c.* 3. Quo ſeculo vixit. Multo enim aliter locuti ſunt antiqui Scriptores, quam recentiores aut hodierni. Ut antiqui philoſophi conceptus ſuos ænigmatis, & allegoriis involvere ſolebant; Unde multi eos male intellexerunt. Et temporis progreſſu pleræq; linguæ mutantur. 4. Quo propoſito ſcripſerit Autor. Nam ob diverſos fines, ſtilus eſt hiſtoricus, oratorius, vel ſatyricus, humilis vel ſublimis, acroamaticus, vel exotericus, &c. 5. Deniq; quoſnam præceptores imitetur. Aliter enim loquuntur eccleſiæ Patres, qui in philoſophando Platonem ſecuti ſunt, aliter ſcholaſtici, qui Ariſtotelem.

12. Ultimo obſervandum eſt *ubi* & *quando* Autor locutus ſit. Ut qui Patres intelligere vult, noſſe debet hiſtoriam temporum in quibus vixerunt. Sic propter diverſitatem temporis, non pugnant illa verba Chriſti, Matt. 10. *In viam gentium ne eatis*, cum illis aliis, Matt. 28. *Ite docete omnes gentes.*

CAP. III.

Præcepta ad ſingularum vocum intelligentiam ſpectantia.

SEquuntur præcepta, quæ ipſam orationem in ſe ſpectatam concernunt. Et primo quæ ad ſingulas voces, deinde quæ ad integram orationem intelligendam ſpectant. Ex ordine priori hæc notentur.

1. Prius tenenda eſt ſignificatio vocum ſingularum, quam de integræ orationis ſenſu judicare liceat.

2. Hanc autem ut teneamus, in ſubſidium vocanda ſunt Lexica, quæ definitiones nominales per vocabula ſynonyma tradunt, homonymias tollunt, & Etymologias, ſeu origines vocum declarant. Sunt autem Lexica vel communia, in unaquaque lingua, ut Latina, Græca, Hebræa, &c. vel huic aut illi arti peculiaria, ut Theologica, Juridica, Medica.

3. Deinde auxilium adhibendum eſt artium Philologicarum, puta, Grammaticæ, & Rhetoricæ. Sæpe enim ſola conſideratio Scriptionis ſeu Orthographiæ, quantitatis, accentus, generis, caſus, &c. dubitationem de ſenſu tollit. Iſta autem tradit Grammatica. Rhetorica vero docet tropicam ſignificationem à propria diſcernere.

4. De

4. De Tropo autem regula magnopere notanda eſt, *Ut vocem nunquam tropice accipiamus, ſine ratione valida:* Seu ne tropum fingamus ſine neceſſitate : ſed verborum proprietatem retineamus, dum tropum agnoſcere cogamur. Secus enim vitari non poteſt, quin ſenſum alienum Autori aſcribamus.

5. Ratio autem efficax tropi agnoſcendi erit. 1. Si, niſi tropus admittatur, verba, de quorum ſenſu quæritur, cum aliis ejuſdem Autoris, qui ſapiens & ſibi conſtans reputandus eſt, nullo modo conciliari poſſunt, ſed aperta contradictio admittenda eſſet. Ut in illis verbis Chriſti ſacram cœnam inſtituentis, *hoc eſt corpus meum*, niſi tropum admittamus, plurimæ contradictiones ſequentur, ut oſtenderunt Theologi noſtri, contra Pontificios & Lutheranos. 2. Si ipſa rei natura de qua agitur, proprietatem verborum retinere prohibeat, ut in his propoſitionibus, *Herodes eſt vulpes, petra erat Chriſtus, hoc poculum eſt novum Teſtamentum.* 3. Quando hiſtoria, vel eventus oſtendit verba non fuiſſe proprio ſenſu prolata: ut in vaticiniis ſacræ Scripturæ.

6. Cum autem non neceſſe ſit eandem vocem, eodem ſemper ſenſu, etiam apud eundem Autorem, accipere (quia aliter alibi ſignificare poterit); nec ita ubique accipienda ſit, ut ordinarie vel frequentius accipitur, quia in uno loco poteſt in ſenſu ſingulari accipi; regula tenenda eſt Tertulliani; *Oportet ſecundum plura intelligere pauciora:* & unum dictum, ne alia multa evertat,

evertat, ſecundum omnia reliqua potius, quam adverſus omnia, accipiendum eſt, niſi ratio ſpecialis prohibeat.

7. Tenenda eſt relatio inter ſubjectum, & attributum. Per hoc enim illud deſcribitur: & hoc per illud ſpecificatur, & reſtringitur, in propoſitione affirmante; extenditur vero ad ultimum per negationem in negante. Ut cum dicitur *ira eſt cos fortitudinis.* Subjectum oſtendit attributum *cos* non ſignificare lapidem, ſed intelligendum eſſe de incitamento ad fortiter agendum.

8. Conferenda vox eſt cum aliis quibuſcum conſtruitur, tum antecedentibus, tum conſequentibus. Sic cum vox *homo* adjunctam habet vocem *pictus*, aut *mortuus*, aliter ſignificare intelligitur, quam ubi cum voce *juſtus* aut *doctus* conſtruitur.

9. Conferenda etiam eſt cum vocibus parallelis: id eſt, quæ eaſdem res aut ſimiles ſignificant. Ut in hac propoſitione, *juſtitia Dei eſt per quam punit rebelles*, *juſtitia* ſignificat, non inculpatam agendi rationem cum creaturis rationalibus in genere, ſed juſtitiam vindicatricem, ut ſequentes voces affinis ſignificationis oſtendunt.

10. Conferenda porro erit cum vocibus oppoſitæ ſignificationis: tum enim, ſi de rebus oppoſitis agitur, quod ex ſcopo judicandum eſt, quo ſenſu una vox intelligenda eſt, in oppoſito intelligetur altera. Ut cum Chriſtus reprehendit Smyrnenſes, Apoc. 3. 1. *Quod nomen*

men haberent tanquam viverent, mortui cum eſſent, quoniam conſtat mortem non naturalem, ſed ſpiritualem ſeu animi intelligendam eſſe, oppoſitionis ratio poſtulat, ut intelligatur etiam vita, non naturalis, ſed ſpiritualis.

11. Conſiderandum etiam eſt, quo ſenſu vox accipi ſoleat à bonis Auctoribus: præſertim in illa diſciplina, quæ de rebus illius generis agit. Sic terminos Metaphyſicos optime cognoſces ex Metaphyſica, Theologicos è Theologia, Logicos è Logica. Eadem enim vox aliud vulgo, aliud in hac vel illa diſciplina ſignificat.

12. Denique conſiderandum eſt utrum vox materialiter accipiatur, an formaliter; collective, an diſtributive; aut alio aliquo ex diverſis modis ſignificandi, quos enumeravimus ſupra, parte com. cap. 14.

CAP. IV.

Præcepta ex integræ orationis conſideratione deſumpta.

1. UNius orationis, ſi Autor talis exiſtimandus ſit, ut & noverit quid dixit, & data opera decipere nolit, unicus ſenſus eſt quærendus. Sapiens enim, & bonus Autor, unicum intendit, & à mendacio ac ambiguitate abſtinet.

2. Unius

2. Unius tamen orationis ſenſus ſæpe compoſitus eſt; ut in locutionibus parabolicis, in quibus unum aliquod tanquam typus vel ſignum dicitur, & aliud per ipſum ſignificatur. Ut cum Chriſtus dicit, *ego ſum panis vitæ*, ſenſus integer eſt, *ſicut panis vires reſtituit, & vitam naturalem conſervat, ita ego reſtituo vitam ſpiritualem, eamque augeo & conſervo.*

3. Variæ autem ſunt ſenſuum differentiæ ab interprete diſtinguendæ, & attendendæ; ut quis, quibus in locis, amplectendus ſit, internoſcat. Præcipuæ ſunt quæ ſequuntur. Primo, alius eſt ſenſus *identicus* & *realis*, cum illa quæ ſola ratione diſtinguuntur, idem reipſa eſſe dicuntur, ſeu eſſe eandem entitatem. Alius *formalis*, cum duo plane idem eſſe intelliguntur ſine ulla diſtinctione, niſi in voce. Sic in ſenſu reali, ſeu identico verum eſt, *juſtitiam in Deo eſſe miſericordiam:* duo enim illa attributa Dei, ſicut & omnia reliqua, ſunt realiter ipſa divina eſſentia. Sed in ſenſu formali verum non eſt: quia formalis ratio juſtitiæ non eſt formalis ratio miſericordiæ.

4. Secundo, alius eſt ſenſus conjunctus, ſeu compoſitus (alia tamen ſignificatione, quam in ſectione ſecunda ſumitur), cum unum alteri convenit, quando, & quatenus illud alterum eſt tale: vel cum duo eidem tertio, ſimul tempore conveniunt. Ut homini *virtus ratiocinandi, figura corporea, doctrina:* Hæc enim omnia ei ſimul conveniunt. Alius eſt ſenſus diviſus, cum unum alteri convenit, non quatenus, & quando

eſt

eſt tale, ſed ſub alia ratione, & alio tempore. Vel cum duo, aut plura alicui conveniunt, non eodem tempore, ſed vicibus alternis. Sic in ſenſu diviſo verum eſt *ſedentem ſtare, cæcum videre, claudum ambulare, eundem* hominem *eſſe pium & impium*. De ſenſu tropico & proprio ſupra dictum eſt.

5. Cum unuſquiſque verborum ſuorum optimus interpres cenſendus ſit, enitendum eſt, ſi fieri poterit, Autorem per ſeipſum explicare. Iſtud autem tentabimus, primo, ſi in ipſis verbis Autoris inſiſtamus, obſervando orthographiam, ſyntaxin, interpunctionem, caſus nominum & verborum, &c. Item ſitne aliquid omiſſum, aut delendum, ſive illud ipſius Autoris, ſive tranſcriptoris, culpa acciderit, ſive propter ellipſin, aut pleonaſmum. Deinde ex collatione plurium editionum ſi fuerint, videndum eſt an variæ lectiones ſint; & ſi ſint, utra cum propoſito Autoris magis conſentiat. Denique ſpectandus eſt contextus, hoc eſt præcedentium & ſequentium ordo, & cohæſio.

6. Secundo, alia ejuſdem Autoris ſcripta aut dicta inſpicienda ſunt, & conferenda: ſive de eadem re, ſive de ſimili, ſive denique de diſſimili tractent. Si de eadem re, illa vel omnino eadem eſt, vel ratione, & modo tradendi, diverſa. Locorum de re prorſus eadem, & eodem modo tractantium, collatio prodeſt, ut videamus quid Autor frequenter & perſeveranter dicat, eoq; magis confirmabimur de illius ſententia. Illud enim potius amplectendum eſt quod ſæpius, quam quod ſemel aut rarius dixit.

7. Multis

7. Multis autem modis poteſt una & eadem res exprimi; nempe aliter in una lingua, aliter in alia, aliter cum quis ex inſtituto loquitur, aliter cum ex occaſione tantum, uno in loco brevius, in alio prolixius; nunc accurate, nunc populariter; interdum dubitando, alias definiendo, & demonſtrando; quandoque didactice ad diſcipulos, quando elenctice ad Antagoniſtas. Et ante motas controverſias, ſecurius, & negligentius loquuntur autores, ut doctores Chriſtiani ante exortas hæreſes; unde hæretici plurima ab illis dicta arripuerunt, tanquam ſententiæ ſuæ faverent, ut Pontificii, & Tremuli enthuſiaſtæ. Sed poſt excitatas controverſias, cautius agunt, ne errantibus affines videantur. In his igitur boni interpretis officium eſt, unius defectum alterius perfectione corrigere, & de ſenſu Autoris ex illis dijudicare quæ ex inſtituto, didactice, ſedato animo, accurate, & majori cautela dixerit, quam ex iis quæ ſecus. Contra facere Sophiſtæ & calumniatoris eſt.

8. Locorum generalium collatio cum ſpecialioribus ita inſtituenda eſt, ut lucem ſibi mutuo conferant, non autem unus alterum evertat. Generalia autem per ſpecialia exponenda ſunt, non contra. Ab his enim ad illa affirmative valet ſequela, non viciſſim. Calumniatores igitur & Sophiſtæ ſunt, qui in generalibus latent, & ex illis ſpecialia evertere conantur, expreſſiora Autoris verba diſſimulantes.

9. Locos ſimiles ſeu parallelos conferre utile eſt. De ſimilibus enim ſimile judicium faciendum.

Et

Et similia se mutuo illustrant: ut sacramenta Veteris Testamenti illa quæ sunt Novi. Idem præstat dissimilium collatio. His enim dissimilia conveniunt. Accurate tamen dispiciendum est quousque loca similia aut dissimilia talia sint. Hoc est, non debemus solam similitudinem arripere, dissimilitudinem prætereuntes, aut contra, ut facere solent sophistæ.

10. A contradictione Autor, quantum fieri potest, liberandus est. Et omnia illius dicta, pro virili concilianda. Calumniatoris enim est in contradictionibus & absurdis adversario affingendis, laborare. Si vero Autor idem alibi affirmet, alibi neget, & quidem ita aperte, ut nulla interpretandi præcepta conciliationem suggerant, si temporis intervallum interceserit, quo præsumere licet eum sententiam mutasse, quod posterius ab eo dictum est, amplectemur. Posteriores enim cogitationes sapientiores sunt. Sic à scripto Autoris adhuc juvenis, merito provocabis ad alia ejusdem viri facti, & per eruditionem & experientiam validioris adjudicandum. Non igitur tyronis lapsus eidem veterano exprobrandus est. Si temporis intervallum minus notabile fuit, è didacticis potius, quam ex elencticis, ex acroamaticis, quam exotericis, ex illis quæ deliberatius dixit, quam ex raptim congestis judicandum est.

11. Nulla in bono & gravi Autore tautologia admittenda est, nec uspiam putandum eum quicquam plane frustra, & nullo consilio scripsisse. Adeoque ubi sententiæ valde similes immediate,

aut

aut parvo intervallo obtingunt, differentia aliqua exquirenda eſt, ſi inveniri poſſit. Si autem omnibus mediis interpretandi adhibitis, nulla apparet, videndum num ex vehementi affectu idem ſæpius dixit.

12. Porro non tantum verba Autoris, ſed etiam geſtus, & actiones, obſervare convenit, hæc enim ſermonem ſæpe interpretantur. Sed ex ſilentio nihil de mente Autoris dijudicandum eſt. Non enim quiſque omnia animi ſui cogitata exponit. Niſi quod, ſi occaſionem aliquid dicendi, & multo magis, ſi neceſſitatem habuiſſe viſus eſt, nec tamen dixit, nulla autem ratio à circumſtantiis excogitari poteſt, cur mentem reticeret, probabile æſtimandum eſt eum non ita ſenſiſſe.

13. Ratio & ſumma horum omnium, quæ de pluribus dictis Autoris conferendis notavimus, hæc eſt. Quæ in ſpecie & expreſſius dicuntur, explicant ea quæ generatim & laxius, locus prolixus breviorem interpretatur; item ſimilis ſimilem, contrarius contrarium, & omnino clarior obſcuriorem. Ut in novo Teſtamento, multa luculentius traduntur, quam in veteri. Iniquus igitur interpres eſt, qui unum aliquod dictum Autoris in ſententiæ ſuæ patrocinium rapit; quæ vero alibi ab eo dicuntur prætervolat. Pauci enim uno & eodem loco totam mentem ſuam exponere ſolent; nec ullus, ſi materia latior fuerit, omnia quæ ad illius explanationem neceſſaria ſunt, una aliqua ſententia aut ratiocinatione complecti poteſt.

14. Quicquid per apertam & legitimam conſequentiam, ex quovis dicto Autoris elici poteſt, (niſi rationem habeamus eum pro tali habendi, qui, quæ cum dictis ſuis connexa ſunt non perſpexit), id eum ſenſiſſe putandum eſt. Præceptum iſtud ſine omni exceptione amplectendum eſt in ſacræ Scripturæ interpretatione. Nihil enim ex verbis ſpiritus ſancti deduci poteſt quod ipſe non clariſſime vidit. Sed homines pro ſua infirmitate, multa dicunt & ſcribunt, ex quibus ea ſequuntur quæ ſi obſervaſſent, admittere noluiſſent. Nec inſolitum eſt, caſu aliquem vera dicere, nempe implicite, & per conſequentiam.

15. Denique Commentarios, ſi qui ſint, conſulemus. Bonus autem commentator eſt, qui linguæ in qua Autor, & materiæ de qua, ſcripſit, non ſit imperitus, nec veritati adverſarius. Et ad ipſum recte intelligendum adminicula ſupra memorata adhibenda ſunt, ſi ita opus fuerit. Quanquam commentarii nomine minime dignus ſit, qui non eſt & clarior & facilior ipſo textu.

CAP.

CAP. V.

Præcepta ad modum interpretandi ſpectantia. Verſionum ratio.

1. SI quædam in Autore, quem enarrandum ſuſceperis, omnibus interpretandi adminiculis adhibitis, dubia remanſerint, in meliorem partem illa accipienda ſunt. Nec ſenſus falſus aut abſurdus cuiquam aſcribendus eſt, ſine manifeſta ratione.

2. Ne igitur ex altera parte calumniator ſis, ex altera, ad aliorum errores connivere videaris, per omnes exponendi rationes eundum eſt, ut, quid veri, quid falſi, verbis Autoris ſubſit, quid ſententiæ tuæ adverſetur, quid eam non tangat, quid concedere poſſis, quid non, clare explicetur.

3. Regula etiam hic eſt diligenter tenenda; *ad excuſandum, vel defendendum, leviores rationes ſufficiunt; ad accuſandum, & damnandum, requiruntur graviſſimæ.* Ad poſterius enim requiruntur rationes quæ poſitive & evidenter crimen probant; ad prius ſufficiunt illæ quibus oſtenditur illud non probari.

4. Si rationes evidentes interpretem, ad ſententiam aliquam Autoris damnandam, trahant, inde illa reprehendenda eſt, perſonâ intactâ, niſi aliunde ingenii doloſi & improbi convinci poſſit.

Verbis enim aſperioribus nihil proficimus, ſed adverſarii animum magis à veritate alienum reddimus.

5. Ne tamen zelo veritatis deſtitui videamur, utque alii à dogmatis pernicioſis ſtudioſius caveant, ſi cum fidei aut pietatis hoſte manifeſto nobis res ſit, aſperius eum tractare convenit; tum malum ipſius animum, tum etiam ſententiæ quam tuetur exitialem indolem ad vivum exponendo.

6. Si omnibus interpretandi mediis adhibitis, verba quædam Autoris duplicem ſenſum admittant, quorum neuter cum veritate pugnet, utroque modo accipi poſſunt. Aut videndum eſt, ſi unico ſenſu generali comprehendi queant. Rarius enim plures ſenſus diſparati, ab Autore ſcienti & bono intenduntur. Plures autem coordinati, ſunt partes tantum unius totalis: & ſenſus ſubordinatus eſt pars illius cui ſubordinatur.

7. Enitendum eſt, ut ſenſum integrum, & adæquatum Autoris conſequaris. Secus enim finem Hermeneuticæ imperfecte attinges. Hujus enim finis eſt, ut totam Autoris mentem intelligas, quatenus eam verbis exprimit.

8. Ubique tamen ratio æquipollentiæ habenda eſt, quæ, ut ſupra diximus, eſt orationum verbis diſcrepantium, convenientia in ſenſu. Hæc autem obſervabitur, 1. Si ſubjectum vel prædicatum, vel utrumque, & eorum modificationes, ubi opus fuerit, voce vel phraſi ſynonyma, quæ clarioris ſignificationis ſit, permutetur. Ut ſi

hanc

hanc propoſitionem, *Nemo me impune laceſſet*, ſic permutaveris, *Si quis me offenderit, aut provocaverit, pœnam feret.* 2. Si vox impropria, aut phraſis figurata ad propriam, & ſimplicem reducatur: ut *Herodes eſt vulpes*, id eſt, *aſtutus, & malignus. Surdo canis*, id eſt, *fruſtra mones*, aut *ſuades.* 3. Si vocem aut phraſin ex ſe ambiguam, ad eum ſenſum determinemus, quem percipimus ab Autore intentum. Ut ſi dicas ſenſus hujus dicti, *Nemo Deum vidit unquam*, eſt non tantum neminem unquam eſſentiam divinam oculis corporeis vidiſſe, ſed etiam neminem eum oculis mentis perfecte cognoviſſe. 4. Si quando ordo localis verborum obſcuritatem parit, eorum conſtructionem oſtendamus, & in eam formam redigamus, qua facilius & certius intelligantur. Ut *Deus erat ſermo*, Joh. 1. 11. id eſt, *Sermo erat Deus: Nobilitas eſt unica virtus*, id eſt, *Sola virtus eſt nobilitas.*

9. Ratio æquipollentiæ obſervandæ hoc axiomate continetur, *Qui unum ponit ex æquipollentibus, alterum etiam ponit; & qui unum tollit, alterum tollit.* Hoc eſt, qui unum ponit, perinde eſt, ac ſi aliud poſuiſſet; & aliud ponit ex conſequenti. Ut qui dicit *Herodes eſt vulpes*, idem dicit ac *Herodes eſt verſutus, ſubdolus, & malignus.*

10. Triplex autem eſt interpretatio, alia in qua ſenſum Autoris ipſi percipere, vel etiam aliis exponere contendimus; alia per quam ipſius ſermonem, ex una lingua, in aliam, vertimus, in hunc finem, ut qui linguæ in qua ſcripſit, aut

locutus eſt, imperiti ſunt, cogitationes ejus intelligant. Quæ ſi ſcriptis fiat, verſio & tranſlatio dicitur. Alia qua res, de quibus Autor loquitur, definimus, ſeu diſtribuimus, per attributa, quæ ab eo non ſunt poſita: aut diſtinguimus, ac dividimus in partes, & ſpecies. Aut denique rationes propoſitionum, quæ ab eo nude exprimuntur, proferimus. Hæc operatio *commentatio* ſeu *expoſitio* vocatur. De prima jam diximus. De tertia inferius dicemus. De ſecunda nunc reſtat pauca ſubjungere.

11. In interprete, hoc eſt in tranſlatore, tres virtutes requiruntur. 1. Peritia utriuſque linguæ, tum illius ex qua, tum illius in quam redditurus eſt. 2. Cognitio mediocris materiæ, quæ ab Autore transferendo tractatur. Secus enim non, niſi caſu, ubique recte vertere poteſt. Siquidem non ſemper ſciet quænam voces aut phraſes, in illa lingua in quam verſurus eſt, ad vivum exprimant ſignificationem verborum quæ habet vertenda. 3. Requiritur fides: hoc eſt, ut ab omni fraude, & partium ſtudio alienus ſit. Sic enim verba Autoris juxta genuinam earum ſignificationem reddet; ſive ſenſus pro ſe & ſuis fecerit, ſive iiſdem adverſetur. Qui aliter facit, Autorem vel calumniatur, vel injuſte errores & infirmitates ejus celat, & lectori illudit: adeoque ſi ſciens & volens mala fide interpretetur, mendax eſt, & impoſtor.

12. Non tamen neceſſe eſt, ut definitiones teneat omnium terminorum qui in textu vertendo inveniuntur; neque ut integrum ſenſum ſingularum

larum propoſitionum percipiat, ſed tantum, ut ſenſum literalem (ut dicitur) intelligat. Exempli gratia, καὶ εἶδον ἐκ τῆς θαλάσσης θηρίον ἀναβαῖνον ἔχον κεφαλὰς ἑπτὰ καὶ κέρατα δέκα. Qui linguam Græcam & Latinam callet, ſatis inſtructus eſt ad hæc verba ſic transferenda, ut transferri debent, *Et vidi beſtiam è mari aſcendentem, quæ habebat capita ſeptem, & cornua decem*; licet non intelligat quid per beſtiam hanc, ejuſque ſeptem capita, & cornua decem, aut per mare, & aſcenſum ex eo, ſignificetur; utrum ſcilicet beſtia proprie dicta, an aliquid aliud, puta homo, aut principatus aliquis, aut denique quiſnam homo, aut principatus. Sufficit ſi certus ſit, non aliter vere & exacte reddi poſſe. Tranſlatoris enim eſt, ſolummodo voces & phraſes ſynonymas, ſeu æquipollentes adhibere.

13. Neque neceſſe ſemper eſt verbum verbo reddere. Iſtud enim proprietas linguæ in quam transfert, non ſemper patitur. Siquidem omnis lingua ſua habet idiomata. Sed ſufficit ſi voces & phraſes uſurpet, quæ prorſus idem ſignificare aptæ ſint, cum illis quas in textu invenit. Unde non tantum licitum, ſed etiam neceſſarium eſt, voces quaſdam adhibere, quibus nullæ in eo reſpondent: ut in lingua Hebræa ubique fere eſt ellipſis verbi ſubſtantivi, in propoſitionibus trinariis; quod in Anglicana omitti nequit. Et ex adverſo neceſſe eſt quaſdam interdum demere: illas ſcilicet, quarum æquipollentes, in lingua ſubſtituenda, ſenſum mutarent, aut male ſonarent. Neceſſe etiam aliquando eſt, alium ſitum

verborum eligere, propter eaſdem rationes: ut taceam de caſu, genere, & ſyntaxi mutanda.

14. Gratia, & emphaſis, & tota virtus ac efficacia textus vertendi, quantum fieri poteſt, exprimenda eſt. Hæc autem conſiſtit partim in oppoſitis vocibus deligendis; partim in tropis & figuris rhetoricis; partim etiam in ordine verborum, & partium ſententiarum, & orationis decurſu ſuaviter fluentis. Eam igitur in omnibus interpres æquiparare ſtudebit.

CAP. VI.

Præcepta Analytica & Critica generalia.

SEquitur ut præcepta Analytica, & Critica tradamus, quibus docemur partes, ſive unius ſententiæ, ſive totius tractatus, reſolvere, & judicium de utroque & illis quæ ad ea pertinent, interponere. Utriuſque generis præcepta, ad repetitiones inanes vitandas ſimul proponemus.

1. De Autore ſententiæ, aut operis reſolvendi, conſiderare licet, quis, & qualis fuerit; nempe nomen, genus, vitam, ingenium, ſtudium, mores, dotes acquiſitas, occaſionem & rationes ſcribendi: de materia vero reſolvenda, dignitatem, difficultatem, utilitatem, neceſſitatem & jucunditatem.

Quorum

Quorum comprehenſio proœmium & *prolegomena* dicitur.

2. Poſtquam materiam reſolvendam perlegimus, & ſenſum Autoris per præcepta hermeneutica intelleximus, obſervandum imprimis eſt, quodnam ſit thema ſeu argumentum ab Autore tractatum, quis modus tractandi, adeoque quidnam reſolvendum ſit.

3. Thema vel eſt ſimplex, vel complexum. Thema ſimplex tractatur definiendo, dividendo, varieque deſcribendo, ac illuſtrando. Unde materia ex ejus tractatione reſultans, ab analytico reſolvenda, eſt complexio omnium notionum, & propoſitionum quibus ab Autore explicatur.

4. Thema complexum tractatur, tum partes illius explicando, ut in tractatione thematis ſimplicis fit; tum connexionem aut disjunctionem earum demonſtrando, confirmando, aut refellendo. Unde in hac parte poſteriori, quæ thematis complexi, qua complexum, propria eſt, materia emergens reſolvenda eſt complexio plurium ratiocinationum, probationum ſcilicet, refutationum, reſponſionum ad objecta, &c.

5. Modus tractandi ab Autore uſurpatus, vel erit *didaſcalicus*; ſeu doctrinalis, quo nudi conceptus mentis ad alios tantum inſtruendos; vel patheticus, quo affectus animi ad alios movendos, hoc eſt ſimiles affectus in illis ciendos, exprimuntur.

6. Unde pro differentia affectuum varia erit oratio. Nempe vel *gratulatoria*, qua Autor gaudium

gaudium de prosperа alterius fortuna testatur; vel *lamentatoria*, qua dolorem, de sua, aut aliorum fortuna adversa, effundit; vel *eucharistica*, qua gratitudinem de beneficio accepto exprimit; vel *concitatoria*, qua adversus aliquem alios concitat; vel *conciliatoria*, qua inimicitias & dissentiones diluere conatur; alio nomine *irenicon* dicitur: vel *consolatoria*, qua alios in adversis solatur; vel *laudatoria* aut *vituperatoria*, quam Rhetorici genus demonstrativum vocant: vel *deliberativa*, qua suadet aut dissuadet; sub qua idcirco continentur orationes hortatoriæ & dehortatoriæ: vel denique *juridicialis*, qua accusat aut defendit. Sub hac continentur orationes apologeticæ.

7. Miscentur autem sæpius themata ista, & isti modi agendi, in eodem tractatu; adeoque ab analytico diligenter secernenda, & distinguenda, per materiæ distributiones; quæ si generales sint, in initio proponendæ; si speciales, in progressu notandæ sunt.

8. Partium doctrinæ ratio reddenda est, per reductionem uniuscujusque quod dicitur (sepositis illis quæ facillima, & observatione minus digna), ad aliquem locum communem, seu imponendo illi aliquam notionem secundam.

9. Et cum hæc tria in materia resolvenda occurrant, Oratio, conceptus, & affectus Autoris, Analysis triplex esse poterit, Grammatica, rhetorica, & logica. Analysis Grammatica circa etymologiam, compositionem & syntaxin verborum; rhetotica circa tropos & figuras, & omnia

omnia media pathetica; logica circa argumenta explicantia, & probantia exercetur. Et cum loci communes, ſeu notiones ſecundæ, in omnibus his diſciplinis tradantur, ad aliquam ex illis, ſingula ad ſingulas referenda ſunt. Puta quæ Grammaticam ſpectant, ad Grammaticas; quæ rhetoricam, ad rhetoricas; quæ logicam, ad logicas.

10. Unde, quæ Autor dicit in actu exercito, ſeu in particulari, Analyticus ad actum ſignatum, ſeu ideam communem reducet. Ex. g. Autor deſcribit rem, per ea quæ illius ſunt partes, cauſæ, ſubjectum, adjuncta; vel accuratius definit per attributa, quæ ſunt genus, & differentia; & variis modis eam diſtinguit, diſtribuit, ac dividit: Propoſitiones variis probat argumentis, artificialibus vel inartificialibus, probabilibus vel neceſſariis, à poſteriori vel à priori, &c. Non tamen dicit ſe, per iſta attributa, aut argumenta, eam tractare: quin forte de illis minime cogitat, ſed recta mentem in res ipſas dirigit. Analyticus igitur illa omnia expreſſe notare debet; dicendo hic rem deſcribi per partes, cauſas, ſubjectum, adjuncta; hic definiri per genus, & differentiam; hic diſtribui per cauſas, effecta, ſubjecta, vel adjuncta; hic dividi in ſpecies; hic theſin probari vel refutari, argumento hujus aut illius ordinis, &c. Ut in exemplis ad calcem hujus operis exhibitis videre eſt.

11. Sed notiones Grammaticæ & Rhetoricæ non niſi inſigniores notandæ ſunt; illæ ſcilicet quæ ſingularem orationis virtutem & gratiam con-

continent, aut quæ minus obviæ ſunt tyroni, aut lectori parum erudito.

12. Ordo reſolvendi duplex eſſe poterit. Alter ſi Autorem κατὰ πόδας ſequamur; nempe ubi ordinem naturalem & accuratum ipſe obſervat; vel cum ordinem qualemcunque ab eo obſervatum deſerere, minus auditori, aut lectori commodum viſum fuerit. Alter, cum ad ordinem naturalem ab Autore neglectum, heterogenea ubique miſcente (ut ſi hic adjunctum aliquod rei, deinde cauſam efficientem, proxime aliud adjunctum, tum cauſam finalem, poſuerit), omnia reducimus. Quod quidem operoſius erit, ſed brevius fiet.

13. Analyſis alia ſimplex, & pura eſt, in qua partes materiæ ab Autore poſitas nude indicamus, & diſtinguimus, nihil addendo aut reprehendendo. Alia eſt quæ Geneſin admixtam habet; nempe, ubi cum Analyſi omnium quæ ab Autore dicuntur, aliquid de noſtro adjicimus. Quot autem modis illud fieri poſſit proxime dicemus.

CAP.

CAP. VII.

De Commentario, & Criſi, ſub qua continentur & Apologia, & Elenxis.

1. CUM analyſi, aut ex ea, tanquam occaſione, primo inſtituere licet Geneſin Exegeticam, ſeu expoſitionem: ſcilicet ſi omnia aut nonnulla quæ in opere reſolvendo occurrunt, nude, hoc eſt, certis propoſitionibus explicemus, juxta præcepta genetica thematis ſimplicis tractandi: definiendo ſcilicet, & dividendo terminos qui ab Autore adhibentur; ſive rerum quæ illis ſubſternuntur naturas, cauſas, effecta, partes, ſubjecta, adjuncta, cognata, & oppoſita exponendo.

2. Eos tamen terminos ſeligere convenit, qui explicatione indigent. Et eas res, quæ nude ab Autore memorantur, quarum cognitio difficilior, & utilior eſt. Plurima enim ubique, in aliorum dictis & ſcriptis, occurrunt, quæ explicationem nec exigunt, nec merentur.

3. Secundo, inſtituere etiam poſſumus Geneſin Syllogiſticam, ſeu probativam: nempe ſi propoſitiones ab Autore ſine probatione poſitas, argumentis confirmemus. Utrumque tunc præcipue agendum eſt, cum materia aliqua inſignior definitionibus,

nitionibus, diviſionibus, & theorematis, ſeu aphoriſmis, ſuccincte traditur.

4. Si thema quod explicandum aſſumimus, ſimplex fuerit, ſub eadem ratione explicari debet, quam apud Autorem ſortitur: ſi complexum, ſub iiſdem terminis quibus ab eo exprimitur, confirmandum eſt. Secus enim aliquid aliud tractabimus, aut tractare videbimur, quam quod tractandum eſt: nec auditoris aut lectoris expectationi ſatisfaciemus. Ut ſi quis hujus propoſitionis Δεῖ ὑμᾶς γεννηθῆναι ἄνωθεν, *oportet vos gigni denuo* vel *renaſci*, terminos explicandos, vel veritatem demonſtrandam ſuſceperit, convenit ut mutationem illam ſpiritualem, cujus neceſſitas hic aſſeritur, ſub notione παλιγγενεσίας explicet & probet.

5. Falſas ſententias, aut quæ in ſe dubiæ ſunt, hoc eſt, de quibus juſtas cauſas dubitandi habemus, probandas non ſuſcipiemus. Sicut nec illas quæ omnibus, aut pleriſque notæ ſunt.

6. Qualecunque thema fuerit, cavendum eſt ne ab eo longius excurramus. Sed orationem ita componere ſtudendum eſt, ut omnia quæ dicimus, manifeſtam habitudinem ad ipſum gerant.

7. Tertio, ſi Autor quibuſdam argumentis aliquid explicavit aut probavit, alia tamen omiſit quæ adhiberi poſſunt aut debent, poſſumus & illa addere. Et ſic quæ ab eo imperfecte tradita ſunt, perficere. Atque hæc omnia ad rationem commentarii pertinent.

8. Quarto,

8. Quarto, ſi bonus Autor ab adverſario aliquo impetitus fuerit, poſſumus veritatis ab eo traditæ patrocinium ſuſcipere, quod *Apologia* & *vindiciæ* dicitur. Apologia autem inſtituenda eſt, veritatem ulterius confirmando, rationes pro ea adductas defendendo, exceptiones & omnes rationes oppoſitas diluendo, & calumnias reſellendo. Videndum tamen eſt, ut ſolius veritatis vindices ſimus, nec quæ temere, aut contra rationem ab Autore dicta ſunt, defendere aggrediamur, ſed ea rejiciamus, tanquam inutilia, & quibus cauſa non indiget, veritatis duntaxat ſulcimento contenta. Item ne infirmis rationibus eam tutemur.

9. Quinto, adjicere etiam nonnunquam debemus quædam quibus probetur, & laudetur Autoris virtus in diſſerendo: ut elegantia in dicendo, ἀκείβεια in explicando, acumen & judicium in demonſtrando, ac refutando. Ut majori in pretio ſint quæ ab Autore traduntur; eoque diligentius expendantur.

10. Sexto denique, eorum quæ minus recte traduntur, correctionem & *elenxin* inſtituemus. Præſertim ubi totus aliquis tractatus contra veritatem componitur; maxime ſi error in religione, aut moribus, ſub ſpecie veritatis, incautis obtrudatur.

11. Non enim omnibus erroribus refutandis operam impendemus, ſed vel perniciosis, aut qui his ſtatuminandis eliguntur: aut qui eximiam aliquam veritatem evertunt, licet ſine detrimento fidei aut honeſtatis. Aut qui incommodum aliquod externum

ternum adferre poſſunt; quales ſunt errores in Medicina, & artibus mechanicis: aut denique quorum confutatio, ingeniis diſcentium majori cum fructu exercendis inſerviat.

12. Veteres igitur & obſoletæ controverſiæ non ſunt revocandæ; novæ, quæ futiles, & à paucis tractantur, ſunt negligendæ; quæ à multis, & doctis, ſi inutiles ſint cum honore ſepeliendæ, hoc eſt, breviori reprehenſione dimittendæ; quæ plane abſurdæ, & monſtroſæ, riſui & contemptui exponendæ.

13. Verſatur autem elenctica, ſi generatim ſpectetur, vel circa ſermonem & voces, vel circa materiam quæ illis ſignificatur. In vocibus reprehendimus, ſi obſoletæ, ſine ratione confictæ, ambiguæ, obſcuræ, aut quocunque modo ineptæ; in ſermone, ſi ſubdolus, & fallax ſit.

14. In materia reprehendendæ ſunt definitiones, diviſiones, aut diſtinctiones vitioſæ, & inutiles; oſtendendo in aliquam ex legibus, quæ his operationibus mentis imperant, impingere.

15. Deinde ſententiæ falſæ, quæ pro veris recipiuntur, argumentis in partem oppoſitam adductis. Dubiæ vero quæ pro certis aſſumuntur, oſtendendo rationes quæ pro illis adferuntur, non concludere. Item rationes infirmæ in patrocinium veritatis adductæ, oſtendendo pro cauſa nihil facere. Denique reſponſiones imprudentes, debiles, ac inutiles ad rationes adverſarii ſolvendas, oſtendendo eas veritatem non vindicare, aut etiam lædere.

16. Virorum

16. Virorum doctorum & gravium dogmata à junioribus non ſine gravi ratione convellenda ſunt. Et in modo contradicendi, modeſtia & reverentia eſt adhibenda. Quibuſcunque etiam ferram diſputationis reciprocamus, ita nos gerere convenit, ut non contra perſonas, ſed errores litem movere videamur. Et leviora errata non ſunt rigide exagitanda.

17. Denique in ſententiis, non tantum alienis, ſed etiam noſtris examinandis, laborandum eſt; quin in earum examine, majori ſeveritate utendum. Nec nos pudere debet ſententiam mutare, & ſobolem mentis noſtræ necare, cum ratio ita jubet.

18. In methodo, reprehendenda eſt Cryptis incommoda, nempe quæ intelligentiæ officit, ordinis naturalis neglectus apud peritos (quot vero modis ab eo diſceditur, ex illis colligi poteſt, quæ ſupra dicta ſunt de Geneſi Methodi parte 1. ſpec. cap. 10.) & ejuſdem apud rudes uſurpatio, quando alius captui eorum magis congruit.

CAP. VIII.

De Analyſi tractationis Exegeticæ.

CUM tractatio genetica, alia ſit thematis ſimplicis, alia complexi, & Analyſis ſit reſolutio eorum quæ per Geneſin componuntur, alia erit Analyſis tractationis exegetica, ſeu argumentorum, vel notionum reſolutio quibus

thema ſimplex tractatur ; alia propoſitionis ſeu thematis complexi ; alia denique rationum quibus ipſa probatur, vel refellitur, quando ita eam tractari contingit. In quibus omnibus, brevitatis cauſa, quæ ad Criſin ſpeciatim, præſertim Elenxin ſpectant, una cum ipſa ratione Analyſeos trademus.

1. Videndum imprimis eſt, quomodo thema quod tractatur, ab Autore appelletur. Utrum unica voce, an pluribus ; voce propria, an tropica : & utriuſque ratio reddenda eſt, ſi modo ratione nomen inditum ſit ; ut quod propria & ſimplex defuit, aut ſi extitit, minus commoda fuit ad rem deſignandam. Quandoque enim voce tropica, clarius, & efficacius res exprimitur, quam propria. Et ſi res compoſita ſit, recte pluribus vocibus quæ ſingulas partes notent, appellatur. Si vero ſine ratione nomen rei tractatæ impoſitum ſit, error ille notandus, & aliud in locum illius ſubſtituendum. Etymologia etiam, ſi ab Autore omiſſa, addenda eſt.

2. Proxime diſpiciendum eſt an definitio aliqua rei tractatæ, ab Autore tradatur ; & utrum illa ſit nominalis, an realis. Et ſi realis, utrum eſſentialis an deſcriptiva, univerſalis, & adæquata, an particularis tantum. Et quocunque vitio laboret, vitium illud notabitur, adjecta etiam ratione cur à nobis reprehenditur. Si autem minus accurata ſit, non propter ignorantiam, aut incogitantiam Autoris, ſed ex propoſito, ſcilicet ut res facilius, ab eo cui tractatus deſtinatur, capi poſſit, vel ut Autor apud eum, finem certius aſſe-

assequatur, ratio cur sic instituitur, cum laude, aut vituperio, prout merebitur, reddenda est.

3. Speciatim vero in definitione essentiali videndum est, utrum per genus proximum, an remotum, per differentiam primam, an secundam, seu consequentem tradita sit : & cur Autor genus remotum, aut differentiam secundam adhibuerit : nempe utrum ex ignorantia, an ex necessitate, an ex proposito ; & hujus postremi ratio examinanda est.

4. Observandum etiam est, utrum differentia attributum simplex & absolutum sit, an complexum, aut respectivum. Et si complexum, partes illius expendendæ ; & ostendendum (si id ab Autore non jam præstitum sit), quomodo illæ simul differentiam constituant. Si respectivum fuerit, videndum est quinam sint termini istius respectus, puta objectum, causa, subjectum, &c.

5. Deinde observanda sunt reliqua argumenta exegetica quibus thema tractatur : ut causæ, puta materia, forma, efficiens, exemplar, instrumenta, finis, conditiones ; adjuncta interna, & externa, circumstantiæ ; cognata & opposita ; paria, imparia, similia, & dissimilia. Rarius quidem in descriptione unius rei omnia ista adhibentur. Sed quæ occurrunt, notanda sunt, & quæ perperam adhibentur, corrigenda, quæ desunt addenda, si additione ista, aliquid emolumenti tractatui accedere possit.

6. Sed si thema quod tractatur accidens, aut modus sit, aut privatio, videndum quodnam illi

ſubjectum Autor aſſignaverit, & utrum illud proprium ſit, an commune; inhæſionis, an adhæſionis, pro adjuncti differentia. Si res compoſita ſit, videndum quaſnam partes, ſeu quænam principia componentia ipſi tribuat. Si relatum, quodnam fundamentum, & quem terminum relationis poſuerit. Si actio, à quo agente profectam dixerit, quoſnam illius terminos, à quo & ad quem aſſignet, & quem modum ei tribuat. Si ſignum, quodnam ſignatum; ſi actus, cuinam potentiæ reſpondere dicit; ſi actus terminatus fuerit, quodnam illius objectum ſtatuat.

7. Videndum quaſnam diviſiones vel diſtributiones thematis tradiderit, utrum generis in ſpecies, ſpeciei in individua, aut aliqua alia quæ ſub ea continentur, & ſolis accidentibus differunt, an totius eſſentialis, aut integralis, in partes; an ſubjecti in adjuncta, aut adjuncti per ſubjecta; cauſæ per effectus, aut effectus per cauſas. Utrum ſint immediata, & adæquata rei diviſæ; an ipſi ex æquo conveniant, an vero alteri, aut uni proprie, & formaliter, alteri aut reliquis, tropice, & analogice.

8. In tractatione thematis ſingularis reſolvenda, non quæremus definitionem eſſentialem, niſi ubi de Deo agitur (multo minus diviſio, aut diſtributio; licet ubi plura individua ejuſdem nominis ſunt, diſtinctio eorum inſtituenda ſit); Sed cauſæ efficientes, & adjuncta ſive accidentia. De his autem illud imprimis videndum, quænam propria ſint, quænam communia. Et ſi individuum quod deſcribitur perſona ſit, obſervandum eſt quoſnam

quoſnam parentes, præceptores, aut tutores, qualemnam indolem, quale ingenium, quales mores, vitam & ſtudium, quam fortunam, & mortem, ipſi Autor tribuat, &c.

9. Diſtinguendæ ſunt digreſſiones à partibus principalis tractationis. Item tranſitiones ab una parte ad aliam, exordium, & epilogus, de quibus etiam, ut de reliquis omnibus cenſuram ferre licet, ſive probando, ſive improbando.

CAP. IX.

De Analyſi & Criſi thematis complexi ſeu unicæ Sententiæ.

ANalyſis thematis complexi eſt examen unicæ ſententiæ, ſeu propoſitionis, nulla habita ratione argumentorum, quibus veritas illius probatur, vel falſitas detegitur. Adcoque de ea inſtitui poteſt, ſive nude ponatur, ſive ſyllogiſtice tractetur. Huic autem exercitio dirigendo ſequentia præcepta inſerviunt.

1. Expendendum primo eſt, ſitne propoſitio ſimplex an compoſita. Si ſimplex reperiatur, conſiderandi ſunt termini quibus conſtat, ſubjectum ſcilicet, & attributum. Item ſintne illi ſimplices, an complexi: & ſi alter vel uterque complexus fuerit, diſtinguendum eſt principale ſubjectum, & principale attributum, à ſuis additamentis, & limitationibus: & χίσις quam hæc ad illa gerant, oſtendenda, juxta præcepta ana-

lytica tractationis exegeticæ cap. præcedenti tradita. Ratio denique horum additamentorum reddenda est; aut si contra leges adjiciantur, reprehendenda sunt; & vitium in specie notandum.

2. Considerandum deinde, an termini suos locos teneant, hoc est, an subjectum ante copulam, & attributum post eam locetur. Secus si fuerit, transponendi sunt (ut supra in Hermeneutica præcepimus), modo intelligentia auditoris aut lectoris illud postulet.

3. Si propositio in modo imperativo, optativo, aut potentiali expressa sit (in subjunctivo enim, nulla integra propositio, sed tantum aliqua pars propositionis complexæ, quæ propositionem incidentem continet, exprimi potest); aut si forma interrogativa, admirativa, aut quævis alia, quæ affectum expresse significat, proponatur, ad sententiam æquivalentem modi indicativi, quicquid in ea categoricum est, reduci debet.

4. Perpendendum est sitne affirmans an negans, juxta ea quæ supra dicta sunt, parte com. cap. 16. sect. 9, 10, 11. Et si cui, quæ vere negat, affirmans videri possit, aut viciſſim, declaranda erit per aliam æquipollentem, quæ aperte negat, vel affirmat.

5. Perpendenda etiam est quantitas; utrum scilicet propositio universalis sit, an particularis, an singularis, an denique indefinita. Universalem autem æstimabimus, si notam universalitatis, licet non positam, admittat, salva veritate. Particularem vero, si solam notam particularitatis; inde-

indefinitam, ſi neutram. Singularis vero facile ex ſubjecto ipſo internoſcitur. Ex. g. Hæc eſt univerſalis, *homo eſt mortalis*, quia admittit ut nota univerſalitatis ſubjecto præfigatur: hæc vero, *medicamenta ſunt ſenſui ingrata*, univerſalis non eſt, niſi de majori parte, ſed ſtricte ſolum particularis; quædam enim medicamenta ſenſui grata ſunt. Hæc denique, *homo eſt ſpecies animalis*, indefinita eſt, quia neutram extenſionis notam admittat.

6. Præterea, ſi propoſitio univerſalis deprehenſa fuerit, videndum utrum univerſalis ſit ratione ſubjecti, an attributi, an utriuſque. An vero ratione temporis, & loci, an utriuſque: & quotnam ex his modis univerſalitatis contineat. Item utrum ſit univerſalis collectiva, an diſtributiva, & ſi diſtributiva ſit, utrum diſtribuat in ſingula generum, an in genera ſingulorum: utrum omnia ſimpliciter diſtribuat aut colligat, an ſub nota *omnis* aut ſimili ſolam magnam aut majorem partem deſignet, per exaggerationem patheticam: ut cum Phariſæi quærebantur, *Si Chriſtum ſinerent in populo docendo pergere, omnes in eum credituros.* Hoc eſt, *multos*, aut majorem partem, & tot quidem, ut reſidui illis inſtar nullorum forent.

7. Si propoſitio compoſita ſit (in ea autem reſolvenda præcipua opera locanda eſt, quippe quæ reſolutionis maxime capax, & indiga), conſiderandum eſt, ad quamnam ſpeciem compoſitæ referenda ſit: & propoſitiones ſimplices quas complectitur, diſtinguendæ, & ſeorſim expen-

dendæ juxta præcepta jam data.

8. Qualiſcunque autem fuerit, ſimplex an compoſita, univerſalis an particularis, &c. videndum, ſitne vera, an falſa, an plane dubia. Et ſi vera, an ſimpliciter vera ſit, an tantum ſecundum quid, ſeu cum limitatione; ſi poſterius fuerit, limitatio omiſſa, aut ſubintellecta addetur. Si penitus falſa, rejicietur: & falſitas illius, ſi opus ſit, oſtendenda; rationes vero pro ea adductæ diluendæ, juxta præcepta elenctica ſupra tradita. Si poſtquam omnia media adhibuimus, ad veritatem vel falſitatem illius definiendam, dubia maneat, explodenda eſt tanquam inutilis.

9. Videndum etiam de connexione terminorum, ſi ſimplex propoſitio fuerit, & partium, ſi compoſita; utrum illa neceſſaria ſit, an contingens, an ſolum poſſibilis. Item ſi falſa ſit, utrum neceſſario falſa, an poſſibiliter vera: & ratio horum omnium, quicquid ex iis reperietur, reddenda.

10. Videndum denique, quod ad qualitatem attinet, ſitne obſcura, an perſpicua, ſeu evidens: & utrum per ſe evidens ſit, adeoque axioma & principium, an ex alia notiori pendeat. Obſcura ſi fuerit, talis erit vel propter tropum, vel propter vocem ambiguam, aut inſolentem, novam ſcilicet, vel exſoletam; aut phraſin vel modum loquendi minus familiarem. Ut autem iſta intelligentiæ impedimenta tollantur, ad propriam, conſuetam & familiarem formam reducetur; & ratio tropi reddenda eſt.

11. In

11. In propositionibus patheticis, quibus una cum affirmatione aut negatione, affectus aliquis significatur, licet quoad voces simplices sint, quales sunt petitoriæ, deprecatoriæ, imprecatoriæ, interrogativæ, admirativæ, & plurimæ id genus aliæ, semper in plures resolvendæ sunt. Quarum una aut aliquæ actum mentis, ejusque objectum indicant, reliquæ affectum animi, unum, aut plures exprimunt. Et si forma loquendi per se varie significet, sensus ex materia subjecta, scopo loquentis, & reliquis mediis interpretandi supra expositis, eruendus est Ex. g. hæc oratio, *Quis dabit salutem Israelis venire ex Zione*, Psal. 14. ult. propositio optiva est: at, *Quis me eripiet ex isthoc corpore mortis*, Rom. 7. 24. est non tantum optantis, sed lamentantis, & ejulantis, sub onere naturæ corruptæ.

12. Tandem videndum est, quot propositiones utiles ex sententia explicata deduci possint. Quod in solis fere sententiis complexis, compositis, & patheticis fieri potest. Sumi autem possunt non tantum principales, & quæ directe in sententia continentur (in propositione autem composita, præsertim copulativa, plures istiusmodi esse possunt); sed etiam implicitæ, indirectæ, incidentes, & subservientes, hoc est, quæ principalem explicant, aut etiam probant, ut in causalibus fit. Exempla ad calcem hujus operis vide.

CAP.

CAP. X.

De Analyſi & Examine Textus Syllogiſtici.

ANalyſis textus ſyllogiſtici, eſt explicatio, & examen rationum quibus propoſitio aliqua confirmatur, vel refutatur; de qua ſequentia præcepta obſervanda ſunt.

1. Ante omnia videndum eſt quænam ſit quæſtio, vel theſis quam Autor probandam aut refutandam ſuſcepit: & à rationibus, quibus vel explicatur, vel confirmatur, aut refutatur, diſcernenda eſt. Ut autem inveniamus, videndum num expreſſe poſita ſit ante rationes quibus tractatur, an vero poſt aliquam præfationem, aut unam vel alteram rationem; an, in propoſitione cauſali, cum una aliqua ratione, aut in adverſativa cum reſponſione ad objectionem, complicetur, ut non raro accidit. Videndum etiam, num ſæpius poſt alias & alias rationes, repetatur: & utrum iiſdem ſemper terminis, an cum immutatione aliqua. Et ſi poſterius contingat, perpendendum eſt, num mutatio illa ſit in ſolis vocibus, an etiam in ſenſu: & utrum differentia iſta ullam mutationem in quæſtione inferat. Contingit enim theſin non totam ſimul, ſed per partes, hic & illic, inter rationes miſceri: aut alibi partem ejus principalem poni, alibi vero limitationes. In quo caſu integra theſis, cum omnibus quæ ad eam per-

pertinent, eſt colligenda, ſeu omnia illa in unam propoſitionem componenda.

2. Si plures theſes tractentur, aut plures partes unius compoſitæ, diſtinguendæ illæ ſunt. Et videndum eſt, utrum omnes iiſdem argumentis probentur, aut refellantur, an vero ſingulæ ſingulis.

3. Examinanda eſt theſis, quæcunque tandem fuerit, ſecundum quantitatem, & qualitatem, juxta præcepta capite præcedenti tradita. Et ſi termini illius exegeticè tractantur, ut non raro contingit, tractatio iſta reſolvetur juxta rationem Analyſeôs tractationis exegeticæ, cap. 8. præcedenti expoſitam.

4. Conſiderandum eſt de cauſa aut occaſione quæſtionis, item de illius neceſſitate & utilitate, ſitne aliqua, an nulla, magna, an exigua. Et quicquid de his rationi conſentaneum videbitur, notandum eſt.

5. Videndum etiam an quæſtio propoſita, finem propter quem inſtituitur, adæquet; an vero eum excedat, aut infra ſubſiſtat. Hoc eſt, an plus minuſve concluditur, quam ad finem controverſiæ obtinendum neceſſarium ſit. Si alterutrum contingat, quæſtio rectificanda eſt, & ad finem ſuum adaptanda.

6. Si variæ quæſtiones ſucceſſive agitentur, ut in prolixioribus tractatibus fieri ſolet, videndum eſt an Autor ordinem idoneum & debitum obſervaverit, eum ſcilicet in quo ſequentia præcedentibus vim & lucem adferunt. Si ita fieri comperiamus, laudanda eſt Methodus, & ſuis rationibus

tionibus probanda. Si vero ſecus fiat, error ille notandus eſt, & ratio ejus reddenda.

7. Secernenda etiam eſt quæſtio de voce, à quæſtione de re; & ſi prior ſit, de ea lector monendus eſt; & ratione oſtendendum, talem eſſe: item diſtinguenda eſt quæſtio incidens, & ſubſidiaria, à principali.

8. Proxime videndum eſt, de argumentis, quibus quæſtio concluditur, ſintne ſcilicet inartificialia, à teſtimonio divino, vel humano; an artificialia, è loco intrinſeco; an ex abſurdo; an denique ex conceſſis adverſarii. Si à locis intrinſecis ſint, notandi ſunt illi loci. Quod ut fiat, conferendum eſt medium cum partibus quæſtionis, ut inde appareat quamnam habitudinem ad alterutrum ex illis gerat, nempe, cauſæ, an effecti; ſubjecti, an adjuncti; generis, an ſpeciei, aut differentiæ, primæ, vel ſecundæ; an definitio ſit; totius etiam, an partis, cognati, an oppoſiti, &c. Item utrum rationes efficaciter concludant, an debiles & inutiles ſint. Si prius fuerit, laudandæ ſunt, & ulterius ſi opus ſit, aut ſuppetat, confirmandæ: ſi poſterius ἀνακολουθία ſeu infirmitas earum oſtendenda eſt, & monendus lector ne illis fidat. Denique ſi concludant, utrum neceſſario ſeu ἀποδεικτικῶς, an ſolum probabiliter.

9. Si vis & ſequela argumentorum non facile appareat, opus erit ea ad formam reducere, & ſi aliqua ex præmiſſis ab Autore ſubticetur, illam ſupplere: præſertim vero illud faciendum erit, ſi de alicujus ex iis efficaciâ, & ſequela, quæſtio cum quoquam incidat. Si vero facile apparet,

ſufficit

ſufficit Enthymematice ea reſolvere ; aut etiam ſingulis propoſitionibus cum nota cauſali, expreſſa, vel implicita, proponere.

10. Quandoquidem autem idem argumentum varias formas admittere poterit, puta hypotheticam, vel categoricam, item formam hujus vel illius figuræ, ita ſemper formandum eſt, prout ad concluſionem quam luculentiſſime inferendam inſerviat, modo tamen naturæ terminorum, & propoſitionum, nulla vis inferatur.

11. Videndum eſt, an aliqua ex præmiſſis novo argumento confirmetur, quod proſyllogiſmus vocatur : & eodem modo de illo ac de reliquis procedendum eſt. Item an proſyllogiſmi propoſitio aliqua novo proſyllogiſmo concludatur, & ſic deinceps. Sæpius enim varii ſunt ſyllogiſmi concatenati, quorum poſterior priorem confirmat, ut in Sorite. Et quandoque utraque præmiſſarum peculiari argumento concluditur, ut in Dilemmate.

12. Notandæ ſunt prolepſes, hoc eſt, occupationes, ſeu exceptiones quibus Autor occurrit, & ſatisfacit. Hæ igitur primo ſeorſim proponendæ ; & deinde oſtendendum eſt quomodo ad eas Autor reſpondeat. Idem præſtandum de objectionibus, ſive argumentis pro parte oppoſita adductis : Et ambæ, ſi opus ſit, in formam redigendæ ſunt. De reſponſione autem videndum eſt, utrum aliqua ex præmiſſis negetur, an conſequentia Enthymematis, ſive connexio propoſitionis hypotheticæ : & quæ

ratio

ratio negationis adferatur: an vero distinctionem adhibeat; & quibus membris constet, an utrumque expresse, an alterum tantum, altero subintellecto, tradiderit: illudque quod supprimitur exprimendum est.

13. Denique digressiones, & tropi aut figuræ rhetoricæ, si quæ fuerint insigniores, notandæ, & ad suos locos referendæ. Et hæc de Analysi & Crisi.

Logicæ

Logicæ ſpecialis Pars tertia, quæ Didactica eſt.

CAP. I.

Præcepta generalia; De Docente & Diſcente; De Menſura & Modo docendi.

1. QUI cogitationes ſuas recte formavit, ſcientiam quam ipſe acquiſivit, ad alios propagare, providentia divina eo vocante, tenetur. Unuſquiſque enim erga alium beneficus eſſe debet. Melius autem beneficium alteri præſtare nemo poteſt, quam ſi eum de rebus cognitu neceſſariis inſtruat, ab errore tueatur, aut jam errantem in viam veritatis reducat. Deinde alios inſtruendo, ſcientiam noſtram augemus, & confirmamus. Hinc etiam ad majorem diligentiam excitabimur, ut rectius unumquodque ipſi percipiamus, ne, ſi quid vitii in cogitatis noſtris inveniatur, multorum reprehenſionem ſubeamus. 2. Do-

2. Docenda ſunt non quælibet, ſed quæ docenti & diſcenti cognitu tum utilia, tum aliquo modo neceſſaria ſunt. Unde multum reprehendendi, qui in rebus nullius vel exigui momenti tradendis, & quæſtionibus futilibus ventilandis, vitam & operam perdunt, & bonis diſcentium ingeniis, ad præſtantiora à Deo conceſſis, abutuntur.

3. In docente requiritur primo, ut quæ aliis traditurus ſit, ipſe probe teneat, quantum rei ipſius natura, & mentis humanæ imbecillitas patitur. Deinde ut varia rerum multarum notitia imbutus ſit, ut pro omni occaſione, quælibet dubia à diſcipulo propoſita ſolvere queat. Tertio requiritur peritia linguarum in quibus ſcientiam eſt traditurus; ut quæ recte mente percepit, perſpicue & apte eloqui poſſit. Denique requiritur prudentia, ut quid cuique, quantum, quomodo, & quo ordine tradendum ſit, intelligat. Quibus omnibus continetur id quod *dexteritas* in docendo vocatur.

4. In diſcipulo requiritur primo ætas debita, ut nec maturius, nec ſerius ad hujus vel illius artis ſtudium admittatur, quam illius acquirendæ aliquo modo capax ſit. Et juventus quidem docilis eſt; ſenem vero tam difficulter erudies quam annoſam arborem tranſplantaveris. In eo enim oppoſitæ opiniones altas radices egerunt, ingenium ipſi tardum, memoria novis impreſſionibus retinendis minus apta. Deinde requiritur non tantum ingenium, ſaltem mediocre, ſed etiam amor doctrinæ, & ſtudii ac laboris patientia,

patientia, (sine quibus nemo ad eximium scientiæ gradum ascendere poterit) ut sic defectum ingenii ac memoriæ diligentiâ compenset. Tertio requiritur, ut ad scientiam imbibendam, quæcunque demum sit, præparatus fuerit, per notitiam linguarum; & priusquam studium philosophiæ capessat, præcepta rhetorica, & logica, aliqualiter teneat. Ut nihil dicam de agnitione principiorum communium, & facultate ratiocinandi ad maturitatem perducta, quæ in eo posita est, ut connexiones seu consequentias propositionum percipere valeat.

5. Docendum est, pro modulo discentis; non quantum ipse tenes, sed quantum auditor capere potest, non ingenii & eruditionis ostentandæ, sed alios erudiendi causa.

6. In modo docendi requiritur imprimis facilitas, quæ in brevitate cum perspicuitate præcipue sita est; ut sic, cum voluptate auditor hauriat quæ ei proponuntur; nec se defatigatum, sed ad reliqua cognoscenda accensum percipiat. Requiritur etiam veritas, hoc est, oratio rebus conformis; ut quæ omnia sponte fluere videantur, nihilque affectatum, confictum aut coactum appareat. Requiritur denique perfectio & plenitudo, ut nihil, ad rem, de qua sermo instituitur, intelligendam, audiens desideret.

7. Traditio alia viva voce fit, quæ maxime idonea est ad scientiam simul ingenerandam & affectus movendos, modo materia de genere pathetico fuerit. Ad quam accedere debent gestus convenientes, qui virtuti Sermonis aliqui-

addere poſſint, ut in Rhetorica docetur. Alia ſcriptis inſtituitur, ad abſentes, & poſteros docendos. In hac majorem accurationem adhibere debemus; cum ſcripta ad plurium manus venire, & examini ſeveriori obnoxia ſint.

8. Deinde alia eſt *Acroamatica* (ut ex titulo Phyſiologiæ Ariſtotelis vocatur; hanc enim Acroaſin Phyſicam appellavit), ingeniis acutioribus accommodata; alia *Exoterica*, ſeu popularis, ad captum vulgi attemperata. Alia *Didactica*, qua rem aliquam explicamus, definiendo, dividendo, & varie deſcribendo; alia *Apodictica*, qua veritatem rationibus confirmamus. Alia *Elenctica*, qua falſa refutamus, aut minus recte tradita corrigimus, aut denique inventis addendo, imperfecta perficimus, de quibus ſupra actum eſt.

9. Ex his autem prima eſt fundamentum ſecundæ: qui enim quæ pertinent ad explicationem rei recte tenet, facilius rationes inveniet quibus veritas propoſitionum quæ de ea fieri poſſint, confirmetur. Et utraque, tum prima, tum ſecunda, eſt fundamentum tertiæ. Omnis enim Elenxis falſi, aut vitioſi, per intuitionem veri & recti dirigitur. Præſtat etiam tractatio didactica, & apodictica, tractatione elenctica. Illæ enim omnibus neceſſariæ ſunt; hæc ſolum errantibus aut qui in periculo errandi verſantur. Præſtat etiam extruere veritatem, quam falſitatem deſtruere, & majorem ingenii virtutem requirit.

CAP.

CAP. II.

De præcipuis Sermonis didactici virtutibus.

1. IN his omnibus docendi modis, cum eo fine ſcribimus & loquamur, ut alii nos intelligant, nulla potior Sermonis noſtri virtus erit, quam *perſpicuitas*. Per hanc enim lector vel auditor attentus redditur; & celeriter, ac cum voluptate, imbibit quæ dicuntur.

2. Perſpicua autem erit oratio, ſi voces rebus ſignificandis aptas adhibeamus, nempe uſitatas, proprias, & quæ diſtincte ac determinate ſignificant; obſoletas autem, & ambiguas vitemus; item & tropicas, niſi per uſum propriæ quodammodo evaſerint, hoc eſt, idem in ſignificando præſtant, tanquam eſſent propriæ. Deinde ſi voces aptas recte etiam conſtruamus. Ordinatio enim verborum intelligentiam multum vel promovet, vel impedit.

3. Si vero voces vel phraſes ambiguas alicubi uſurpare cogamur, ſcilicet, quia tales in hac vel illa materia paſſim & dudum in uſu fuerunt, (quo morbo omnes fere diſciplinæ laborant) diſtinguendæ ſunt diverſiæ earum acceptiones, & oſtendendum quænam ex illis loco præſenti congruat. Voces autem obſcuræ definiendæ ſunt.

4. Popularis quidem doctor, vocibus & for-

mulis loquendi, vulgo uſitatis, contentus eſſe ſolet: & frequenter tropos & figuras admiſcet. Sic enim, variis imaginibus objectis, affectus moventur. Analyticus vero, ſeu Acroamaticus, ſimplicitate gaudet, & omnia eo refert, ut conceptus ſuos, & res, quam luculentiſſime perceptioni audientis exponat; nec de auribus oblectandis eſt ſollicitus. Veritatis enim oratio ſimplex eſt. Nec tamen elegantiam & nitorem ſermonis aſpernatur, niſi quatenus cum perſpicuitate conſociari nequit.

5. Secunda virtus Sermonis didactici eſt *brevitas*. Cum enim in eo finis unicus ſit intelligentia, quicquid extra eum adhibetur, vitio tenetur: & fruſtra fit per plura, quod fieri poteſt per pauciora. Superflua prolixitate, multum de vita, & labore noſtro, tum nobismetipſis, tum auditori, & lectori perdimus. Cavendum tamen ne dum brevitati ſtudemus, obſcura aut mutila ſit oratio.

6. Brevitati autem ſtudendum eſt, tum in ſingulis partibus, puta in definiendo, dividendo, diſtinguendo, enunciando, argumentis proponendis, & diluendis; & ſententiis compoſitis concinnandis; tum etiam in tota oratione ſeu tractatu. Magnis enim voluminibus opprimuntur diſcentes, & tædio afficiuntur; multi etiam à ſtudiis artium deterrentur, quia ad finem pervenire ſperare non poſſunt. Danda igitur opera in ſcribendo, & dicendo eſt, ut multa potiùs, quam multum dicamus; ſeu, ut paucis multa complectamur.

7. Tertia

7. Tertia virtus eſt adæquatio Sermonis ad res, hoc eſt, totam veritatem, quantum fieri poteſt, ſemper exprimamus : ut in definiendo totam rei eſſentiam utcunque complectamur ; in dividendo omnes partes vel ſpecies ; in diſtinguendo, omnes vocis ſignificationes, & omnes ſententiæ ſenſus ; in enunciando, ut attributum de ſubjecto in tota extenſione, quam, ſalva veritate, admittit, efferamus ; in cauſa aſſignanda, ut integram, & adæquatam exhibeamus. Secus enim rem imperfecte tractabimus, auditores imperitos in periculum errandi inducemus, tanquam illa pars veritatis quam à nobis ſubticeri perſpiciunt, falſi aliquid aut dubii contineret : peritos vero offendemus.

8. Non tamen neceſſe eſt, ut unica ſententia etiam compoſita, iſta ſemper præſtemus. Sæpius enim veritas gradatim, & per partes manifeſte diſtinctas, proponenda eſt, & in ſingulis per ſe perpendendis, animus auditoris detinendus eſt. Sed in ſingulis propoſitionibus, quæ vel explicationis, vel probationis gratia efferuntur, adæquatè loquendum eſt. Et in quovis themate tractando, nihil quod ad illius intelligentiam requiritur omittendum eſt. Sive danda eſt opera ut auditor vel lector nihil deſideret, nec ullibi implicitus ac dubius relinquatur.

9. Quarta virtus eſt *cautela*, ſcilicet, ut ab ejuſmodi vocibus & loquendi formulis abſtineamus, quibus auditor vel lector minus exercitatus, in errorem inducatur ; licet per ſe alioquin

quin vere ſignificare, & in ſanum ſenſum exponi poſſint. Præſertim ubi tutiores voces aut phraſes facile ſe offerunt, quibus res ipſa ſatis declaretur. Exemplum ſume ex antiquis doctoribus Chriſtianis, qui patrem æternum, *principium* & *originem* filii (voce generaliori) potius quam *cauſam* appellare voluerunt: ne, ſi cauſæ vocabulo uſi fuiſſent, occaſionem infirmioribus præberent putandi filium eſſe creaturam, aut minorem patre.

10. Quinta virtus eſt *conſtantia* in docendo; ſive ut omnes partes doctrinæ conſentiant. Ut nullibi contradictoria efferamus; quod multi, ſui ipſorum obliti, in diverſis partibus, non tantum ſuorum ſcriptorum & ſermonum, ſed etiam ejuſdem tractatus, aut orationis, fecerunt.

11. Sexta denique virtus eſt *ordinatio*, ſeu ἔυταξία, de qua ſupra in Geneſi, & Analyſi, ſatis jam diximus. Ubi regula eſt, ut ſequentia à præcedentibus dependeant, & lucem fœnorentur. Adeoque à facilioribus & notioribus auſpicandum eſt, & ex his ad difficiliora gradus faciendus. Sic enim libenter & cum voluptate diſcipulus hauriet & proſequetur quæ ei proponuntur.

CAP.

CAP. III.

De ſingularum vocum uſu, & Definitionibus ac Diviſionibus exprimendis.

1. Diſtinctis vocibus res diſtinctæ, ſunt appellandæ. Contra facere, eſt ambiguitatem parere, & auditorem incertum relinquere.

2. Quæ eædem ſunt, iiſdem nominibus vocandæ ſunt, aut ſi pluribus vocemus, indicare debemus nos plures illas promiſcue uſurpare. Secus enim, ſi de eadem re ſermone continuato, nomen mutemus, occaſionem auditori dabimus exiſtimandi nos de nova aliqua re loqui.

3. Cum plures voces, ſeu phraſes, eidem rei exprimendæ ſe offerunt, meliorum delectus eſt habendus; meliores autem ſunt quæ magis propriæ, diſtinctæ, & uſitatæ.

4. Plures etiam affinis, aut parum diverſæ ſignificationis adhiberi utiliter poſſunt, ad rem perfectius exprimendam; ut ſi dicas *amicitiam eſſe mutuam quandam, efficacem*, & apertam benevolentiam; *formam vel modum materiæ eſſe, quod eam afficit, & determinat, ita tamen ut extra eandem exiſtere nequeat.*

5. Si nulla vox uſitata, rei exprimendæ ſufficiat, periphraſi utendum eſt: vel brevitatis cauſa voces ſunt fingendæ; ſive derivando ab iis quæ in uſu jam ſunt, ſive eas componendo, juxta

proprietatem derivationis, & compoſitionis linguæ cujuſque. Vel ex aliis linguis aptiores mutuabimur. Ut qui Latine ſcribunt è lingua Græcâ, quæ omnium copioſiſſima eſt, plurimas adſciſcunt.

6. Licebit etiam ſignificationem vocum caſtigare, eam vel extendendo, vel reſtringendo: modo auditorem vel lectorem moneamus, nos in tali ſenſu illas ſumere.

7. Ut ſermo rebus melius congruat, ſimplices ſimplicibus, compoſitæ compoſitis, poſitivæ affirmantibus, negativæ & primitivæ privantibus, quantum lingua in qua loquimur permittit, exprimendæ ſunt. Sic *ignorantia* rectius ad defectum notitiæ, quam *cæcitas* ad defectum viſus ſignificandum adhibetur. Et *ſtabilitas* rectius uſurpatur ad indicandum id quod moveri aut mutari nequit, quam *immortalitas* id quod ſemper vivit. Linguarum tamen conditio hoc nec ſemper, nec etiam utplurimum patitur.

8. Si res multa includit, quibus omnibus ſimul ne quidem generaliter exprimendis vox ſuppetit, à potiori quod in eo eſt, deſignabitur. Sic caſus nominum apud Grammaticos, Dativi, & Ablativi dicuntur; quia ſæpius dandi, & auferendi ſignificationem gerunt.

9. Cum autem omnia quæ à docente proponi poſſunt, vel explicatione obſcuri, vel diviſione complexi, vel probatione incerti aut dubii, vel denique ſolutione ejus quod objicitur, contineantur, de ſingulis præcepta didactica, quæ ad modum conceptus & res exponendi ſpectant, tradi

tradi poſſunt: verum pauca aut nulla jam reſtant, quæ in doctrina Geneſeos & Analyſeos vel non tradita ſunt, aut ex jam traditis colligi poſſunt. Idcirco breviter indicanda ſunt.

10. In definitionibus præſertim realibus, breve, perſpicuum, & exquiſitum dicendi genus requiritur. Perſpicuitas tamen brevitati anteferenda eſt.

11. Si genus proximum proprio nomine careat, aſſumendum erit nomen generis remoti, cum differentia qua illud limitatur. Ut *Angelus* eſt *mens finita à corpore libera.*

12. Cum plures ſpecies immediate, aut exiguo intervallo, definiendæ ſunt, nimiæ diligentiæ eſſet in ſingulis definitionibus genus expreſſe reponere, ſed ſufficiat pro eo ponere *id*, vel *aliquid*, aut ſimilem vocem generalem. Ut ſi quis affectus animi definiret, ſuperfluum eſſet de ſingulis dicere quod *affectus* ſit. Iſtud enim ex definitione primi, aut ex titulo, facile intelligitur.

13. In diviſione aut diſtinctione, ſi unum è membris proprio nomine careat, denominandum erit per negationem alterius, non obſtante quod res poſitiva utrumque ſit. Sic lex dividitur in *ſcriptam*, & *non ſcriptam*; & verbum Dei in ἔγγραφον, & ἄγραφον.

14. Si plura ſint membra propriis nominibus deſtituta, numerabilibus, quæ ordinalia vocantur, appellabimus. Ut figuram ſyllogiſmi primam, ſecundam, tertiam, quartam: ſic etiam Grammatici declinationes, & conjugationes.

15. Cum tot ſint membra, ut omnia enume-

rare

rare impoſſibile, aut nimis longum, aut non neceſſarium ſit, poſt aliquot enumerata, reliqua phraſi aliqua generali complectimur: ut *Si quæ alia ſint. Et id genus reliqua*, aut ejuſmodi.

16. Si ſimile quid adferatur ad rem illuſtrandum, debet illud eſſe clarius re ad quam elucidandum adhibetur; ſi cum vulgo nobis res ſit aut tyrone, à ſenſibilibus ducendum eſt; ſi cum doctis, ab intellectualibus. Debet etiam in eo, in quo inſtituitur comparatio, quam maxime convenire; in reliquis non neceſſe eſt, ut conveniat. Licet etiam, in aliorum defectu, à rebus fictis, aut etiam impoſſibilibus, ſimilitudines ducere, ut in parabolis fit.

17. In exemplis requiritur brevitas, accommodatio ad res, & utilitas; hoc eſt, ut rem aliquam cognitu utilem, & inſignem, ſi fieri poteſt, per ſe exhibeant, & ſic duplicem fructum ſimul adferant.

CAP. IV.

De Enunciationibus & probationibus eſferendis.

1. PErinde eſt, quem locum nomen ſubjecti & attributi obtineat, niſi attributum nomine ſubſtantivo ſignificetur. Tunc enim poſt copulam locandum eſt, ad ambiguitatem cavendam. Rectius tamen ſemper copulam ſequitur, etiam cum adjectivo exprimitur. Et rectius verbum adjectivum poſt, quam ante ſubjectum ponitur. Sic enim ordo loquendi ordinem concipiendi imitatur.

2. Ubi

2. Ubi idem attributum pluribus ſubjectis tribuitur, aut eidem ſubjecto plura attributa, ſubjectum vel attributum commune ſemel exprimendum eſt. Ut, *Nox, & amor, vinumque, nihil moderabile ſuadent. Deus eſt juſtus, & miſericors.*

3. Particulæ excluſivæ, reſtrictivæ, cauſales, & ejuſmodi, ita in propoſitionibus locandæ ſunt, ut facile appareat ſupra quam partem cadant.

4. Licet omnes propoſitiones obſcuræ explicandæ ſint, & quæ dubiæ probandæ; ubi tamen ratio facilis eſt, ſufficit eam breviter indicaſſe. Nec ſemper integri ſyllogiſmi adhibendi ſunt, ſed Enthymematis, propoſitionibus hypotheticis, & cauſalibus, propoſitio probanda, una cum ſua ratione combinanda eſt. Quin & illa ſæpe reticeri poteſt, poſtquam ſemel & iterum jam poſita eſt, & ſola ratio auditori oſtendenda. Velocior enim eſt mens quam lingua; & in audiente, facile tum concluſionem, tum alteram ex præmiſſis ſuppreſſam ipſa ſupplebit.

5. In rebus tamen practicis maximi momenti, poſt ſingulas rationes, concluſionem ingeminare multum confert ad affectum movendum.

6. Et quando auditor quid in oratione concluſio, quid probatio ſit, aut de conſequentia, dubitat, vel cavillatur, integer diſcurſus formandus eſt.

7. Cum plures rationes ad propoſitionem aliquam concludendam neceſſariæ ſunt, quarum una alteram ſemper confirmat, licebit vel incipere à proxima,

proxima, & in remotiſſimam deſinere, quæ per ſe, aut auditori ſatis nota eſt: vel incipere à remotiſſima, & ex ea proximam inferre, & ex hac aliam ipſi proximam, dum tandem præcipuam concluſionem inferas. Ut ſi probes corpus Chriſti non fuiſſe ſub ſpeciebus panis & vini, in prima Euchariſtia ab ipſo adminiſtrata, potes vel priori modo ſic procedere: *Corpus Chriſti non fuit ſub illis ſpeciebus, quia non fuit tunc productum: productum tunc non erat, quia multos ante annos productum fuit: ſi enim id quod ante triginta annos productum erat, tunc productum fuiſſet, idem ſimul fuiſſet & non fuiſſet, quia omnis productio eſt à non eſſe ad eſſe:* Vel poſteriori ſic: *Nihil ſimul eſt & non: ergo quod producitur, pro priori inſtanti quam quo producitur, non eſt: Chriſti corpus multos annos productum fuit, antequam ipſe cœnam inſtituit; ergo non fuit tunc productum. Adeoque nec fuit ſub ſpeciebus panis & vini.*

Sed de his omnibus, quæ ad uſum logicæ ſpectant, & præcedentibus tractatibus complexi ſumus, forte plus ſatis. Reſtat tantum ut exempla aliquot ſubjiciamus. Geneſeos exempla ubique occurrunt, in omnibus Scriptis, & Sermonibus. Solius igitur Analyſeos exempla erunt neceſſaria. Præſertim cum hæc proponi non poſſunt, quin ratio Geneſeos materiæ reſolutæ appareat.

Primum

Primum Exemplum ſit Analyſis Definitionis Sacræ Scripturæ, à Profeſſoribus Leidenſibus traditæ, Synopſi Theologiæ, Diſp. 3. Sectione 2.

Definitio ſic ſe habet.

SAcra Scriptura eſt ſyntagma, ſeu digeſtum ſacrorum librorum, à Deo, per ſervos ſuos, divinitus afflatos, pro cujuſque temporis, & populi ratione, literis, linguaque, ab iis maxime intellectis, originaliter conſcriptorum, totique Eccleſiæ commiſſorum, ad communem, & perpetuam, de ſalutari veritate, nempe de Deo, ejuſque benevola & benefica voluntate inſtitutionem, fidelioremque verbi & voluntatis ejus conſervationem, ulteriorem propagationem, & certiorem corrupti reſtaurationem.

Analyſis.

RES quæ hic definitur, eſt *Sacra Scriptura*: quæ cum certa ſpecies Scripturæ generatim ſpectatæ ſit, innuit differentias eſſe Scripturæ, nempe, aliam eſſe ſacram, aliam, non ſacram, ſeu communem. Scriptura non-ſacra eſt, quæ aliis quam ſacris uſibus inſervit, ut conceptibus humanis, & rebus incognitis, abſentibus, & poſteris patefaciendis; & in artibus, ſcientiis, ac hiſtoriis tradendis, & commerciis inter abſentes adhibetur. Sæpe etiam ad uſus vanos, & noxios trahitur. Sacra vero Scriptura illa eſt, quæ uſui ſacro adhibetur. Uſus autem rei ſacer eſt, cum ad Dei cultum, & obſequium, immediate inſervit,

vit, adeoque ad animarum beatitudinem. Definitio constat genere & differentia. Genus est *syntagma*, aliter *digestum*, hoc est, compositum quoddam ex variis libris, seu tractatibus, compactis, & dispositis. In quo convenit cum aliis syntagmatis, & digestis. Hic autem innuitur libros sacros, non tantum unum totum constituere, sed etiam in eorum collectione, ordinem aliquem observatum esse, nempe, quod libri veteris Testamenti præcedant, novi sequantur. Et in utroque Testamento, vel ordo temporis, quo singulæ partes scriptæ sunt, vel ordo rerum quæ scribuntur, prout serius vel ocyus evenerunt, quantum illis qui eas digesserunt, liquere potuit, servatur.

Differentia per quam distinguitur ab aliis scriptis, varia est, & varia scripturæ attributa complectitur. Prima sumitur à partibus seu libris qui syntagma hoc constituunt. Verum hæc differentia est tantum generica, communis aliis voluminibus, seu codicibus.

Secundâ sumitur ab attributo essentiali propria horum librorum, nempe, quod sint sacri. Ejusmodi autem sunt, partim à materia, hoc est, rebus per eos significatis, quæ præcipue divinæ sunt, partim à fine, quatenus ad Deum specialiter ordinantur; partim ab origine, seu principio, quod est Deus ipse, ut sequentia ostendunt. Hæ duæ differentiæ simul sumptæ, unam adæquatam & propriam constituunt; qua hoc syntagma ab omnibus aliis distinguitur. Attributum tamen istud essentiale proprium declarati-

one

one indiget; & idcirco in ſequentibus ulterius deſcribitur.

Tertia igitur differentia ſumitur à cauſis efficientibus, quibus oſtenditur libros illos ſacros eſſe ratione originis. Cauſæ efficientes duorum ſunt generum, principales & inſtrumenta. Cauſa efficiens principalis eſt Deus. Ab eo enim ut primo & principe Autore, libri illi ſunt. Siquidem ipſe voluit & decrevit ſeipſum, & voluntatem ſuam, hominibus, per Scripturam, patefacere. Deinde in tempore, uſus eſt miniſterio hominum, ad libros illos conſcribendos, quod in ſequentis membri explicatione patebit. Inſtrumenta fuerunt, non Angeli, ſed homines. Hi autem deſcribuntur ex adjunctis duobus. Prius eſt relatio quam gerebant ad Deum, *ſervorum* ſcilicet, ſeu *miniſtrorum*, tum viva voce docendo, tum etiam ſcribendo. Poſterius eſt receptio ſeu paſſio *afflatus Divini*, hoc eſt virtutis Spiritus Dei, per metaphoram *afflatus* dictæ, per quem mentes eorum edoctæ fuerunt de rebus ſcribendis, & gubernatæ à Deo, ut nihil ſcriberent, niſi quod menti & voluntati ipſius conſentiret: nihil falſum, nihil inutile; utque in menſura & modo ſcribendi, captui hominum ſemper ſe accommodarent. Deinde & excitati, & vocati ab eo ſunt, ut ſcriberent, ſeu ut revelationes quas acceperant, literis conſignarent. Unde nihil ex motu proprio, in toto hoc opere, fecerunt. Scriptio autem hæc, quæ cauſarum illarum effectus fuit, per ſe deſcribitur. 1. Ab objecto vel fine *cui*; variis enim populis deſtinata eſt, nempe populo Iſraelitico,

&

& illis ex Ethnicis, qui veritatem ſalutarem agnituri erant ſub lege; & Chriſtiano, ac omnibus qui ad eos aggregandi erant, ſub Evangelio. 2. Ab adjuncto temporis: quod ſcilicet non tota uno die, anno aut ſeculo, perfecta fuit, ſed variis ſeculis, à tempore Moſis, ad Apoſtolum Johannem; ex quibus hic poſtremus ex ſcriptoribus Canonis, ille primus extitit. 3. Ab adjuncto linguarum, in quibus peracta eſt. Accidit enim ſcriptioni, quod in hac vel illa lingua fiat, & materiæ, quod hac vel illa lingua ſignificetur. Declarantur autem in ſpecie linguæ illæ, ſcilicet, quod tales fuerunt, quæ maxime ab illis, quibus ſacra hæc ſcriptura deſtinata eſt, intelligi poſſent, Hebræa, & Græca: quarum illa populi Iſraelitici propria, hæc inter alias gentes maxime communis. Ubi in voce *linguæ*, duplex eſt tropus. Primo enim *lingua*, per metonymiam inſtrumenti pro effecto, ſignificat *loquelam*, quæ lingua, tanquam uno organo, (alia enim concurrunt), peragitur. Deinde per metonymiam ſignati pro ſigno, *loquela* ponitur pro characteribus viſibilibus, calamo & atramento formatis, qui ſermonem immediate, & deinde res per eum ſignificatas, denotat. 4. Ponitur conſequens quoddam hujus ſcriptionis, quod etiam medium ad finem illius obtinendum eſt; quòd libri illi, ſic ſcripti, toti Eccleſiæ commiſſi ſunt; non autem ſolis doctoribus; ſcilicet, ut omnes fideles ex illis de voluntate Dei certiores fierent.

Quarta differentia à materia horum librorum deſumitur, quæ complectitur, 1. Deum ipſum, ſecundum

ſecundum naturam, & operationem ſuam, circa creaturas, ſpectatum. 2. Voluntatem Dei ad homines pertinentem, quæ erga eos in ſpecie eſt benevola & benefica, & continet tum ea quæ gratioſe vult illis largiri, tum ea quæ ab illis vult præſtari. In utriuſque enim benevolentia & beneficentia elucet. Unde materia ſcripturæ credendis & faciendis continetur.

Eadem materia commendatur ab attributo communi, nempe, veritate, per quam ſignificationi ſui, in Scriptura factæ, reſpondet, ſive vere ſe habet prout ſignificatur. Vel dicendum eſt, hujus materiæ declarationem in Scriptura commendari à ſua veritate, per quam rebus ſignificatis reſpondet. Deinde ab utilitate maxima, utpote quæ æternam noſtram ſalutem ſpectat; unde *ſalutaris* dicitur.

Quinta differentia ſumitur à finibus, qui varii ſunt. Primus eſt eccleſiæ & hominum ad eam aggregandorum inſtitutio, in via ſalutis, & juſtitiæ. Hæc autem declaratur & ſpecificatur, extenſione ipſius exhibita dupl. 1. Ratione ſubjecti, quod omnes homines ad quos Scriptura pervenit, præſertim membra Eccleſiæ comprehendit, non autem ſolos Doctores, ut dicunt Pontificii; omnes enim tenentur ex ea diſcere. 2. Ratione temporis, quod inſtitutio ex Scriptura ſemper haurienda ſit, omnibus ſeculis, ad finem mundi.

Finis ſecundus eſt, ut veritas ſalutaris fidelius ab Eccleſia, adeoque certius, & tutius conſervetur. Quod enim memoriæ humanæ committitur, facilius amittitur.

Tertius eſt ut eadem veritas latius propagetur. Multi enim poſſunt veritatem ſcriptam legere, quibus inſtitutio viva voce non obtingit.

Quartus eſt veritatis per introgreſſum erroris amiſſæ, aut obſcuratæ, reſtauratio, aut recuperatio: dum ſcilicet doctrinæ hominum, ad ſcripturam ſacram, tanquam ad normam veritatis, exiguntur.

Exemplum ſecundum ſit Juſtificationis Evangelicæ deſcriptio, ab Apoſtolo Paulo tradita, Epiſt. ad Rom. cap. 3. à verſ. 21. ad 27.

Textus.

21. *NUnc vero abſque lege juſtitia Dei patefacta eſt, comprobata teſtimonio legis, ac prophetarum;*

22. *Juſtitia,* inquam, *Dei per fidem Jeſu Chriſti, in omnes, & ſuper omnes qui credunt: non enim eſt diſtinctio.*

23. *Omnes enim peccarunt, & deficiunt à gloria Dei.*

24. *Juſtificantur autem gratis, id eſt, ejus gratia, per redemptionem, factam in Chriſto Jeſu.*

25. *Quem propoſuit Deus, ut eſſet placamentum per fidem in ſanguine ipſius; ad declarandam juſtitiam ſuam per remiſſionem præcedentium peccatorum, ex Dei tolerantia.*

26. *Ad declarandam,* inquam, *juſtitiam ſuam præſenti tempore, ut ſit juſtus, & juſtificans eum qui eſt ex fide Jeſu.*

Analyſis.

Analyſis.

21. THema hic ſimplex eſt, nempe, *juſtificatio* hominis peccatoris coram Deo. Ubi in initio, particula adverſativa *nunc vero*, indicat eam eſſe contrariam juſtificationi quæ eſſet ex lege, ſive quam Judæi ex lege quærebant, & adepturos ſe ſperabant. Vel, quod non obſtante impoſſibilitate juſtificationis per legem obtinendæ, obtineri tamen eam alio modo, aliiſque mediis.

Deſcribit autem & definit Apoſtolus Primo, juſtitiam illam per quam peccator juſtificatur, hoc eſt, juſtus coram Deo cenſetur, & tractatur ab eo tanquam juſtitia perſonali juſtus eſſet, v. 21, 22, 23. Deinde juſtificationem ipſam, quæ per & propter hanc juſtitiam obtinetur, reliquis verſibus.

Quod ad primum attinet, *juſtitiam* ſcilicet, per & propter quam peccator juſtificatur, deſcribitur primo negative, quod *non* ſit *ex lege*, ſed per alias cauſas & media. *Non* autem eſſe *ex lege*, idem eſt, ac non eſſe ex obedientia hominis peccatoris legi præſtitâ; ſive ἐξ ἔργων νόμου, non ex operibus legis, id eſt, quæ lex præſcribit, quæ phraſis æquipollens eſt ſupra v. 20.

Deinde affirmative, ſeu poſitive, variis modis. Et primo ex Autore, Deo. Eſt enim *juſtitia Dei*, oppoſite ad juſtitiam ex lege, quæ eſt juſtitia hominis propria, & perſonalis, ab ipſo præſtita. Juſtitia autem Dei vocatur, quia ab eo ſolo paratur,

ratur, ſine nobis; & gratis offertur, & confertur. Eſt etiam alio ſenſu juſtitia Dei, quia à Chriſto θεανθρώπῳ, qui Deus eſt, noſtri cauſa præſtita eſt, ut alibi teſtantur ſacræ literæ. Sed prior ſenſus amplectendus, quia ſimplicior eſt, & magis obvius, in ſe autem veriſſimus.

Secundo, ab adjuncto patefactionis, ſcilicet, per Evangelium. Ubi innuitur aliud illius adjunctum, ſeu una differentia generica, nempe, quod talis ſit, ut nemo mortalium quidquam unquam de eo percepiſſet, niſi à Deo fuiſſet revelata.

Patefactio autem illa ſub adminiſtratione legali conceſſa, deſcribitur à cauſis inſtrumentalibus, quibus uſus eſt Deus ad juſtitiam illam patefaciendam, nempe, tum ipſa lege, hoc eſt, ſcriptis Moſis, tum etiam unanimi conſenſu reliquorum prophetarum, qui omnes uno ore conſentiunt, juſtitiam illam quæ peccatorem juſtificat, non eſſe peccato i propriam, ſeu non ab eo operari, ſed per Meſſiam futurum obtineri. Unde lex tantum indicat juſtitiam quæ juſtificat, dum ſcilicet, tota unumquemque accuſat peccati & damnat; adeoque juſtitiam per eam acquiri non poſſe, aliaque opus eſſe juſtitia pronunciat: illa vero pars legis quæ ritus ſacros præſcripſit, redemptorem venturum; & juſtitiam juſtificantem æque ac ſanctificantem, per illum ſolum eſſe obtinendam indigitabat.

22. Repetit Apoſtolus quod dixerat de Autore hujus juſtitiæ, ut lector illud attentius perpenderet,

penderet, tanquam in hac materia maxime notandum ; Deinde tertio eam deſcribit à ſubjecto cui convenit, ſeu confertur, nempe credentem in Chriſtum Jeſum : Hoc eſt, eum amplectentem, & in eum recumbentem ad juſtitiam hanc abſolventem (ut ita dicam) per eum obtinendum, ſenſu injuſtitiæ & reatus ſui eo adactum. Ubi & conditio à Deo requiſita ad juſtitiam illam adipiſcendam ponitur, nempe *fides* in Chriſtum. Nihil enim aliud, aut majus, à peccatore poſtulat.

Additur autem hic extenſio, ſecundum quam, juſtitia hæc, ſubjecto jam indicato, nempe credenti, convenit, & largitur. Omnes ſcilicet, qualeſcunque, Judæos pariter ac Ethnicos, qui ex ſenſu miſeriæ ſuæ, ad hanc juſtitiam confugiunt. Ubi Apoſtolus operoſe rem exprimit, duplicata phraſi affinis ſignificationis, dum dicit juſtitiam hanc eſſe εἰς πάντας *in*, id eſt, *ad*, vel *erga omnes*, & ἐπὶ πάντας *ſuper omnes* qui credunt. Prior indicare videtur juſtitiam hanc offerri (omnibus, quibus annunciatur Evangelium) ex conditione fidei : poſterior, actu poſſideri ab omnibus qui credunt. Vel prior tantum ſignificat conferri juſtitiam illam in credentes ; poſterior vero aliquid amplius denotat, nempe, uſum illius quam maximum, quod eos ut veſtis tegat, & exornet, vel ut galea, aut clypeus defendat.

Univerſalem illam collationem hujus juſtitiæ in omnes credentes, primo illuſtrat Apoſtolus, & amplificat, dum dicit *nullam eſſe* in hoc negotio

gotio *differentiam*, seu discrimen unius aut alterius, Ethnici, aut Judæi, modo in Christum credant: seu omnium credentium conditionem esse parem.

23. Deinde probat hoc argumento. Si omnes homines peccarunt & deficiunt in Deo glorificando per obedientiam perfectam, tum justitia quæ justificat datur omni credenti, sine discrimine. At verum prius: Ergo. Major subticetur tanquam facile nota. Et nititur huic principio. Omnes qui peccarunt morte digni sunt, vita vero & justitia isthac sunt indigni. Ergo si indignitas omnis credentis, puta Judæi, non obstat quo minus hujus justitiæ particeps fiat, nec obstabit indignitas alterius, puta Ethnici. Minor expresse ponitur. Estque propositio composita contingens, & universalis: non tamen copulativa, licet partes ejus conjunctione & cohæreant. Conjunctio enim illa hic, non copulat res disparatas; quia peccare & deficere in Deo glorificando, non sunt disparata, sed consentanea. Prius enim posterius in se continet. *Et* igitur hic potius illativa est, quam copulativa. Et sensus integer est, *Omnes peccarunt, adeoque defecerunt à gloria Dei*: vel, omnes peccando defecerunt. Deficere autem à gloria Dei, est eam non assequi ut finem, prout debuerunt. Quo etiam innuitur, neminem eam intendisse per naturam lapsam.

24. Sequitur altera pars materiæ, nempe, justificatio ipsa; cujus (si active sumatur, pro actu

actu judiciali Dei Rectoris), primo innuitur objectum; si passive, seu ut forma quædam moralis personæ justificatæ, subjectum, nempe, homines peccatores, hi enim sunt οἱ δικαιούμενοι quos innuit Apostolus initio versus 24. ut patet ex collatione versus præced. cum quo construitur.

Secundo, Causæ efficientes exponuntur: & primo negative, quod nulla earum in nobis sit. Justificantur enim peccatores δωρεὰν, *gratis*, id est, sine causa ulla ex parte sui. Deinde affirmative. Ubi causa principalis est *Deus*, ut manifeste innuitur. Causa proegumena in Deo ipso, est ejus *gratia*, per quam propensus est ad ignoscendum & parcendum peccatori. Causa procatarctica, ad hoc quasi inducens, est procuratio redemptionis, per Christum Mediatorem, quæ, si integre accipiatur, est illa ipsa justitia, de qua præcedentibus versibus, quæ datur per imputationem credentibus.

25. Insistit Apostolus in procuratione hac describenda. Et primo, si verbum προέθετο propositum Dei significat, sic habemus *causam* hujus procurationis supremam, seu præparantem, nempe propositum Dei, de Redemptore submministrando, & mittendo, ut redimeret. Si vero ut à Translatoribus Anglicis accipitur, patefactionem, seu exhibitionem hujus propositi denotet, sic vox illa *adjunctum* exprimit. Sed priorem sensum potius amplectimur, quia in illo accipitur, Ephes. 1. 9. Nusquam vero alibi, quod sciam, in posteriori, quando actum divinum significat. Secundo

ponitur medium procurationis, passio seu mors Christi, quæ indicatur, dum sanguinis illius mentio fit. Hujus autem medii virtus & dignitas exprimitur, cum Christus dicitur *placamentum*, hoc est, sacrificium expiatorium, quo Deus iratus ob peccatum, placatur. Tertio ponitur medium, quo peccatores fructum hujus procurationis consequuntur, fides nimirum; cujus & objectum immediatum seu formale præcipuum memoratur, scilicet, ille ipse sanguis, hoc est, Christus ut patiens, & moriens. Sub hac enim ratione præcipue, fides in eum recumbit. Quarto additur finis, licet inadæquatus, nempe, ut Deus ostenderet suam justitiam, utque illa sarta tecta maneret. Sic enim ostendit se esse, non tantum misericordem, sed etiam justum, qui noluit peccata condonare, nisi placamenti illius interventu, sive pœnam à Christo, credentium sponsore, exigendo. Unde justitiæ hujus actus quidam in specie ponitur, nempe *remissio peccatorum*, & speciatim eorum quæ ante Christi mortem admissa sunt. Cujus & additur causa proegumena in Deo, nempe *tolerantia*, per quam pœnam peccato debitam differt. Hic autem occupat objectionem. Deus condonavit peccata ante mortem Christi: Ergo hæc non fuit causa procatarctica remissionis, nec per eam Deus placabatur. Tacite respondet Apostolus Deum non ita remisisse peccata illa, tanquam qui nullam injuriæ per ea factæ compensationem expectaret: sed tantum pœnam peccatoribus non inflixisse, & id quidem ex intuitu satisfactionis futuræ per Mediatorem passurum.

26. Re-

26. Repetit Apoſtolus cum additamentis quibuſdam quæ de fine hujus procurationis dixerat. Et 1. Dicit finem eſſe, ut Deus hoc tempore præſenti, nempe poſtquam Chriſtus paſſus eſſet, juſtitiam ſuam in condonando demonſtraret. 2. Ut hæc duo ſimul acquireret, nempe, exercitium ſuæ juſtitiæ, & abſolutionem credentis : adeoque gloriam juſtitiæ & gratiæ conjunctim oſtenderet.

Exemplum tertium, ſit Analyſis Capitis 15. Epiſt. ad Romanos, ad v. 36..

THema quod hic tractatur eſt complexum generis didaſcalici, nempe hæc propoſitio, *mortui reſurgent*. Hanc Apoſtolus multis rationibus confirmat, & præcipuas contra eam objectiones adverſariorum diluit. Et hinc occaſionem ſumit reſurrectionem deſcribendi. Adeoque multa miſcet exegetica, quæ, quia propoſitum nunc eſt exemplum dare Analyſis orationis ſyllogiſticæ, vel omittemus, vel breviter expediemus. Quoniam vero multa ex argumentis Apoſtoli, prima fronte, non videntur concludere, notandum eſt veriſimile omnino eſſe eos qui reſurrectionem negabant, immortalitatem etiam animæ negaſſe, adeoque & ſpem omnem beatitudinis poſt hanc vitam ſuſtuliſſe. Adeoque Apoſtolum non tantum hic probare reſurrectionem corporis, ſed totius hominis, ſcilicet tum animæ tum corporis beatitudinem perfectam, poſt hanc vitam.

Ab initio capitis ad v. 12. continetur præfatio, qua in memoriam Corinthiis revocat Evangelium quod illis prædicaverat, hoc eſt, qualem doctrinam tradiderat. Hanc autem deſcribit, primo ab adjunctis, quod Corinthii eam amplexi ſint, & ei etiamnum adhærebant, v. 1.

Deinde à differentia ſpecifica, quod ſalutaris ſit iis qui eam per fidem recipiunt, & retinent, v. 2.

Tertio à præcipuis quibuſdam illius capitibus, ſeu partibus (obiter etiam mentione facta divinæ originis), quarum prima eſt de morte Chriſti pro peccatis hominum, v. 3.

Secunda, de illius ſepultura; Tertia, de reſurrectione, tertio die poſt mortem, v. 4. Hos autem articulos fidei commendat à certitudine, utpote in Scripturis V. T. traditæ, v. 4.

Quarta eſt de apparitione poſtquam ſurrexerat, qua etiam veritas reſurrectionis ipſius comprobata fuit. Diſtinguit autem illam apparitionem, oſtendens multiplicem fuiſſe, variis perſonis, & variis vicibus factam; ut primo Cephæ ſeorſim, deinde omnibus Apoſtolis ſimul: quos duodecim vocat, licet Judas tum deerat, quia duodenarius eorum numerus fuit ab initio ſuæ vocationis, v. 5. Tertia vice, amplius 50 fratribus, quorum plerique adhuc vivebant, & teſtari poterant; Quidam vero, in fide ſalutis, per ſalvatorem viventem obtinendæ, obdormierant, v. 6. Quarta vice Jacobo: quinta rurſus omnibus Apoſtolis ſimul, v. 7. Ultima vero ſibi, de quo humiliter loquitur, propterea quod hoſtis Religionis Chriſtianæ olim fuerat, v. 8, 9. Commendat tamen

gratiam

gratiam Dei per quam factus fuit Apoſtolus ſedulus, nec ſine fructu, v. 10. Et perinde eſſe dicit, qualeſnam aliquando fuerint, qui Evangelium annunciabant; ac repetit quod dixerat de hac doctrina ab Apoſtolis prædicata, à Corinthiis vero recepta, v. 11.

Et his omnibus continetur primum argumentum quo theſis confirmatur: *Quam doctrinam vos certis & firmis rationibus moti, recepiſtis, eam debetis conſtanter retinere.* At *firmis rationibus inducti hanc doctrinam reſurrectionis, una cum aliis capitibus religionis Chriſtianæ jam recepiſtis.* Ergo *eam retinere debetis.* Et hæc de Exordio.

Sequitur probatio Theſeos, & Elenxis Antitheſeos adverſariorum. Hanc autem primo redarguit, tanquam audacem, & abſurdam, per quæſtionem, *quomodo dicunt quidam inter vos non eſſe reſurrectionem mortuorum?* Deinde refutationem aggreditur, & ſimul veritatem oppoſitam confirmat. Et primo pro Theſi ſic arguit, v. 12. *Si Chriſtus reſurrexit, eſt reſurrectio mortuorum:* at *Chriſtus reſurrexit*, ut poteſt ex iis quæ jam dicta ſunt, in Præfatione, & ſic ab omnibus illius ſervis prædicatur. *Ergo.* Illatio eſt à ſingulari ad particulare. Deinde directe contra Antitheſin, v. 13. *Si nulla eſt reſurrectio mortuorum, neque Chriſtus reſurrexit.* At *falſum poſterius: Ergo & prius.* Argumentum ex abſurdo.

V. 14. Probat minorem: *Si Chriſtus non reſurrexit, vana eſt noſtra prædicatio, & vana eſt veſtra fides.* At *neutrum eſt admittendum.* Ergo. Arg. à duplici abſurdo. Con-

Confirmat porro Minorem, v. 15. *Si Chriſtus non ſurrexit, omnes Evangelii prædones ſunt falſi teſtes de Deo*, tanquam filium ſuum ſuſcitaſſet è mortuis, quem non ſuſcitavit. *At falſum poſterius.* Nam ego & reliqui Chriſti Apoſtoli, veritatem teſtimonii noſtri, de reſurrectione Domini, multis miraculis confirmavimus. Hoc Corinthiis ſubintelligendum relinquere videtur.

Denique repetit primam confirmationem Minoris primi ſyllogiſmi, v. 16, 17. Et addit aliud abſurdum quod ex errore adverſariorum ſequitur, nempe, Corinthios & omnes Chriſtianos adhuc eſſe in ſtatu peccati, nec juſtificati, nec ſanctificati. Et hoc eſt argumentum primum à reſurrectione Chriſti ductum.

Secundum ducitur ab alio abſurdo, v. 18. *Si nulla eſt reſurrectio mortuorum, & nulla beatitudo poſt hanc, tum omnes qui hactenus mortui ſunt in Chriſto*, hoc eſt, qui in eum crediderunt cum ſpe ſalutis per eum obtinendæ, & fidem ac ſpem illam ad extremum halitum retinuerunt, omnes inquam illi *perierunt.* At *abſurdum & monſtroſum hoc*; Ergo & illud falſum.

Tertium ſumitur ab alio abſurdo, v. 19. *Si nulla eſt beatitudo poſt hanc vitam*, vel ſi anima cum corpore perit, adeoque nihil remaneat poſt diſſolutionem corporis, quod ipſi redintegrato denuo uniatur, & hominem conſtituat vivum, *tota ſpes noſtra in Chriſto concluditur hujus vitæ terminis:* At *non ſic* ſe res habet. Probatur minor, quia, ſi ſic res eſſet, *miſerrimi eſſemus omnium*

nium hominum: partim propter afflictiones & moleſtias, quibus præ reliquis obnoxii ſumus; partim, quia tum ſpem maximæ beatitudinis fruſtra foveremus; ſeu à maxima ſpe excideremus, quam alii non conceperunt. Hæc ſubticenda relinquuntur, tanquam quæ facile cogitationibus Corinthiorum ſe offerrent.

Redit ad primum argumentum, ſupra v. 12. adductum, & ipſum confirmat & illuſtrat, oſtendendo primo quomodo reſurrectio mortuorum, cum reſurrectione Chriſti connexa ſit; ſcilicet, primo ut antecedens, tum tempore tum dignitate, ad reſurrectionem generalem. Hac enim de cauſa, primitiæ mortuorum, ſcilicet, reſurgentium dicitur, metaphora ſumpta à fructibus qui prius matureſcunt, & ſpem faciunt meſſis integræ, v. 20.

Deinde ut cauſa, Chriſtus enim moriendo, & reſurgendo, obtinuit ut dominus & judex eſſet vivorum & mortuorum: & cum jam vivat, poteſt ſuos ad vitam, reliquos ad judicium excitare. Hoc autem illuſtrat comparatione facta Chriſti ad Adamum: quæ primo generaliter exprimitur, v. 21. deinde expreſſius, v. 22. Comparatio oſtendit analogiam inter utrumque in effectis diſſimilibus; Scilicet, quod ſicut per hominem, puta primum Adamum venit mors, ita per hominem, nempe Chriſtum διάδοχον veniet reſurrectio mortuorum. In quo eluceſcit ſapientia & bonitas Dei, per hominem reſtituentis eos quos homo perdiderat.

Tertio repetit, quod innuit, de ordine inter reſur-

reſurrectionem Chriſti & reliquorum, nominatim vero fidelium: quod Chriſtus primus reſurgit, ut cauſa & Autor reſurrectionis ſuorum; & deinde illi reſurgent. Et ſic objectionem occupare videtur. *Si omnes per Chriſtum reſurgant, cur non jam reſurrexerunt?* Reſpondet, unumquemque ſuo ordine reſurgere debere; & expedire ut primum locum teneat Chriſtus reſurrectionis Autor, v. 23.

Secundo temporis memorat, quo mortui exſuſcitabuntur, nempe, cum Chriſtus redibit ad judicium extremum, ibid.

Adventum illum deſcribit primo à conſequentibus ſeu effectis. Quod 1. Tunc erit finis mundi, & adminiſtrationis regni mediatorii in terris. 2. Tunc traditurus ſit regnum illud Deo patri, tanquam perfectum, & abſolutum. 3. Tunc abolebit omnem potentiam adverſariam, finemque impoſiturus ſit omni poteſtati derivatæ, tum civili, tum eccleſiaſticæ, v. 24.

Redit ad illud quod dixerat v. 23. Oportuiſſe Chriſtum multo citius reſurgere quam fideles, nempe, ut regnum adminiſtret in his terris, uſque dum omnes ſuos & ſuorum hoſtes aboleverit & proſtraverit, v. 25. Quorum ultimus erit mors corporis, v. 26.

Hinc *quartum* argumentum. *Chriſtus abolituru eſt omnes hoſtes populi ſui.* At *mors eſt unus ex hoſtibus illis.* Ergo, *etiam mors abolebitur:* & fideles ab ea liberabuntur; quod fieri aliter nequit quam per reſurrectionem.

Probat Chriſtum regnaturum, donec omnes im-

inimicos ſubegerit; quia Deus pater omnia ei ſubjecit. Quod tamen limitate intelligendum docet, ſcilicet, excepto Deo ipſo. Is enim hanc poteſtatem Mediatori dedit, v. 27.

Ponit quartum conſequens adventus Chriſti, nempe, quod tum judicio exacto, & regno Mediatorio abſoluto ſeu conſummato, ipſe filius, ut homo, & Mediator, ſubjicietur Deo patri: hoc eſt, non amplius reget ut nunc, ſed regetur. Cujus rei ratio, à fine redditur, ut ſcilicet, ſic Deus ſit omnia in omnibus: hoc eſt, ut immediate regnet, & fideles omnes eo immediate fruantur. Cum nunc in his terris eccleſiam regat per Mediatorem, & ſancti cum eo communionem habent per media externa, quæ Mediator ille ſuppeditat, v. 28.

Argumentum *quintum* ab alio abſurdo. *Si mortui non excitabuntur, fruſtra baptizarentur, qui pro mortuis baptizantur.* At *poſterius eſt abſurdum.* Ergo. Obſcurus hic locus eſt. *Baptizari enim pro mortuis* varie ſignificari aptum eſt. Nos in eorum ſententiam cedimus, qui hac phraſi intelligunt, baptizari in fide hujus veritatis, quod mortui in Chriſto non in nihilum, aut pulverem redacti ſint, ſed ſuperſtites maneant ſecundum animas, adeoque denuo vivificabuntur, v. 29.

Sextum argumentum ſic procedit, *Si mortui non reſurgent, fruſtra nos Chriſtiani tot periculis & miſeriis nos quotidie exponimus.* Pathetice illud effertur per quæſtionem, v. 30.

Supponit Chriſtianos, multis periculis & ærumnis

rumnis obnoxios esse, propter fidem Christianam, & spem futuræ salutis per Christum. Hoc autem illustrat suo exemplo, gravissima protestatione affirmans se quotidie mori; hoc est in mortis periculo versari, & vitam vivere, quoad ea quæ externa sunt, quæ mors potius sit quam vita. Metaphora hyperbolica, v. 31.

Deinde frustra se ad pugnandum cum bestiis expositum fuisse Ephesi, quali pœnæ damnati sæpe sunt ab Ethnicis pii, ab fidem Christianam. Alii intelligunt conflictum quem ibi habuit cum idololatris, quos, quia contra omnem rationem agebant, bestiis comparat. Hinc

Ultimum argumentum, *Si nulla est vita post mortem, stultum esset, majus quid curare, quam voluptatem corpoream & animalem, in vita præsenti*, juxta dogma porcinum Epicureorum: Nulla cura pietatis, aut immortalitatis, post hanc vitam, esset habenda. Adeoque omni religioni renunciandum, v. 32. Atqui hactenus argumenta quibus certitudo resurrectionis ostenditur.

Sequitur paræneſis, cum reprehensione. Ubi quatuor monitiones proponit. Prima est, ut ab errore caveant, & in specie ab illo, quo resurrectio negatur, de quo in præsenti agit; Secunda ut caveant à commercio, seu societate malorum, & errantium. Probat ab eo cavendum esse ab effectu qui ex eo sequi solet, quod scilicet, per ipsum corrumpantur homines, & errores imbibant; sive è via veritatis seducantur. Hoc autem confirmat dicto Menandri poetæ, hexametro Iambico, com-

comprehenſo; φθείρουσιν ἤθη χρηστ' ὁμιλίαι κακαί, v. 33.

Tertia monitio eſt, ut evigilent è ſecuritate carnali, ad ſtudium juſtitiæ. Quarta, ut caveant à vitiis, vel ut rationem vitæ corrigant. In his vero omnibus tacite incuſat eos de zeli defectu adverſus errores, & pro veritate; de ſecuritate, ſeu defectu metus circa pericula ſpiritualia, de torpore in ſtudio juſtitiæ, & pietatis. Et hæc vitia ſupponit in quibuſdam regnare. Et ſic ab adjuncto deſcribit. Cauſam autem cur in quibuſdam regnant, aſſignat ignorantiam affectatam Dei. Addit autem finem quem ſibi proponit in iſta reprehenſione, ut ſcilicet, pudeat eos qui Chriſtiani eſſent, vitia iſta inter eos locum habere. Unde & argumento implicite utitur, ad monitiones illas urgendas; ſcilicet vitia illa ejuſmodi eſſe quorum eos pudere debeat, ſive quæ in dedecus illorum, & profeſſionis Chriſtianæ injuriam, cedant. Tacite igitur ad pœnitentiam hortatur. Eſt enim pudor, dolor quidam de malo turpi, vel probroſo, v. 34.

Occurrit objectioni. Concipi nequit (inquiebant adverſarii veritatis, & qui per eos ſeducebantur), quomodo mortui ſuſcitabuntur, & quali corpore prodibunt è ſepulchris. Ergo, ſtultum eſt reſurrectionem ſperare, v. 35.

In objectione iſta ſolvenda, occaſionem ſumit late differendi de reſurrectione, oratione partim exegetica, partim ſyllogiſtica. Quam quia nimis longum eſſet reſolvere, hic finem hujus exempli faciemus.

Exemplum quartum ſit Explicatio ſententiæ quæ habetur Epiſt. ad Gal. cap. 5. v. 24.

Οἱ δὲ τοῦ Χριστοῦ, τὴν σάρκα ἐσταύρωσαν σὺν τοῖς παθήμασι καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις.

Qui autem (alii enim) ſunt Chriſti, carnem crucifixerunt, cum affectibus & concupiſcentiis.

CONſideratio hujus propoſitionis duplex eſſe poteſt, alia abſoluta, & per ſe; alia relata, habita ſcilicet ratione contextus, & ordinis quem ſervat ad materiam de qua hîc tractat Apoſtolus.

In priori conſideratione, explicandæ ſunt partes, & earum connexio. Partes ſunt ſubjectum, & attributum.

Subjectum continetur his verbis, οἱ δὲ τοῦ Χριστοῦ, *illi qui ſunt Chriſti.* Subintellige homines. Nec enim alii ſunt Chriſti, in ſenſu præſenti. Homines vero qui ſunt Chriſti, in genere ſunt, qui Chriſtum ſalvatorem, & Dominum ſuum profitentur. Verum cum plurimi iſtiuſmodi ſint, quibus non convenit crucifigere carnem ſuam, idcirco diſtinguendi ſunt in eos, qui tantum profitentur Chriſtum eſſe ſalvatorem, & Dominum ſuum, & ſeſe eſſe illius ſubditos & in eum credere; reipſa tamen, & ſincero animi affectu, tales non ſunt; & in eos qui vere tales ſunt, adeoque peculiari ratione ſunt Chriſti, & Chriſtiani, vere in eum credentes, vere eum diligentes, verum obſequium ipſi offerentes.

Attributum reliqua parte propoſitionis exprimitur, & continet expreſſe quidem effectum ſubjecti,

ſecti, implicite vero adjunctum ipſius, quatenus homines denotat; ſed differentiam quandam propriam, & ſpecificam, quatenus denotat verum & genuinum Chriſtianum, nempe, diſpoſitionem ad effectum illum præſtandum.

Effectus iſte eſt actus quidam; in quo conſiderandum eſt primo objectum circa quod occupatur, deinde actus ipſe. Objectum exprimitur primo generaliter, ſeu ut totum quoddam; deinde per partes. Priori modo nomine carnis ſignificatur. Caro autem hic, pravam diſpoſitionem naturæ humanæ denotat, præcipue propenſionem ad malum. Propenſio illa *caro* vocatur per Metalepſin. Primo enim caro ponitur pro toto corpore, per ſynecdochen partis principalis ſeu majoris, deinde totum corpus pro cura illius inordinata, per Metonymiam adjuncti, vel potius objecti: denique inordinata cura corporis, & eorum quæ ad ipſum pertinent, pro tota inordinatione hominis, per ſynecdochen ſpeciei. Unde diſtinguuntur alibi cupiditates carnis & mentis, Ephes. 2. 3. Et inquinamenta carnis & ſpiritus, 2 Cor. 7. 1. Caro igitur complectitur omnes inclinationes malas, & actus ſeu motus tum internos, tum externos, qui ex illis oriuntur. Per partes autem prava illa diſpoſitio deſcribitur quæ duæ hic ſunt. 1. παθήματα *paſſiones*, & complectuntur omnes illas propenſiones malas, & motus inde orientes, quibus & animus & corpus miſere patitur, & pœnam in ipſis vitiis ſuis ferit; quales ſunt ira indebita, vindicta, malitia, invidia, &c. 2. ἐπιθυμίαι, *concupiſcentiæ*, ſeu cupidi-

tates inordinatæ, nempe, omnes profecutiones illicitæ rerum quæ hominibus bonæ, & jucundæ videntur; ut intemperantia, avaritia, ambitio, & quæ ſub his continentur. Quanquam & hæ paſſiones appellari poſſent, quatenus cum dolore & cruciatu conjunctæ ſunt. Ambæ vero numero plurali exprimuntur, ad multitudinem earum indicandam.

Actus qui circa iſta omnia occupatur, *crucifixio* dicitur, quæ metaphorice ponitur, pro abolitione carnis. Quod tamen non ſimpliciter, ſed cum limitatione intelligendum eſt. Non enim ſimpliciter & perfecte inclinationes malas devicerunt Chriſtiani etiam optimi, in hac vita; ita tamen vicerunt, & debilitarunt, ne in eos dominium amplius exerceant. Dominium autem ſublatum eſt, eo quod in veris Chriſtianis eſt propenſio validior ad oppoſitum bonum, quæ ita ſe ordinarie, & ut plurimum exerit, ut motus malos vel præveniant, vel iiſdem obluctentur, ſub ratione mali turpis, ſeu prohibiti ac illiciti; vel, ſi quando impetu eorum obripiantur, prælio redintegrato, in eos inſurgunt, ac firmiter ſtatuunt iiſdem reſiſtere, dum plenam victoriam conſequantur.

Indigitatur autem iſta voce crucifigendi, *cauſa* cur caro in credentibus intereat, ſeu emoriatur, nempe, mors ſeu crucifixio Chriſti, per quam à Deo impetravit, ut virtus Spiritus ſancti in omnes Electos exiret, ad vim peccati retundendam, & in omnes regenitos, ad eandem magis imminuendam, dum tandem penitus extinguatur. Per

mortem

mortem etiam Christi, credentes, tanquam argumento motivo excitantur, & per fidem virtutem quasi hauriunt ex ea, ad carnem mortificandam.

Denique hac voce innuitur modus hujus actus à credentibus præstiti. Quod sicut Domini, tunc temporis, in servos suos delinquentes, ira, vindicta, & odio perciti, eos crucis supplicio damnarunt; ita veri fideles odio peccati, & sensu offensæ in Deum, & damni in seipsos, ex eo consequentis, sancta quadam severitate, & vindicta, contra ipsum agantur. Et sicut Judæos incredulos nihil placare potuit, nisi ut Christus crucifigendus traderetur; ita illi nunquam quiescunt, dum à servitute peccati liberantur. Adeoque crudelitate quadam in ipsum sæviunt.

Quod ad qualitatem hujus propositionis, & connexionem partium attinet, primo, est *universalis*, tum ratione subjecti; omnes enim qui sunt Christi, carnem crucifigunt; infantes quidem & pueri regeniti inclinatione, adulti vero actu; tum ratione partis attributi, nempe objecti actus mortificandi carnem: Qui enim veri sunt Christiani crucifigunt totam carnem, & omnes illius motus, non autem partes tantum aliquas.

Deinde, est *necessaria*; crucifigere enim carnem necessario convenit omnibus qui peculiari, & salutari relatione ad Christum pertinent. Siquidem relatio illa fundatur in regeneratione, per quam imago Dei, per & propter Christum, in peccatore restituitur. Imago autem illa, quæ in propensione animi ad bonum spirituale sita

est, in adultis se exerit, per fidem, & resipiscentiam, quibus fidelis peccato, serio se opponit. Per fidem enim amplectitur Christum, & in eum recumbit ut à servitute & labe peccati liberetur; per pœnitentiam peccatum exodit, de eo dolet, & illud mortificare statuit.

Tertio, est propositio *de præterito*; adeoque indicat Electos prius peccato renunciasse, quam ad Christum pertineant, jure fœderali; licet jure electionis ejus sint, etiam cum carni serviunt. Peccato enim valedicendo, illius esse incipiunt, & veri Christiani fiunt.

Quarto, est propositio *limitata*, licet limitatio non exprimatur. Quod enim dicitur eos qui sunt Christi crucifixisse carnem, &c. intelligendum est, quod non viribus naturæ id præstiterint, sed gratia divina tum excitante, tum adjuvante.

Quod ad considerationem respectivam hujus sententiæ attinet, palam est, eam referri ad præceptum supra datum v. 16. De ambulando in spiritu, & de non implendis cupiditatibus carnis. Estque ratio quædam movens ad illud observandum. Et hoc vel simili argumento formari potest. *Id, sine quo non potestis vos vere Christianos probare, sedulo vobis studendum. At, nisi in spiritu ambuletis, & carnis cupiditates implere recusetis, non potestis vos probare veros Christianos*; non potestis esse Christi; non constabit vos illius esse: Ergo *summo studio in spiritu ambulandum, & carni resistendum.* Probatur Minor, *Omnes qui sunt Christi crucifixerunt carnem*: Ergo *Si carni*

in-

indulgetis, non conſtabit vos eſſe Chriſti. Referri etiam poteſt hæc ſententia ad id quod dicitur de fructibus ſpiritus v. 32. Si enim omnes qui ſunt Chriſti crucifixerunt carnem, & omnes illi Spiritum Chriſti habeant, neceſſe eſt illos fructus ſpiritus, qui ibi referuntur, in illis ſuccreſcere. Unde particulam ϗ, quæ communiter diſcretiva, aut expletiva eſt, hic redditur per *enim* à Theodoro Beza.

Poriſmata hujus Sententiæ.

1. LIcet omnes homines & omnes creaturæ, dominio & regimini Chriſti ſalvatoris ſubjiciantur, ſunt tamen quidam, qui peculiari ratione illius ſunt; nempe illi, qui eum ut Redemptorem, & Dominum amplexi ſunt.

Hinc conſectarium: Non omnes homines ſunt Chriſti, ratione illa ſpeciali. Innuitur enim hic diſtinctio eorum qui ejus ſunt, & eorum qui non ſunt.

2. Omnes homines per naturam, poſt lapſum, ſunt corrupti, & diſpoſiti ad malum: & ſpeciatim ad ea inordinate proſequenda quæ ſenſibus grata ſunt, cum neglectu mentis, eorumque quæ felicitatem illius ſpectant. Item ad ea quæ honorem apud homines adferre poſſunt, mentem vero vel parum perficiunt, aut inanem tantum delectationem ei adferunt. Quod ejuſdem generis eſt, ac corpori indulgere. Unde caro in iis dominari innuitur.

3. Ex carnali illa inclinatione, varii motus inordinati, ſeu vitioſi oriuntur, partim averſationis, partim proſecutionis. Qui concupiſcentiæ & paſſiones hic vocantur.

Speciatim vero homines, cum à Deo defecerunt, & fœlicitatem in illius obſequio & ſocietate non quærunt, multa alia quæ vacua ſunt, & vana, quin & illicita, ac turpia ſectantur, quibus appetitum famelicum ſaturare ſtudent. Hoc enim vox concupiſcentiæ indicat.

4. Ex motibus illis, & actionibus malis, multum patitur homo carnalis; quippe turbatur, cruciatur, & inquietus redditur. Multo enim labore circa objecta prohibita exercetur; nec tamen unquam voti compos fit.

5. Omnes illi, qui Chriſtum, ut Redemptorem, & Dominum, ſincero animi affectu, amplexi ſunt, adeoque veri ſunt Chriſtiani, è ſervitute carnis, & omnium illius motuum, evaſerunt. Eſtque vis peccati in illis fracta, ne amplius dominetur. Carnem enim cum ſuis motibus oderunt, iiſdem reſiſtunt, eos vincunt. Et licet ſæpe quibuſdam ex motibus illis cedant, ſemper manet in illis diſpoſitio ſeu propenſio ad reſiſtendum.

Hinc moritur vis peccati, cum peccator ſe ab eo avertit, ad Deum vero ſe convertit. Vivit enim & viget peccatum, dum ipſi obtemperamus.

6. Virtute à morte Chriſti per fidem hauſtâ, fideles carnem ſuperant, non viribus naturæ ſuæ.

Hactenus

Hactenus exempla aliquot è ſcriptoribus ſacris dedimus. Subjiciamus nunc alia quædam è profanis. Sit igitur Exemplum quintum Analyſis primæ Sectionis Libri 1. Senecæ De Ira.

Textus.

EXegiſti à me, *Novate*, ut ſcriberem quemadmodum poſſet Ira leniri. Nec immerito mihi videris hunc affectum præcipue pertimuiſſe, maxime ex omnibus tetrum, ac rabidum. Cæteris enim aliquid quieti placidique ineſt; hic totus concitatus, & in impetu doloris eſt: armorum, ſanguinis, ſupplicíorum fervens, cupiditate minime humana: dum alteri noceat, ſui negligens; in ipſa irruens tela, & ultionis ſecum ultorem tracturæ avidus. Quidam igitur ex ſapientibus viris iram dixerunt brevem inſaniam. Æque enim impotens ſui eſt, decoris oblita, neceſſitudinum immemor; in quod cœpit pertinax, & intenta, rationi conſiliiſque præcluſa, vanis agitata cauſis, ad diſpectum æqui verique inhabilis, ruinis ſimillima, quæ ſuper id quod oppreſſere, franguntur. Ut autem ſcias non eſſe ſanos quos ira poſſidet, ipſum illorum habitum intuere. Nam ut furentium certa indicia ſunt, audax & minax vultus, triſtis frons, torva facies, citatus gradus, inquietæ manus, color verſus, crebra & vehementius acta ſuſpiria; ita iraſcentium eadem ſigna ſunt. Flagrant, & micant oculi, multus ore toto rubor, exæſtuante

ab

ab imis præcordiis sanguine; labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli; spiritus coactus, ac stridens, articulorum seipsos torquentium sonus, gemitus, mugitusque, & parum explanatis vocibus sermo præruptus, & complosæ sæpius manus, & pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnasque minas agens, fœda visu & horrenda facies depravantium se, atque intumescentium. Nescius utrum magis detestabile vitium sit, an deforme. Cætera licet abscondere, & in abdito alere: ira se profert, & in faciem exit, quantoque major est, hoc efferveſcit manifestius. Non vides, ut omnium animalium, simul ad nocendum insurrexerunt, procurrant notæ, ac tota corpora solitum quietumque egrediatur habitum, & feritatem suam exasperent? Spumant apris ora, dentes acuuntur attritu; taurorum cornua jactantur in vacuum, & arena pulsu pedum spargitur; leones fremunt, inflantur iratis colla serpentibus; rabidarum canum tristis aspectus est. Nullum est animal tam horrendum, tamque perniciosum natura, ut non appareat in illo, simul ira invasit, nova feritatis accessio. Nec ignoro cæteros quoque affectus vix occultari, libidinem, metumque, & audaciam dare sui signa, & posse prænosci. Neque enim ulla vehementior intra cogitatio est, quæ nihil moveat in vultu. Quid ergo interest? Quod alii affectus apparent, hic eminet.

Analyſis.

HIC habes præfationem totius operis: deinde Iræ deſcriptionem. Præfatio exponit occ. ſionem ſcribendi, rogatum, ſcilicet, Novati, ut de Ira lenienda ſcriberet: quem eo nomine laudat, quod non ſine ratione illud exigeret. Rationem autem declarat propter quam quivis hunc affectum merito extimeſcat, & remedia contra eam quærat: & ſimul deſcriptionem illius aggreditur, qua fœdum habitum ac faciem iratorum depingit. Sumitur tota ex illius natura & effectis. Notandum autem quæ de ira hic dicuntur non omnia ei ſimpliciter convenire, ſed tantum prout vehementiori gradu in quibuſdam erumpit.

Primo igitur eam comparat cum reliquis affectibus, & illis omnibus deteriorem eſſe pronunciat: tum fœditate, tum d mentia. Hoc innuitur cum *affectum maxime* ex omnibus *tetrum*, & *rabidum* dicit. Generica ſunt hæc Iræ attributa, & omnia reliqua vitia, quæ in ea conſpiciuntur, quodammodo continent. Ratione tamen aliqua Iræ propria dicit, quia in ea maxime apparent. Rabidam autem vocat, ſimilitudine ducta à canibus rabie correpti. Tetram autem quia deformitas quædam eſt creaturæ rationalis, eamque depravat & horridam reddit.

Pejorem reliquis probat, diſſimilitudinem oſtendendo. Quod reliquis affectibus primo aliquid placidi & quieti inſit, hoc eſt, non adeo vehe-

vehementes ſeu violenti ſint, nec adeo hominem turbant, neque adeo noceant. Hic vero nihil placidi aut quieti habeat. Hoc autem longe proſequitur. Et 1. Dicit eſſe vehementiſſimum ac rapidiſſimum animi motum, qui totum hominem concitat, & perturbat. 2. Eſſe dolorem quendam impetuoſum. Dolor autem Iræ eſt, de injuria accepta, vera, vel apparenti. 3. Eſſe cupiditatem vehementem vindictæ, & ultionis. Unde ſanguinem ſitire innuitur, hoc eſt vulnera alteri infligere, aut vitam auferre; & (quod hujus cupiditatis effectus eſt) inſtrumenta ultionis cupit, & arripit. Speciem etiam hujus cupiditatis deſignat, negans eſſe humanam, tacite vero affirmans belluinam eſſe, & rationis expertem. Gradum indigitat, dum fervere dicitur, metaphorâ ab aqua, vi ignis concitata. Incaleſcit enim per iram ſanguis, & omnes ſpiritus animales & humores in motum violentum cientur, & perturbantur, ſeu miſcentur. Effecta etiam hujus cupiditatis ponit. Primum negativum eſt, quod hominem ſui negligentem reddat, hoc eſt, omni cura ſui commodi, & ſuæ conſervationis, privat. Alterum poſitivum, quod eum in maxima & manifeſta pericula, & damnum ſibi ipſi inferendum adigat. Adeo ut irati, dum de aliis ultionem ſumere aggrediuntur, ſeipſos etiam ulciſcantur.

Confirmat iſta omnia dicto quorundam ſapientum qui Iram *brevem inſaniam* ſeu *furorem* appellarunt. *Brevem* quidem, quoniam ab inſania ſolum duratione differt. Probat eſſe inſaniam quan-

quandam, oſtendendo eadem ipſi cum ea convenire, & ſic alias proprietates, & effectus iræ tradit, tum internos, tum externos. Primus effectus internus eſt, quod ſit impotens ſui, hoc eſt, hominem ſui impotentem reddit, ut actiones ſuas regere nequeat. Secundus, quod per eam decori obliviſcatur iratus, nec dubitat turpia admittere. Tertius, quod etiam conſanguineorum & affinium immemores reddat: ut nec illis parcere, aut eorum conſiliis auſcultare poterit. Quartus, quod pertinacem in propoſito efficiat, & intentum ad id exequendum. Quanquam hoc ad locum concomitantis, ſeu adjuncti referri poſſit. Quintus, quod exercitio rationis hominem privet: adeo ut nec ipſe cogitare poſſit quid faciendum ſit, nec aliis recte ſuadentibus obtemperare, vel nulla vel levi cauſa cieatur, rationem nullam vel veri vel æqui habet; ſed in vindictam & ultionem ruat. Et ſic repetit quod de impetu Iræ prius dixerat: & eleganti ac efficaci ſimilitudine illuſtrat ædificiorum ruentium, aut ejuſmodi. Ut enim illa ſuper id quod opprimunt, franguntur, ita etiam iratus dum ultionem capere feſtinat, ſeipſum ſæpe perdit.

Proxime oſtendit eſſe inſaniam quandam, ex effectis externis, ſive ſignis quæ ipſi cum inſania communia ſunt, idque propoſitione relativa, ſeu comparativa, cujus protaſis continet ſigna & effecta inſaniæ quinque generum. Quædam in vultu & facie apparent, ut audacia inſolens, minæ, triſtitia, torvitas: quædam in gradu; ut concitatio, ſeu celeritas ſine ratione: quædam

in

in manibus; ut inquietudo, & pueriles motus: in colore mutatio; in pectore ſuſpiria crebra, & vehementer acta. Apodoſis vero eadem aut ſimilia iræ t ibuit, ut 1. In oculis quaſi incendium. Flammæ enim aut igni ſimiles evadunt. Unde flagrare & micare dicit. 2 In toto ore, multus rubor. Utriuſque cauſam aſſignat, nempe, æſtuationem ſanguinis in corde; unde & ipſe, una cum ſpiritibus animalibus, ad exteriores partes corporis, erumpit 3. In labiis tremor. 4. In dentibus compreſſio, & attritus, vel alliſio. 5. In crinibus rigor. 6. In reſpiratione anguſtia, & ſtridor. 7. In articulis violenter motis, & detortis, ſonus. 8. In voce gemitus, & inſoliti clamores; & aliquando ſermo præceps, & parum articulatus. 9. Manuum complosio. 10. In pedibus, pulſatio humi. 11. In toto corpore motus concitatus, & ſupplicii comminatio in eum quem ulciſci aggreditur. 12. In facie, fœda depravatio, & tumor.

Ex his omnibus conſectarii loco infert, dubium eſſe utrum magis deteſtabile vitium ſit Ira, an deforme. Hoc eſt, utrum magis menti bene diſpoſitæ, an oculis ſit ingratum. Senſus autem eſt utrique maxime diſplicere.

Deinde, ex jam dictis ſecundam differentiam inter iram, & reliquos affectus colligit, quod hi occultari poſſint, illa ſe aperte una cum ſua fœditate oſtendat: & quò vehementior ſit, eo apertius. Sic autem novo argumento probat eam eſſe deteriorem, in hunc modum: Illud vitium pejus eſt, quod minus poteſt occultari: At ira eſt talis,

tàlis, præſertim ubi vehementior eſt. Ergo ira omnium affectuum peſſimus eſt.

Minorem probat oſtendendo in omnibus animalibus, cum ira aguntur, & ad nocendum inſurgunt, præcedere ſigna manifeſta. Signa illa generatim declarat, quod tota eorum corpora ſolitum habitum deponant, & novum induant. Iræ etiam effectum quoddam in brutis notat, ſcilicet, feritatis exaſperationem: hoc eſt, quod per eam, novum feritatis gradum acquirant, & majori impetu ad nocendum ferantur. Hoc autem illuſtrat & confirmat inductione variorum animalium ira concitatorum. Ut 1. In Apris iratis, ſigna iræ ſunt, oris ſpumatio, & dentium attritus. Hujus poſterioris finem innuit eſſe, ut ſic acutiores fiant ad laniandum. Quod tamen metaphorice dicitur, ſimilitudine ducta à pugnaturis, qui gladium, mucronem aut ſagittas acuendo, ſe ad opus illud mortiferum parant. 2. In Tauris ſigna ſunt, cornuum jactatio in vacuum, ſcilicet in aere; & arenæ, ſeu pulveris, vel cœni ſparſio. Hæc actio declaratur cauſa inſtrumentali, ejuſque operatione, nempe, pulſu pedum. 3. In leonibus eſt fremitus ſeu rugitus. 4. In ſerpentibus inflatio colli, hoc eſt, colla eorum intumeſcunt, quaſi vento inflata. 5. In canibus rabidis, qui & ira aguntur, ſigna in ſpecie non profert, ſed tantum generaliter dicit aſpectum eorum eſſe triſtem, hoc eſt, terrificum.

Et his continetur tertium argumentum, quo probat iram eſſe peſſimum affectum. Ille affectus

ctus peſſimus eſt, per quem animalia illa quæ maxime metuenda, & ad nocendum natura ſua maxime propenſa, (qualia ſunt ea, quorum jam meminerat), majorem feritatem induunt: at per iram, animalia iſtiuſmodi, magis fera evadunt. Ergo ira peſſimus, nocentiſſimus, ac terrimus affectus eſt.

Denique limitat, & perfectius exponit ſecundam differentiam iræ & reliquorum affectuum, per occupationem. Poſſet enim aliquis objicere, Cæteros etiam affectus ſe prodere, & raro ac difficulter occultari. Ergo hæc differentia nulla eſt. Probatur Antecedens, primo exemplis, ſeu inductione trium affectuum, nempe, libidinis, ſeu impuri amoris, metus, & audaciæ. Inductio hic perfecta non eſt: ſed non neceſſe eſt, ut perfecta ſit; quia ſatis eſt ad differentiam ſupra datam evertendam, ſi aliquot ex affectibus reliquis ſeſe prodant. Secundo probatur ratione. Omnis cogitatio vehementior immutationem aliquam in vultu efficit: Omnis affectus ſeu paſſio eſt vehementior quædam cogitatio: Ergo, mutationem aliquam in vultu efficit, eoque ſigna ſui dat. Hujus argumenti, ſola Major exprimitur. Ducitur autem à definitione ſubjecti concluſionis. Per cogitationem enim intelligit quemlibet animi motum, qui, ſi vehementior ſit, affectus, vel paſſio dicitur. In definitione igitur cogitatio eſt genus, vehementia vero illius differentia eſt, per quam differt affectus à motu animi ſedato & quieto. Vel dicendum eſt, affectum vocari cogitationem vehementem, quia

quia ab ejuſmodi cogitatione oritur. Unde *medium* in argumento eſt cauſa efficiens proegumena. Reſpondet, concedendo cæteros etiam affectus ſe prodere in vultu, & partibus externis. Affirmat tamen veram eſſe differentiam quam poſuit; nempe, quod, cum reliqui affectus per ſigna ſui appareant, ira multo magis appareat, & raro aut nunquam occultetur.

Exemplum ſextum
Sit Analyſis odæ decimæ lib. 2. Carm. Horatii.

REctius vives, Licini, neque altum
Semper urgendo, neque dum procellas
Cautus horreſcis, nimium premendo
littus iniquum.
Auream quiſquis mediocritatem
Diligit, tutus caret abſoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
ſobrius aula.
Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celſæ graviore caſu
Decidunt turres, feriuntque ſummos
fulmina montes.
Sperat infeſtis, metuit ſecundis,
Alteram ſortem bene præparatum
Pectus: informes hyemes reducit
Jupiter: idem
Summovet: Non ſi male nunc & olim
Sic erit: quondam cythara tacentem
Suſcitat muſam, neque ſemper arcum
tendit Apollo.

Rebus anguſtis, animoſus atque
Fortis appare : Sapienter idem
Contrahes, vento nimium ſecundo,
turgida vela.

Analyſis.

THema quod hic tractatur, complexum eſt, hæc ſcilicet ſententia, *Mediocritatem, & animi æquabilitatem, in utraque fortuna, proſpera, & adverſa, eſſe ſervandam.* Eam tractat, partim ſubjectum, nempe mediocritatem, & animi conſtantiam, explicando, partim veritatem totius probando.

Primo virtutem hanc deſcribit, ab oppoſitis, nempe extremis, quibus media eſt, & in eo poſitam eſſe innuit ut neque ex altera parte, ſemper alta & ſublimia appetamus, & proſequamur; neque ex altera, vili & ignominioſa fortuna contenti ſimus. Utrumque exprimit, primo per allegoriam ductam à navita prudenti, qui neque ſemper medium mare tenet, ſed urgente tempeſtate, portum commodum quærit; neque, ut eam effugiat, littus incommodum, ſeu periculoſum appellit. Ubi medium mare, *altum* vocatur, per Metaphoram, propter profunditatem, quæ à fundo ad ſuperficiem metiendo, altitudo eſt. Innuit autem utrumque vitium hominibus proclive eſſe. Et cauſam prioris tacite inſinuat eſſe audaciam, poſterioris vero puſillanimitatem, ſeu animi dejectionem. Utramque, ſimilibus in allegoria uſurpatis, illuſtrat; nempe, ut nautæ nimis fidentes, mare æſtuoſum aliquando tentant; aliquando

quando tempeſtate territi & fatigati portum incognitum, aut periculoſum amplectuntur.

Hinc probat medium illum animi affectum eſſe ſervandum, argumento (quod primum eſt) à ſimili, vel pari. *Sapiens navis gubernator neque audax eſt, mare ventis commotum tentando, neque meticuloſus, aut impatiens tempeſtatis, littus incommodum appellendo.* Ergo. *Nec ſublimior fortuna quærenda, nec abjecta admittenda eſt.* Eſt & hic ſecundum argumentum. *Vita rectior & tutior eſt eligenda: at hæc rectior & tutior eſt, quæ in animi moderatione & æquabilitate conſiſtit.* Rectiorem autem vocat, non quod oppoſita vivendi ratio ullatenus recta ſit; ſed per Meioſin, intelligit eſſe optimam, & unice eligendam; quod ex collatione oppoſitæ magis apparet. Declaratur igitur illa animi diſpoſitio per attributum genericum, nempe rectitudinem, ſeu commoditatem.

Deinde eandem animi virtutem declarat ſermone proprio. Ubi, virum ſobrium in concreto, qui hujus virtutis ſubjectum eſt, deſcribit primo per attributum genericum, quod ſit mediocritatis amans. Et mediocritatem commendat à dignitate, dum, per metaphoram, *auream* vocat. Secundo negatione oppoſitorum; quod ſcilicet neque ex altera parte ſit ſordidus, ac miſer, nec ex altera profuſus, ſeu prodigus. Utrumque negat facta inſtantia in forma & conditione domicilii. Quod nec ædibus abſoletis utatur, quæ contemptui ſint, nec nimis ſumptuoſis, quæ invidiam aliis cieant. Hinc aliud attributum viri ſobrii tradit, quod ſit tutus à periculis quibus alii obnoxii

noxii ſunt, ſcilicet ab ignominia, contemptu, & invidia. Ex his plura argumenta erui poſſunt ad theſin principalem confirmandam.

Tertium igitur ſic poteſt formari. *Mediocritas in omnibus rebus*, in quarum uſu per defectum aut exceſſum peccare ſolent homines, *eſt obſervanda.* At *æquabilitas* & conſtantia animi, *in quavis fortuna, eſt mediocritas.* Ergo. Probatur Major. 1. Quia mediocritas *aurea* eſt, hoc eſt, magni pretii, & dignitatis. 2. Quia qui mediocritatem ſervat, *tutus* eſt à periculis, quibus alii obnoxii ſunt.

Quartum ducitur à pari. *Sobrietas in uſu rerum externarum*, puta, commoditatis habitandi, *obſervanda* eſt, & obſervatur à viro ſobrio & ſapienti. Ergo, *Etiam animi conſtantia in quavis fortuna.*

Quintum argumentum ſpeciatim militat contra elationem animi in proſpera fortuna, quæ eſt vitium per exceſſum. Et ducitur à conſequentibus, ſeu effectis, quæ allegorice exprimuntur, per inductionem ſimilium. *Sicut ingens* ſeu alta *pinus*, (per ſynecdochen ſpeciei, pro quavis arbore procera) *ſæpius concutitur ventis*, quam humiliores arbores, aut etiam evertitur, aut frangitur; *Et* ſicut *altæ turres graviori caſu decidunt*, quam ædificia mediocris altitudinis; *Sicut* denique *fulmina percutiunt montes altiores*, cum imi colles intacti ſervantur: *Ita* etiam *qui fortuna proſpera abutuntur, in graviores miſerias incidunt*; ut in inopiam, & contemptum. Ergo, Si incommoda illa cavere velimus, *Æquabilitas animi in proſpera fortuna ſervanda eſt.* Tertio,

Tertio, virtutem hanc describit ostendendo actus quos exerit in utraque fortuna, nempe, in adversis *spem* melioris futuræ, in prosperis *timorem*, seu cautelam deterioris: quorum causam dicit esse animum bene dispositum; quem, *pectus bene præparatum* vocat, per Metonymiam subjecti, quia animus affectus illos spei & metus in corde exercere creditur; cor vero in pectore continetur.

Sextum argumentum sequitur, quod à mutabilitate rerum humanarum, seu potius à vicibus divinæ providentiæ sumitur: & speciatim intenditur ad spem, & fortitudinem animi, in adversis, fovendam. *Si res non semper male cedant, non est despondendum animo in adversis:* At *verum prius.* Ergo. Minor continetur his verbis, *Non si male nunc & olim sic erit.* Probatur à pari. *Non semper est hyems* (quam deformem vocat ab effectis, quia terram pulchritudine, aerem luce, mare tranquillitate spoliat), sed suo tempore redeunt ver, & æstas, Jove sic ordinante. Ergo, *Neque fortuna semper erit adversa.* Eandem etiam illustrat similibus. Cantores & poetæ sicut nec semper canunt, ita neque semper tacent; nec Apollo semper jaculatur. Ita nec semper res tuæ erunt acerbæ.

Ultimo in loco eandem descriptionem à diversis actibus sumptam repetit, sed sub forma hortationis, seu præcepti, nempe, ut in adversis fortitudinem animi exerceat Licinius. Ubi conditionem afflictam *res angustas* vocat, per Metaphoram; quia in ea, homo dubius est propositi,

& difficultatibus coarctatur, ut viatores in via angusta. Hominem vero fortem *animosum* appellat, quia plus animi exercet & ostendit: Cum timidi & pusillanimi semimortui sint. Ex altera vero parte, ne in prospera fortuna (quam ventum nimium secundum, per aliam Metaphoram nuncupat) efferamur, & in illius usu modum excedamus, ad superbiam, luxum, &c. Quod eleganti similitudine à navatoribus ducta exprimit. Sicut enim illi vento nimis secundo, vela contrahunt, vel demittunt, ne vi illius navis evertatur; ita etiam hominis sapientis est, sobrie, & humiliter, in prosperis esse affectum. Estque hic repetitio & ampliatio primi argumenti, & allegoria in metaphoræ continuatione.

Exemplum septimum

Sit Analysis Orationis Æneæ ad socios, postquam periculum naufragii effugerant, Æneid. Lib. I.

Textus.

O Socii (neque enim ignari sumus ante malorum)
O passi graviora, dabit Deus his quoque finem.
Vos & Scylleam rabiem, penitusque sonantes
Accestis scopulos; vos & Cyclopia saxa
Experti: revocate animos, mœstumque timorem
Mittite. Forsan & hæc olim meminisse juvabit.
Per varios casus, per tot discrimina rerum,
Tendimus in Latium: sedes ubi fata quietas
Ostendunt: illic fas regna resurgere Trojæ.
Durate, & vosmet rebus servate secundis.

Analysis.

Analyſis.

THema hic complexum eſt, generis pathetici, nempe, conſolatorii, & hortatorii ad illas virtutes, quæ à viris bonis, in adverſa fortuna, exercendæ ſunt, ſcilicet, fortitudinem, fiduciam, & patientiam. Occaſio orationis fuit tempeſtas illa graviſſima, quam nuper ſuſtinuerant. Objectum cui dirigitur, vel, ſi mavis finis *cui* (uti in Scholis vocatur) ſunt ſocii, quos hic in initio compellat.

Sententia quæ confirmatur, continetur his verbis, *Revocate animos, mœſtumque timorem mittite*, v. 5, 6. *Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis*, v. 10. Ex quibus colligitur hæc propoſitio adverſativa copulativa; non obſtantibus omnibus malis, quæ paſſi eſtis, *Fortitudo, fiducia, & patientia vobis fovenda eſt*, ſeu bono & alacri animo eſſe debetis. Singulas phraſes quod attinet, primo hortatur ut *animos revocent*, qui dudum jam ſub recenti tempeſtate, toti in ſenſu calamitatis & periculi defixi, & dolore ac metu occupati erant. Jubet igitur ad lætiora ſe convertere. Deinde ſpeciatim hortatur, ut *timorem deponant*, & gaudium ac ſpem animis concipiant. Timor autem declaratur ex adjuncto, nempe, concomitante affectu, *mœſtitia*. Ejus enim objectum eſt malum impendens apprehenſum aut ſtatim futurum, quodque idcirco mox erit præſens: unde triſtitiam cauſat. At cur, periculo ceſſante, timorem dimittere jubet? R. Partim, quia, animus per metum turbatus ſenſum periculi etiam

præteriti, præſertim gravioris, retinere ſolet, nec ſtatim ſedatur: partim, quia, experientia unius periculi, metum alterius ſecuturi nonnunquam incutit. Tertio hortatur, ut *durent*, hoc eſt, conſtanti animo ferant res adverſas. Deinde, ut ſervent vel reſervent ſe meliori fortunæ, his malis ſucceſſuræ; hoc eſt, meliorem ſperent, & expectent: quanquam hic argumentum continetur, ut ſtatim dicemus. Hactenus propoſitio: ſequuntur argumenta, quibus res in ea ſignificatæ ſuadentur.

Primum argumentum ducitur ab adjuncto calamitatum, ſive præſentium, quarum ſenſu dolebant, ſive futurarum, quarum metu dejici poterant, nempe, quod finem habituræ ſint, cujus cauſam aſſignat Deum; & ſic procedit; *Deus, pro ſua bonitate & clementia, finem dabit noſtris calamitatibus: Ergo nec de præſentibus immodice dolendum eſt, nec futuris metuendum.* Probat antecedens, tum à paribus, tum etiam à majori; A paribus; cum dicit *non eſſe ignaros ante malorum*; id eſt, priorum malorum. Hoc eſt, præſentem calamitatem non eſſe novam: liberatos eos fuiſſe è prioribus miſeriis, ac periculis; adeoque è præſentibus ac futuris eſſe liberandos. A majori vero, cum addit *O paſſi graviora*. Deus vos eripuit à majoribus periculis. Ergo liberabit ex his, & reliquis quæ reſtant adeunda. Antecedens probat Inductione, ſeu inſtantiis maximorum periculorum, quæ tuti evaſerant; ut Scyllæ & Charybdis in mari Siculo, (cui propter maximum æſtum, rabiem tribuit, per Metaphoram hyperbolicam),

bolicam), ſaxorum Cyclopiorum, id eſt, quæ à Cyclopibus, in viſceribus Ætnæ, obſidentur, aliorumque ſcopulorum, vehementibus undis ſonantium.

Argumentum ſecundum ducitur ab adjuncto, vel effectu recordationis præſentium calamitatum, nempe, voluptate, quæ ex ea conſequetur. Et ſic procedit. *Quorum memoria poſtea voluptatem adferet, nec ea immodice dolere, nec extimeſcere debetis.* At *præſentium calamitatum memoria, poſtea voluptatem adferet.* Ergo. Minorem ponit ſolum ut probabilem, quia res futuræ plerumque incertæ ſunt, addita limitatione *forſan.*

Argumentum tertium ſumitur à fine, vel conſequente horum malorum; quod ſcilicet, omnibus hiſce tentationibus fortitudinis, & patientiæ, defunctis, tandem quietas ſedes, & novum regnum habituri ſint, & ſic formari poteſt: *Calamitates illæ fortiter & patienter ſunt ferendæ, quæ in jucundiſſimo rerum ſtatu deſituræ ſunt:* At *tales ſunt quibus nunc premimur.* Ergo. Ubi primo memorat afflictionum quas patiebantur, *caſus* appellando, quia in ſortem ſuam cadebant; & *diſcrimina*, quia eventus ſemper anceps apparuit. Declarat etiam ab adjunctis, ſcilicet, multitudine, & varietate. Deinde conditionis inquietæ, dum patria pulſi novam regionem quærebant. Tertio conſequens ponit; poſſeſſionem Italiæ, & in ea ſtatum quietum, ac lætum. Cujus cauſam dicit eſſe fata, hoc eſt, conſilium Deorum. Addit etiam illic regnum Trojanum nuper everſum, renovatum iri.

Ultimum

Ultimum argumentum ducitur ab effectu fortitudinis & patientiæ, quod per has virtutes ſervabunt ſemetipſos ad meliorem fortunam : cum ſi animis deſponderent, & fatiſcerent, dolore, & metu, vitam ſuam paulatim quaſi expenderent, adeoque vel in via morerentur, vel calamitate confecti, ad tantorum bonorum fruitionem inepti evaderent. Argumentum igitur ſic procedit. *Per quas virtutes voſmet ſervabitis ad multorum bonorum fruitionem, illas nunc exercere debetis :* At *per fortitudinem, patientiam, fiduciam, &c. voſmet ſervabitis ad maximorum bonorum fruitionem. Illas* igitur *virtutes exercete.*

Plurima alia exempla adjicienda eſſent, ſi ſingulorum præceptorum Analyticorum uſum exemplis illuſtrare neceſſarium foret. Verum cum ad eum ingenium, eruditio, & exercitatio præcipue requiratur ; & ex his quæ jam dedimus, modus quo reliqua præſtanda ſint, haud difficulter intelligi poſſit, hic tandem finis eſto.

Pro-

Protheoria Philoſophiæ & Diſciplinarum in genere.

Protheoria Philoſophiæ eſt conſideratio naturæ, cauſarum, partium, & adjunctorum Philoſophiæ ipſius, & diſciplinarum, quæ ſub ea continentur: quam ideo cum ſyſtemate Logicæ conjungimus, quia ad hanc pertinet, omnia illa tradere, quæ viam ad reliquas diſciplinas ſternunt. Quædam etiam hic explicantur, quorum cognitio ad controverſias, de natura, & objecto Logicæ ipſius, proxime in Elencticis dicenda ſunt. Ex g. In illis quæritur, *ſitne Logica diſciplina ſpeculativa, an practica, ſcientia, an ars:* Hic autem explicatur, quid ſit cognitio *ſpeculativa* & *practica*, quid *ſcientia* & *ars*.

CAP. I.

De Natura Philoſophiæ.

1. *Philoſophia*, ſi vocem ſpectemus, amorem vel ſtudium ſapientiæ ſignificat. Appellationi occaſionem dediſſe Pythagoram ferunt:

runt: qui cum ſapientiam rem arduam, nec adeo vulgarem, ac à nonnullis jactabatur, perſpiceret, pro ſua modeſtia, ſe non σόφον ſapientem, ſed φιλόσοφον, ſapientiæ amicum & ſtudioſum profeſſus eſt. Unde viri eruditi qui prius σόφοι, ſapientes, φιλόσοφοι dici cœperunt; & eruditio, quæ prius σοφία, ſapientia, Philoſophia dicta eſt.

2. Si vero rem ipſam, ad quam ſignificandam adhibetur, attendamus, *eſt comprehenſio omnium notitiarum, de rebus ſcitu dignioribus, & difficilioribus, quæ lumine & induſtria naturali, ab homine, in hac vita, acquiri poſſunt.*

3. Objectum igitur Philoſophiæ, ſunt res à nobis ſcibiles in hac vita; non quidem omnes, ſed illæ tantum quæ difficilius ſciuntur, ſeu quæ à captu vulgi remotiores ſunt, & quæ digniores ſunt ut exquirantur, & ſciantur: ſcilicet quarum cognitio homini utilior & jucundior eſt. Unde artes communes, quæ mechanicæ, & ſerviles dicuntur, in cenſum Philoſophiæ non admittuntur.

4. Philoſophiæ *origo* proxima eſt lumen, & induſtria mentis humanæ. *Proximum* dico, quia origo ſuprema eſt Deus, à quo tanquam cauſa prima, omnis cognitio fluit. Per *lumen naturale*, notitiam principiorum per ſe evidentium, intelligimus; per induſtriam vero, exercitium ſenſuum, experientiam, & ratiocinationem, & omnes actus mentis quibus cognitio rerum acquiritur.

5. Hinc patet diſcrimen Philoſophiæ, & Theologiæ *ſupernaturalis*, ſeu fidei Chriſtianæ. Hæc enim ex inſtitutione, ſeu revelatione divina eſt; illa ex indagine humana. Hujus principia, & ſemina

mina quædam nobis per naturam insunt; illius vero principia extrinsecus adveniunt. Hæc sola ratione nititur, illa solo testimonio divino.

CAP. II.

De Cognitione speculativa & practica.

1. DE Philosophia considerandæ præcipue sunt, partes, causæ, & adjuncta. Partes, quæ materiæ rationem obtinent, aliæ sunt minores, quæ veluti materia remota sunt; aliæ majores, quæ proxima.

2. Partes minores, seu materia remota, sunt *virtutes intellectuales acquisitæ. Virtus intellectualis*, generatim, *est, per quam mens recte de rebus judicat.* Cui opponitur *vitium* mentis, cujus ratione male judicat, aut impotens est ad judicandum. Dividitur primo in *speculativam* & *practicam*; deinde in *ingenitam* & *adventitiam.* Denotat autem tum habitum, seu facultatem, quæ permanens est, tum actus qui inde oriuntur: prius tamen præcipue; verum in sequentibus utrumque intelligendum est.

3. Virtus Mentis *speculativa*, aliter *contemplatrix*, & *theoretica*, à θεωρεῖν spectando, dicta, *est per quam cognoscimus rem solummodo ita esse, vel non*; ut solem esse majorem terra, & circa eam indesinenter moveri. Sive quæ solùm naturam, affectiones, & causas rerum contemplatur. Practica vero est, *per quam judicamus de rebus, ut à nobis faciendis.* Unde natura sua operationis alicujus

cujus noſtræ directrix eſt, & præcepta ac regulas operandi tradit.

4. *Objectum* igitur cognitionis *ſpeculativæ*, ſunt res, quæ vel nullatenus à nobis fieri poſſunt; vel quarum cognitione, ad eas efficiendas, non dirigimur. Sic cognitio corporum, & motuum cœleſtium, in nobis pure ſpeculativa eſt; quia nos corpora illa nec efficere, nec movere poſſumus. Et cognitio motus cordis, arteriarum, & pulmonum, concoctionis cibi in ſtomacho, & jecinore, licet rerum ejuſmodi ſit, quas efficimus, ſpeculativa tamen eſt, quia per illam non dirigimur ad eas efficiendas, aut variandas, ſed pariter fiunt à docto, & ignaro.

5. *Objectum* vero cognitionis *practicæ*, ſunt res, quas, is, in quo eſt, efficere poteſt, & quarum cognitione dirigitur ad eas efficiendas. Vel eſt modus operandi à cognitione illa præſcriptus. Ut cognitio pingendi imagines ſolis, & aſtrorum.

6. Operatio cognitione practicâ directa, & gubernata, ſeu quæ judicio practico conformis eſt, *praxis* appellatur. Unde ſemper voluntaria eſt: nempe, actio vel ipſius voluntatis, vel potentiæ alicujus quæ imperio voluntatis regitur, puta cognoſcitivæ, appetitivæ, aut locomotivæ.

7. Cognitio practica, & praxis, vel eſt *moralis*, vel *artificialis*. Cognitio practica *moralis* eſt, judicium de iis quæ honeſta ſunt, vel inhoneſta. Praxis vero eſt actio vel operatio, judicio iſti conformis, & ab eo regulata. Cognitio practica *artificialis* eſt judicium de illis efficiendis, quæ per ſe, nec honeſta ſunt, nec inhoneſta, ſed præciſe ſpectantur

tur ut utilia, aut jucunda. Praxis vero eſt operatio judicio iſti conformis, ſeu ab eo directa.

8. Cognitio practica, tum moralis, tum artificialis, vel eſt vera, vel erronea: praxis autem prout judicio vero vel erroneo conformatur, ſeu ab eo profluit, *recta*, vel *vitioſa* dicitur. Sic vera eſt cognitio practica moralis, per quam agnoſcimus *ſuum cuique eſſe reddendum*; erronea & falſa, per quam quidam exiſtimarunt αὐτοχειρίαν, in quibuſdam circumſtantiis, eſſe licitam. Cognitio practica artificialis vera eſt, quæ unumquodque opus ita efficiendum eſſe docet, ut ad finem ſuum aptiſſimum eſſe poſſit. Erronea quæ ſecus. Et praxes morales rectæ, ſunt actiones virtutum; vitioſæ, & malæ, ſunt actiones vitiorum. Praxis artificialis recta, eſt quæ regulis artis conformis; vitioſa quæ contra.

CAP. III.

De Intelligentia & principiis cognoſcendi.

1. SUpra diviſimus virtutem intellectualem in ingenitam, ſeu innatam, quam omnes per naturam habent; & adventitiam, quæ ab aliis cauſis eſt. Virtus mentis ingenita eſt vel *Intelligentia*, vel *facultas* ratiocinandi. Intelligentia, quæ ab Ariſtotele νοῦς, Intellectus dicitur, hoc in loco non facultatem intelligendi generatim ſignificat; nec etiam quamlibet perſpicaciam; ſed illam duntaxat facultatem, per quam principiis cognoſcendi aſſentimur.

2. *Prin-*

2. *Principium cognoſcendi*, oppoſite ad principia effectiva, conſtitutiva, directiva, & motiva, (de quibus in Log. parte com. actum eſt,) aliud eſt *ſimplex*, nempe quævis: Idea ſimplex, quæ per ſe evidens eſt; ut ideæ τῦ *eſſe*, & *non eſſe rei*, & *nihili*; iſta enim nulla definitione declarari poſſunt: aliud eſt complexum, quod late quidem ſignificat quamlibet veritatem, ex qua alia deducitur, aut deduci poteſt, ſive ipſa aliunde demonſtrabile ſit, ſive non; ſic Deum eſſe, eſt principium omnis religionis, licet multis rationibus demonſtrari poſſit: ſtricte vero, ut hic, *veritatem per ſe evidentem denotat*. Unde & ἀρχὴ, *principium* dicitur, quoniam origo & initium eſt omnis cognitionis diſcurſu acquiſitæ: Et ἀξίωμα, quia per ſe aſſenſum meretur: Item *propoſitio immediata*, quia nullo medio opus eſt ad connexionem terminorum, quibus conſtat, indicandam. Et κοινὴ ἔννοια, *notio communis*, quia omnibus qui uſum mediocrem rationis habent, ineſt, vel nota eſt.

3. Ad aſſenſum igitur principiorum, quæ ſtricte talia ſunt, nihil aliud requiritur, quam ut percipiamus quid termini, ſubjectum ſcilicet & attributum ſignificent: hoc enim ſi percipiamus, connexio vel repugnantia illorum ſtatim apparet. Ut ſi ſciamus quid ſit *eſſe*, & *non eſſe*, & quid *ſimul*, ſtatim aſſentiemur huic veritati, *nihil poteſt ſimul eſſe & non eſſe*.

4. Principiorum *correlata* ſunt *concluſiones*, ſeu conſectaria, quæ ex illis deducuntur: quibus idcirco ſemper ſunt priora, & notiora; & eorum aſſenſum

assensum causant; quamvis non per motum physicum; sed tantum per suam evidentiam, mentem ad illum determinant.

5. Dividuntur principia, primo in ea quæ sunt *absolute prima*, & quæ non. *Absolute prima* sunt quæ nullo modo demonstrari possunt; scilicet, nec à priori, seu per causam; nec à posteriori, per signa vel effecta; nec διὰ τὸ ἀδύνατον, seu ex absurdo; qualia sunt illa duo, *Nihil potest simul esse & non esse: Quidlibet est* vel *non* est. Horum enim nec causa ulla, nec signa, aut effecta assignari possunt; nec quicquam magis absurdum est, quam propositiones oppositæ, quæ illis contradicunt. Summa enim & immediata est repugnantia inter *esse*, & non *esse* ejusdem rei, quam mens per sensum quendam intellectualem immediate, & ex seipsa, percipit.

6. Quæ absolute *prima non* sunt, ratione aliqua notiori declarari possunt; sed quia nulla declaratione indigent, utpote cum omnes illis facile assentiantur, idcirco inter principia numerantur. Ex. g. Illud, *Totum est majus sua parte*, definitionibus *totius*, *partis*, & *majoris* declarari possunt. Totum enim partem quamlibet continet, & aliquid amplius: majus autem est, quod plus continet. Quia tamen omnes, qui mediocri rationis usu pollent, ista sciunt, nihil opus est, ut per ea hujus sententiæ veritas probetur. Alia declarari possunt ex absurdo: ut *nihil est causa sui ipsius*. Patet enim ex eo, quod alioqui, idem esset prius & posterius seipso; & sic esset antequam esset, adeoque esset quando non est, sive simul

eſſet, & non eſſet, quod abſurdiſſimum eſt.

7. Secundo, ex principiis quædam ſunt *univerſalia* quæ de omnibus, aut plurimis rebus pronunciant; qualia ſunt illa, quæ ſupra diximus, & alia infra memoranda. Alia *ſingularia*, quæ de rebus ſingularibus loquuntur, & per experientiam, vel intellectualem, vel ſenſibilem innoteſcunt. Sic omnia quæ in nobiſmet ipſis, aut extra nos, immediate percipimus, inter principia numeranda ſunt. Quicquid enim experientia communis, aut ſenſus bene diſpoſitus, & non impeditus dictitat, id eo nomine pro vero habendum eſt; nec de eo dubitari poteſt, quin omnis cognitionis noſtræ certitudo tollatur. Per ſe igitur evidens eſt, *Nos cogitare, velle, nolle, amare, & odiſſe, ignem eſſe calidum, ſolem eſſe lucidum*, & alia innumera iſtiuſmodi.

8. Tertio, alia ſunt *communia* omnibus diſciplinis; qualia ſunt illa quæ ſupra tradidimus, Log. Spec. Parte 1. cap. 7. Alia ſingularum diſciplinarum propria; ut in Logica, *Definitio reciprocatur cum re definita:* in Ethica, *Bonum præſtantius minus præſtanti anteferendum eſt:* in Geometria, *Si æqualibus æqualia addas, tota erunt æqualia.*

9. Quarto, alia ſunt *ſpeculativa*, quæ concluſionibus diſciplinarum ſpeculatricium probandis inſerviunt; ut in prioribus exemplis: alia *practica*, quæ concluſiones practicas probant. Ut in Ethica, *Deus eſt colendus*; *Quod tibi fieri non vis, id alteri ne facias:* in Artibus, *Unumquodque opus ita eſſe faciendum, quo maxime ad finem ſuum utile*

eſſe

esse possit. Virtus autem mentis, quæ principia moralia, seu ethica agnoscit, & amplectitur, συντήρησις dicitur, quasi facultas *conservatrix* primarum veritatum, quibus mores reguntur. Item *Lex naturæ*, & *conscientia naturalis.*

10. Quinto, alia sunt *vera*, ex quibus veræ conclusiones oriuntur; alia *falsa*, ex quibus falsæ: quæ idcirco Græci πρῶτα ψευδῆ, *prima falsa*, appellant. His per se mens dissentit: ut, *Aliquid simul est & non est*; *Aliquid est causa sui.*

11. Sexto, ex veris principiis, quæ sola proprie principia sunt, alia sunt *necessario vera*, seu quæ non possunt esse falsa; ut in superioribus exemplis: alia *contingenter* tantum *vera* sunt, seu *verisimilia*: ut *Omne corpus lucidum calorem producens extra se, esse ignem*: ex quo probabiliter infertur solem esse ignem. Et *omnis amat suos*, ex quo deducitur matrem amare suam prolem.

12. Denique, alia sunt *intrinseca* veritati quam probant; scilicet, quæ ex quovis loco eruuntur præter testimonium; alia *extrinseca*, nempe, testimonia Dei, aut creaturarum. Quicquid enim Deus testatur, necessario verum est; & quod homines fide digni testantur, verisimilius est esse verum.

CAP. IV.

De Scientia.

1. COgnitio *adventitia* alia eſt immediate *infuſa* à Deo, ut cognitio rerum divinarum in Prophetis & Apoſtolis; alia *acquiſita* per diſcurſum. Et hæc rurſus vel obtinetur per principia intrinſeca, vel per extrinſeca. Quæ acquiritur per principia intrinſeca certa, & evidentia, *ſcientia* dicitur; quæ vero per illa quæ non ſunt plane certa, *opinio* vocatur. Quæ per principia extrinſeca, nempe, teſtimonium divinum, vel humanum, *fides* nuncupatur.

2. Eſt igitur ſcientia, *Cognitio rationi intrinſecæ ac certæ innixa*; ſive per rationem iſtiuſmodi acquiſita. Quod ratione acquiratur, ab intelligentia diſtinguitur: quod rationi intrinſecæ innitatur, à fide: quod rationi certæ, ab opinione. Definitio illa tum habitui ſcientiæ, tum actibus ſciendi aptari poteſt. Actus enim ſciendi eſt aſſenſus veritati datus propter ejuſmodi quam diximus, rationem. Habitus vero eſt proclivitas quædam aſſentiendi, per actus illos producta. Unde ſcientia ab Ariſtotele definitur, ἕξις ἀποδεικτικὴ ἐξ ἀναγκαίων, *Habitus demonſtrandi* veritatem aliquam, *ex principiis neceſſariis*, hoc eſt, certis & indubitatis; adde tamen à loco intrinſeco petitis, id eſt, quovis loco præter autoritatem.

3. De ſcientia conſideranda ſunt, *Objectum*, *cauſa*, *proprietates*, & *ſpecies*. Objectum ſcientiæ,

tiæ, τὸ ἐπιστητὸν, aliud eſt *incomplexum*, aliud *complexum*. Prius complectitur 1. Subjectum concluſionis, de quo aliquid ſcitur. 2. Attributum, ſeu affectionem, quæ de ſubjecto ſcitur. 3. Medium, per quod, hoc de illo ſcitur. Ex quibus, duo priora ſunt objectum pure terminativum actus ſciendi: tertium vero eſt objectum motivum, per quod mens inducitur ad connexionem, aut disjunctionem priorum agnoſcendam. Ut in Somatologia, ſubjectum in genere eſt ſubſtantia materialis; attributa, ſeu affectiones ſunt, quæcunque de ea firmiter demonſtrantur, ut gravitas, levitas, lux, opacitas, figura, motus, &c. Media vero ſunt illa omnia, quibus hæc attributa de ſubſtantia materiali demonſtrantur.

4. Objectum ſcientiæ *complexum*, partim ſunt concluſiones quæ ſciuntur; partim principia, ex quibus concluſiones deducuntur. Illa objectum *materiale*, & *quod*; hæ *formale*, & *quo*, in Scholis appellantur. Totale igitur objectum ſcientiæ, eſt connexio attributi cum ſuo ſubjecto, quatenus à ratione certa & interna pendet, ſive per eam innoteſcit, quæ propoſitione cauſali continetur: Ex. g. hæc connexio, *Quia terra inter corpus ſolis & lunæ è diametro ſita eſt, luna patitur eclipſin.*

5. Ad ſcientiam igitur non ſufficit, quod percipiamus affectionem convenire ſubjecto; ſed inſuper requiritur, ut rationem aliquam veram, & certam teneamus, quæ oſtendat eam ipſi convenire. Unde non omnes qui lunam obſcurari vident, ſcientiam habent de eclipſi lunæ; ſed illi

tantum qui rationem, ſeu cauſam intelligunt, propter quam obſcuratur.

6. Eſtque ratio illa, *cauſa* ſcientiæ *propria*. Reliquæ enim quæ ad illius productionem concurrunt, ut facultates intelligendi, ratiocinandi, ſenſus, & experientia, ſunt omnium fere virtutum intellectualium communes. Cauſa tamen eſt, non phyſica (actus enim ſcientiæ ab ipſa mente, ut à cauſa phyſica elicitur), ſed moralis, nempe objectiva, & inductiva; dum per ſuam evidentiam, mentem trahit, & determinat, ad concluſionem ſcientialem inferendam.

7. Proprietas ſcientiæ, prima & præcipua, eſt *evidentia*, ſeu *perſpicuitas*. Per eam enim mens evidenter, ſeu clare percipit rem hoc vel illo modo eſſe. Unde à fide etiam divina differt; quod licet fides ſcientiam certitudine, non tantum æquet, ſed etiam ſuperet, ſemper tamen eſt obſcura: eo quod rationem intrinſecam, hoc eſt, à re ipſa deſumptam, non reddat, ſed in veracitate dicentis acquieſcat.

8. Ex hac proprietate ſequitur alia, nempe, *jucunditas* ſingularis, per quam menti plane ſatisfacit, eamque quietam efficit, ut ulteriorem rei notitiam non deſideret. Ea enim eſt mentis, ſeu rei intelligentis indoles, ut cauſas, & rationes rerum certas, & evidentes, ardentiſſime expetat. Illis igitur adeptis, ſeu perceptis, maxime delectatur. Quod autem ſcientia intellectum ἀμετάπτωτον reddat (ut loquitur Ariſtoteles), hoc eſt, adeo firmum, & ſtabilem, in agnitione veritatis, efficiat, ut ab ea nullo modo divelli queat, ſcientiæ quidem

dem veræ convenit ; non tamen ei proprium eſt, ſed commune ipſi cum fide divina.

9. Quod ad differentias ſeu ſpecies ſcientiæ attinet, alia eſt tantum *apparens*, cum quis putat id eſſe evidenter verum, quod tamen falſum eſt : aut rationem evidentem veritatis ſe tenere, cujus tamen compos nondum factus eſt. Multi enim falſis aut dubiis opinionibus pertinaciter adhærent, tanquam eſſent omnino evidentes, ac certæ : & ſæpius pro ſcientia venditatur, quod mera eſt opinio.

10. Alia eſt *vera*, quam ſupra deſcripſimus, & varie diſtinguitur. Primo ratione veritatis ipſius, ſeu concluſionis quæ ſcitur ; deinde ratione medii quo acquiritur. Priori modo, alia eſt ſcientia *negans* ; per quam ſcimus rem non eſſe talem, eo quod evidenter percipiamus non poſſe ita eſſe ; vel abſolute, vel in præſentibus circumſtantiis, ſeu ſuppoſitis illis quæ evidenter ſupponenda ſunt. Sic certo ſcire poſſumus, non omnes motus & actiones brutorum animalium eſſe ab organis corporeis & appulſu cujuſdam materiæ ad extra. Alia eſt *poſitiva* ſeu *affirmans*, per quam ſcimus rem eſſe talem. Eſtque hæc priori longe nobilior : quia infinitis fere modis ſcire poſſumus rem non ita eſſe : adeoque mens in ea non acquieſcit, ſed avet porro percipere modum certum & definitum rei. Eſt tamen ſcientia negativa, gradus quidam ad poſitivam ; eo ſcilicet caſu, quo ex negatione affirmatio oppoſita neceſſario ſequitur. Ut ſi evidenter conſtet non omnes motus brutorum eſſe à materia, neceſſe

eſt, ut quidam eorum ſint à ſubſtantia immateriali.

11. Deinde *alia* eſt ſcientia per quam attributa eſſentialia, & affectiones, ſeu proprietates neceſſarias rei, evidenter percipimus: ut cum ex eo, quod hominem de variis rebus differentem audimus, certi ſumus eum eſſe ratione præditum; & deinde ex eo quod ratione præditus ſit, eſſe capacem diſciplinarum, legi Dei obnoxium ſi inhoneſte ſe geſſerit, &c. Alia eſt, per quam accidentia quædam rei convenire cernimus; ut oportere hunc vel illum hominem eſſe doctum, quoniam certo novimus eum fœlici ingenio præditum eſſe, & per multos annos literis operam dediſſe. Prior præſtantior eſt. Ex majori enim præſtantia objecti, ſi illud evidenter percipiatur, prout in omni ſcientia neceſſario fit, præſtantior eſt ſcientia, magiſque appetitur à mente noſtra, & eam magis perficit.

12. Tertio, alia eſt per quam ſcimus rem hoc vel illo modo eſſe, eoque modo eſſe debere, nec alio eſſe poſſe, ex ulla hypotheſi poſſibili: ut *Deum eſſe omniſcium*, quia, eſt *Ens perfectiſſimum*. Alia per quam ſcimus rem ita eſſe, nec aliter eſſe poſſe, ſed ex hypotheſi aliqua, quæ abſolute mutabilis ſit: ut lunam obſcurari, ſi inter eam & ſolem terra è diametro interveniat. Abſolute enim loquendo fieri poteſt ut nunquam interveniret, ſcilicet ſi Deus ita curſum utriuſque ordinaſſet, aut etiamnum ordinaret.

13. Scientia, ratione medii per quod acquiritur, diſtinguitur in ſcientiam ὅτι, per quam tantum

tum ſcimus rem hoc vel illo modo eſſe; cur autem ita ſit, per illud medium non percipimus; ſive cujus medium eſt, natura ſua, conſequens, aut concomitans veritatis quæ ſcitur. Eſtque ſæpiſſime ſignum neceſſarium, vel effectus proprius. Signum enim contingens, & effectus communis non pariunt ſcientiam: Sic ſcimus in homine, præter molem corpoream, eſſe aliam ſubſtantiam, quæ *mens* appellatur: Et ſcientiam διότι, per quam ſcimus, non tantum rem eſſe (hoc enim in ea includitur), ſed etiam *cur ſit*; hoc eſt, cauſam tenemus propter quam attributum ſubjecto conveniat. Sic ſcimus ſpiritum appetere quæ ei bona eſſe videntur, & fugere quæ videntur mala, quia diſcrimina horum & illorum percipit. Hic etiam poſterior præſtantior eſt, quoniam totam perfectionem prioris includit, & aliquid ei ſuperaddit.

14. Poteſt unus & idem actus ſciendi, propter diverſam rationem cui innititur, eſſe & ὅτι, & διότι. Et utrobique requiritur ratio adæquata, quæ perfecte rationem attributi cum ſubjecto oſtendat: ad quam evidenter percipiendam plura quandoque ſunt neceſſaria, quæ unam rationem adæquatam conſtituant. Ex. gr. ut ſciamus pios eſſe tutos in Deo, non ſatis eſt noſſe Deum eſſe perfecte ſapientem, & omnes vias ſcire quibus protegi poſſint; nec etiam eſſe omnipotentem, niſi addatur, eſſe ſalutis eorum ſtudioſum: ſed tria iſta ſimul rationem adæquatam conſtituunt, & omnem dubitandi occaſionem tollunt.

15. Scientia ὅτι nititur cauſæ cognoſcendi; ſcientia vero διότι cauſæ eſſendi: ubi tamen vox

cauſa

cauſa late ſumitur. Non enim ſemper eſt cauſa proprie dicta, ſed ſæpe analogica tantum. Sic unum attributum eſſentiale, etiam rei ſimplicis (quæ idcirco non diſtinguuntur realiter, ut ad cauſam & effectum, proprie ſumpta, requiritur), eſt ratio ſcientiæ de alio. Ut *rationalitas* in homine, *riſibilitatis*, *docilitatis*, &c. Et in Deo *æternitas*, ac *independentia* eſt quaſi cauſa cur neceſſario exiſtit.

16. In ſcientia διότι, requiritur, ut cauſam teneamus proximam. Et in ſcientia ὅτι, quæ habetur per effectus, requiritur effectus proximus. Connexionem enim cauſæ remotæ cum effectu, aut effectus remoti cum cauſa, evidenter percipere non poſſumus, niſi cauſam & effectum intermedium percipiamus. Item in cognitione effectus, qui ex pluribus cauſis ſubordinatis pendet, non quieſcit mens, dum ad cauſam primam, ſive ſupremam aſcendat. Sicut nec in cognitione effectus, qui à pluribus cauſis coordinatis pendet, niſi omnes illas cauſas, earumque influxum in effectum illum percipiat.

CAP. V.

De Opinione, Fide & Arte.

1. OPinio eſt *aſſenſus non plane certus, propter rationem intrinſecam duntaxat probabilem*, ſeu *veriſimilem*. *Objectum* illius *complexum*, cui aſſenſus iſtiuſmodi adhibetur, ſunt propoſitiones omnis generis, de quibus non ſumus plane certi, ſive illæ veræ ſint in ſe, ſive falſæ, ſive neceſſariæ, ſive contingentes. Sæpe enim ſpeciem veritatis fert,

ert, quod in ſe falſum eſt. Objectum vero *motivum*, ſeu medium ad aſſenſum illum inclinans, eſt ratio aliqua veriſimilis, ſeu probabilis, hoc eſt quæ magis videtur eſſe vera, quam falſa, non autem plane dubia.

2. Differt opinio à *dubitatione*, quod in dubitatione mens cum utramque partem per ſimplicem apprehenſionem intuetur, in neutram inclinat, ſed judicium plane ſuſpendit. A *ſuſpicione* vero, quod per eam in alteram partem aliquo modo inclinat, non tamen abſolute veriſimilem eſſe ſtatuit, ut in opinione fit, ſed tantum magis veriſimilem quam altera. Quanquam ſuſpicio gradus quidam opinionis dici poſſit. Magis enim minuſve inclinat mens ad aſſentiendum, & arctius vel remiſſius adhæret huic vel illi propoſitioni, prout rationes habet magis vel minus apparentes.

3. Opinio ſemper adjunctam habet *formidinem* aliquam partis oppoſitæ, ſeu ne res aliter ſe habeat, quam excludit ſcientia; aut ſaltem talis eſt, ut cauſa & ratio ſit, ſi quis attente, & præjudicio depoſito, perpendere velit, cur formidare debeat. Et hoc eſt quod aiunt in ſcholis, in opinione eſſe formidinem vel actualem vel virtualem.

4. Diſtinguitur opinio in *conſultam*, qua quis, debita inquiſitione facta, & omnibus quæ ſe offerunt accurate perpenſis, ſtatuit hoc vel illud eſſe magis veriſimile: ut ſolem eſſe flammam: Et *temerariam*, cum levicula de cauſa, ſine debito examine, aliquid ſtatuitur; ut eſſe elementum ignis ſupra regionem aeris.

5. Major cognitionis humanæ pars opinativa eſt,

eſt, in hac vita ; propter imperfectionem noſtram, qui cauſas & rationes rerum certas aſſequi non poſſumus. Cauſa vero cur opinamur non eſt in rebus ipſis. Omnis enim res, vel aliquam rationem & cauſam habet ſuæ veritatis ; vel immediate & per ſeipſam perceptibilis eſt. Unde de omnibus rebus certam & evidentem cognitionem habere poſſemus, niſi facultas, eas, earumque rationes recte inſpiciendi, deficeret.

6. *Fides eſt aſſenſus datus teſtimonio dicentis.* Teſtimonium autem, ut aliquid ponderis apud nos habeat & fidem faciat, debet eſſe ab eo, quem certo vel probabiliter, judicamus duabus virtutibus præditum, *ſcientia* rei de qua teſtatur, & *veracitate*, qua nolit, ſciens & volens, mentiri, & fallere: aut ſaltem quem, in præſentibus circumſtantiis, nihil inducere potuit ut falleret. Et in his virtutibus conſiſtit autoritas teſtantis, cui fides innititur.

7. Fides quæ hominibus adhibetur, *humana* dicitur, eſtque magis vel minus certa, prout plures vel pauciores in eadem re teſtanda, conſentiunt, & prout ipſi, propter ſcientiam, & veracitatem, magis vel minus fide digni ſunt. Quo referenda eſt fides, quæ angelis teſtantibus datur. Quæ vero Deo teſtanti adhibetur, divina appellatur, eſtque omnino certa: quin certior quavis noſtra ſcientia. Simpliciter enim impoſſibile eſt, ut Deus velit mentiri, aut nos in errorem ducere, quia eſt ſanctiſſimus & veraciſſimus ; ipſe autem falli nequit, quia eſt omniſcius.

8. Fidei humanæ nullus aut exiguus eſt uſus in Philo-

Philoſophia. Hæc enim, non autoritate humana, ſed ratione nititur: Sed in hiſtoriis, judiciis, & contractibus adhibetur. Sicubi tamen veritas Philoſophica, per teſtimonium Dei, in ſacris literis, confirmari poſſit, ratio eſt, quoad certitudinem omnium optima, licet quoad evidentiam deficiat.

9. *Ars* aliquando facultatem naturalem, eleganter, & ordinate operandi, ſignificat; quo ſenſu hirundo dicitur mira arte nidum conficere: quandoque quamvis cognitionem acquiſitam: Et ſic omnes diſciplinæ *artes* appellantur. Hic vero, prout à reliquis virtutibus mentis, hactenus enumeratis, diſtinguitur, eſt *habitus efficiendi opus* aliquod, *quod præciſe utile aut jucundum eſt*, non autem bonum vel malum moraliter.

10. *Objectum* Artis eſt *materia*, vel quaſi materia circa quam ipſa exercetur; ſive in quam formam aliquam, ſeu modum introducit. Operatio vero eſt formæ vel modi illius productio. Regula hujus operationis eſt dictamen rationis, ſive idea in mente, de re facienda, & modo quo illa efficienda ſit, ad certum aliquem finem. Finis enim modum operandi præſcribit. Unde patet diſcrimen artis & naturæ. Hæc enim eſt principium operandi ingenitum rei quæ operatur, nec operatur ubique ex cognitione, multo minus ex ratione: illa vero eſt principium operandi adventitium; quandoque divinitus extra ordinem infuſum; ut in Aholiabo, & Bezaleele, qui res ſacras eccleſiæ Iſraeliticæ in deſerto, artificioſe pararunt; ordinarie vero induſtria humana acquiſitum;

tum; & ſemper dirigente ratione operatur: unde ab Ariſtotele, μετὰ λόγυ ἀληθῆς ποιητικὴ dicitur.

11. *Subjectum* artis eſt artifex: Cujus officium eſt, materiam, circa quam operaturus eſt, præcognoſcere; ideam rei faciendæ, & modi operandi præconcipere, ſeu in mente ſua formare; formam denique aliquam in materiam introducere, juxta regulas artis. *Forma* autem illa, ab arte humana producta, nunquam eſt ſubſtantia, ſed ſemper modus quidam, vel ſubſtantiæ, vel alius modi. Ut forma ſcamni eſt figura; forma ſaltationis & cantationis, eſt modus quidam motuum, & ſonorum. Unde qui harum artium periti ſunt, ſaltare & cantare in numeros, & modos, dicuntur.

12. Hinc ars opus aliquod naturæ præſupponit, tanquam ſubjectum in quo operatur, & naturæ miniſtrat, ſeu ancillatur: vel applicando agentia naturalia paſſivis, adeoque occaſionem operandi agentibus naturalibus præbet, ut cum agricola terram parat, & ſemina tempore opportuno injicit, vel in operationibus naturæ modum aliquem producit, quem natura, per ſe, aſſequi nequit: ut cum vocibus, quas per naturam homines edunt, modus articulationis, & variæ compoſitionis additur, ſive ad exemplum eorum quos audiunt, ſive per rationem propriam, ſive etiam per præcepta Grammaticæ, Rhetoricæ, & Logicæ. Unde etiam ars naturam variis modis perficit.

13. Eſt præterea natura imperfectior, & ignobilior. Natura enim quatenus operativa, eſt

ars

ars Dei, adeoque arte humana præſtantior. Et operatur per veram efficientiam, ſeu influxum phyſicum: ars vero per directionem & influxum moralem. Natura eſt cauſa principalis artefactorum: ars inſtrumentalis, & adjutrix tantum. Natura per ſe ſola, multa opera miranda producit: ars nullum per ſe opus producit, ſine natura. Unde muti non poſſunt recte loqui, quia deficit in iis aut impeditur natura, ne quoquomodo loqui poſſint. Et qui non poſſunt ſonos variare, muſicæ incapaces ſunt. Natura præſtantiora opera edit quam ars, præſertim cum vitam producit, quæ omnem artem humanam, & etiam angelicam ſuperat. Denique ars imitatur naturam, tanquam exemplar: ut dum incipit ab imperfectioribus, & ſimplicioribus, & inde ad perfectiora & compoſita procedit. Opera etiam ſua, operibus naturæ conformat, quantum poteſt, & quouſque ad finem aſſequendum conducit. Ut ars naviculatoria, in navibus efficiendis, piſcium ſtructuram imitatur, dum parte anteriore acutas efficit, remos à lateribus pinnarum loco adjungit, clavum in poſteriori, pro cauda, per quam piſces ſe convertere, & motus ſuos inflectere ſolent.

14. Ex artibus quædam circa materiam craſſam, & corpoream exercentur; & idcirco opus quod immediate producunt, poſt operationem relinquunt. Ut ars fabrilis, ſutoria, &c. Quædam circa materiam fluxam, & tranſeuntem, quarum opera immediate cum operatione ceſſant. Quippe modum aliquem, in ipſis naturæ operationibus, & motibus, producunt; ut ars ſaltandi,

tandi, cytharizandi, cantandi, &c. Quædam opus ſuum producunt extra artificem, ut in exemplis proxime datis: aliæ in artifice ipſo; ut ars logiſtica, Logica, &c. Denique quædam ſunt liberales, quæ homines ingenuos decent, ingenium inſignius requirunt, nec corpus fatigant, aut inquinant; ut Grammatica, Rhetorica, Logica, Arithmetica, Muſica: aliæ ſerviles dicuntur, quæ quoniam non requirunt multum ingenii, aut corpus infeſtant, ad vulgus & ſervos amandantur.

CAP. VI.

De Diſciplina ejuſque objecto in genere.

1. MAteria *proxima* Philoſophiæ ſunt variæ diſciplinæ, ſed præſtantiores illæ, quæ mentem humanam magis perficiunt, & ad fœlicitatem hominis magis conducunt, modo tamen ex lumine & induſtria naturali mentis proficiſcantur.

2. Dicitur autem *diſciplina* à diſcendo, quia nec cum homine naſcitur, nec à pleriſque, proprio marte, ſed docendo & diſcendo, acquiritur. Græci παιδείαν vocant à παιδὸς puero, quia ætas puerilis diſciplinis imbibendis aptior eſt, iiſque addiſcendis impenditur. Cæterum diſciplinæ vox interdum ſignificat actum docentis; interdum cognitionem, per actum illum diſcenti communicatam. Nonnunquam etiam codicem, ſeu librum, in quo utrumque ex his per ſigna exhibetur. Et pro variis iſtis ſignificationibus varie definiri debet.

3. Primo

3. Primo modo, disciplina est *collectio multarum propositionum vocalium, de uno aliquo objecto, certo ordine constantium, in hunc finem ut audiens in cognitione rerum significatarum deveniat.* Et hæc quidem disciplina humana est. Divina enim non tantum in institutione vocali, sed etiam in illustratione mentis, & facultatis intelligendi largitione, consistit.

4. Secundo modo, Disciplina est *collectio variorum habituum, quibus mens humana de certo ordine rerum, recte concipere, & differere disponitur. Collectionem habituum* dicimus, quia unus habitus nullam disciplinam constituit, ut in Elencticis ostendetur. *Habituum* vero, potius quam notitiarum actualium, quia propter illos potius quam has, aliquis disciplinis imbutus dicitur. Hæ enim transeunt, illi permanent.

5. Tertio modo, Disciplina est systema, seu digestum multorum characterum quibus tum enunciationes, seu propositiones vocales, tum etiam res, earumque conceptus significantur.

6. Verum in secunda acceptione disciplina hic sumitur; cujus idcirco *subjectum* est mens humana: Unde & virtus intellectualis dicitur, oppositè ad virtutem moralem, quæ in voluntate præcipue residet. *Objectum* vero sunt res diversæ, eodem tamen pertinentes, nempe ad unum aliquod genus, aut unam speciem rerum, vel ad unum aliquem finem acquirendum (excipe Theologiam naturalem, quæ de Deo, qui est ens singulare differit). Ut objectum Mathematicæ, sunt ea quæ sub quantitate continentur; Physicæ, ea quæ sub corpore naturali, ut plerisque placet; rectius,

omnes ſubſtantiæ. Et in Logica, objectum complectitur omnia, quorum cognitio, ad ratione recte utendum, eſt neceſſaria: in Ethica, omnia quæ cognitu neceſſaria ſunt ad bene vivendum.

7. Varie diſtinguitur objectum Diſciplinæ. Et primo quidem in *communi*, quod à pluribus diſciplinis, licet ſub diverſa ratione conſideratur; & *proprium*, quod ab una tantum. Ut Deus eſt objectum commune Theologiæ naturalis, & ſupernaturalis, quia utrobique de illo agitur, licet in hac ex revelatione divina, in illa, ex lumine naturali. Sed numerus eſt proprium objectum Arithmeticæ, quantitas continua Geometriæ.

8. Ab hac diviſione non diſcrepat illa, per quam dividitur objectum in *materiale*, & *formale*. *Materiale* enim dicitur res quæ conſideratur in diſciplina, abſolute & confuſe ſpectata; ut in Medicina corpus humanum. *Formale* vero, eadem res ſub aliqua ratione reſtricta, ſeu præciſa; ut in Medicina, corpus humanum, qua morboſum, & ſanabile. Prius ſemper commune eſt, aut eſſe poteſt; poſterius eſt proprium.

9. Alii dicunt objectum formale eſſe, id quod, in Diſciplina, per, & propter ſe, attingitur; materiale vero eſſe id quod attingitur per, & propter aliud, ſcilicet, propter formale. Et ſic concluſiones diſciplinarum objectum materiale vocant; præmiſſas, ſeu principia formale. Sed rectius objectum diſciplinarum, ſub his rationibus, divideretur in pure terminativum, & motivum, ſeu inductivum. Nam, in Diſciplinis, concluſiones, ſive dogmata ſint, ſive præcepta, ſolum terminant actum mentis; principia vero ſeu rationes movent, & inducunt;

ducunt; in Theoreticis quidem mentem ad aſſenſum; in practicis vero animum ad complacentiam, vel diſplicentiam.

10. Tertio igitur, dividitur objectum in *remotum*, quod mediante alio attingitur; ut, in Logica, res quæ actibus mentis objiciuntur: & *proximum*, quod nullo mediante attingitur; ut, in eadem Logica, actus mentis. Huc referri debet diſtinctio objecti, in objectum *per ſe*, & *per accidens*. Ut, objectum per ſe Medicinæ, eſt corpus humanum; per accidens vero, corpus muſici, aut Grammatici, qua tale eſt.

11. Quarto, dividitur in *totale*, ſeu *adæquatum*, & *partiale*, ſeu *inadæquatum*. Illud eſt totum quod in diſciplina conſideratur; & actibus illius commenſuratur: hoc eſt pars quædam prioris; ut in Logica, objectum adæquatum, ſunt omnes modi ſciendi ſimul, & quicquid ad eorum notitiam, & geneſin, neceſſarium eſt: at definitio, vel ſyllogiſmus, eſt objectum tantum partiale.

12. Quinto denique, dividitur in *principale* & *ſecundarium*. Principale eſt, quod omnium eorum quæ in diſciplina tractantur, nobiliſſimum in ſe eſt; aut cujus cognitio, vel effectio, primario intenditur. Ut in Logica, definitio, vel demonſtratio. Secundarium eſt, quod minus præſtat, & cujus cognitio minus intenditur: ut in Logica, cognitio terminorum ſimplicium. Atque hæ ſunt præcipuæ conſiderationes objectorum in Diſciplinis.

13. Quod de concluſionibus diſciplinarum communiter dicitur, nempe, quod debeant eſſe univerſales, per ſe, & reciprocæ, & denique Methodicæ, ſeu recto ordine compoſitæ, abunde explicatum eſt in doctrina de Geneſi.

CAP. VII.

De Cauſis efficientibus Philoſophiæ & Diſciplinarum.

1. CUM Philoſophia ſit collectio diſciplinarum liberalium, eædem harum & illius *cauſæ* ſunt *efficientes*. Sunt autem illæ, vel *primariæ*, vel *ſecundariæ*. Ex primariis *ſuprema* ac prima eſt Deus, qui fons eſt & largitor omnis ſapientiæ creatæ, & omnis cognitionis qui homini utilis eſt. Multum vero ſapientiæ communicavit Deus primo homini, vel per infuſionem habituum immediatam, vel facultates adeo perfectas concedendo, ut iis immediate uti poſſet homo, ad multa, primo quaſi intuitu, cognoſcenda, & ad plurima alia per ſuam induſtriam, eamque minime laborioſam, inveſtiganda. Nunc vero, eandem communicat, facultates eaſdem, licet multum debilitatas, continuando, & homines ad diligentiam & laborem excitando, ut cogniti nem rerum acquirere poſſint.

2. Cauſæ igitur *primariæ ſubordinatæ*, ſunt facultates illæ naturales quæ nobis à Deo ingenerantur. Sunt autem vel mentis vel corporis. Facultates mentis ſunt, *ingenium*, & *memoria*. Ingenium, ſive à genio, ſive ab ingignendo dicitur, eſt promptitudo mentis ad apprehendendum & judicandum. Promptitudo autem judicii complectitur facultates *intelligentiæ*, & *ratiocinationis*: ex quibus, per priorem principiis quibuſdam per ſe evidentibus aſſentimur; per poſteriorem, varias concluſiones, ex principiis deducimus. Et ſine his, non magis capax diſciplinarum eſſet homo, quam beſtia.

3. Sed

3. Sed ad disciplinas inveniendas necessarium est ingenium præstantissimum; ad excolendas & perficiendas, insigne; ad inventas addiscendas, mediocre: quod vero valde tardum est, ad Philosophiam omnino ineptum est. Utrum autem ingeniorum diversitas, ab inæqualitate naturali animarum, an à diversis corporum temperamentis proficiscatur, problema esto.

4. Memoria triplicem facultatem complectitur, 1. *Promptitudinem* recipiendi rerum ideas, propter quam illæ facile menti imprimuntur. 2. *Tenacitatem*, per quam ideæ, altas quasi radices in mente agendo, firmiter ipsi inhærent. 3 Facilitatem *recognoscendi* res, quarum ideas prius in se recepit, Et hæ etiam facultates, in gradu saltem mediocri, omnino necessariæ sunt, ut disciplinas acquiramus. Magis tamen necessaria est virtus judicandi, quam recordandi.

5. In corpore requiritur εὐεξία, id est, *bona dispositio*: quæ partim in mediocri saltem sanitate, partim in integritate sensuum externorum, & phantasiæ, consistit: Ut sic laborem studiorum ferre possimus, & mens per sensuum Ministerium adjuvetur.

6. Facultatum igitur istarum usu disciplinæ acquiruntur, modo quis prudenter & sedulo illis utatur. Et per intelligentiam assentimur principiis primis seu veritatibus per se manifestis. Per sensum tum internum, tum externum, quorum actus *experientia* vocantur, percipimus multa singularia, tum intra nos, ut cogitationes & affectus animi nostri, tum extra, ut corpora plurima, eorumque partes, figuras, motus, ex quibus per facultatem ratiocinandi, multas veritates ante ignotas detegimus. Ex plu-

rimis etiam ſingularibus, quæ ſimilia eſſe deprehendimus, ſtatuimus regulas, vel propoſitiones univerſales; & ex pluribus univerſalibus, univerſaliores.

7. Cauſæ adjuvantes ſunt, primo *inſtitutio*; ſive illa viva voce docentis fiat, ſive ſcriptis. Unde auditus & viſus ſunt præcipua inſtrumenta quibus diſciplinas, ex aliis acquirimus. Secundo, omnia illa *motiva*, quæ homines ad diſciplinas excogitandas & excolendas, impulerunt. Hæc autem præcipue tria ſunt.

8. Primum eſt *neceſſitas*, ſeu *indigentia*. Natura enim non ſuppeditat omnia quæ ad vitam hominis neceſſaria ſunt. Ubi igitur deficit, arte homo ſibi proſpicere cogitur. Ex. g. Natura non generat tunicam aut calceum; nec per eam, ſatis recte & expedite ratione utimur, definitiones, diſtributiones, & ſyllogiſmos conficiendo. Hinc homines ad vias inveniendas moti, quibus, per artem ſartoriam, ſutoriam, & Logicam, defectus illos ſupplere poſſent.

9. Secundum eſt *expetibilitas ſcientiæ*, quæ amorem ſciendi accendit. Omnes enim natura ſcire appetimus. Partim, quia ſcientia eſt bonum quoddam, & perfectio mentis noſtræ, eamque plurimum delectat: partim, quia per eam dirigimur ad recte agendum, & multa comparanda, quæ neceſſaria & utilia nobis videntur.

10. Tertium motivum eſt *natura* ipſa, & *connexio pulcherrima* rerum, quæ mentem in admirationem rapit, & ad cauſas & rationes earum inveſtigandas incitat. Hinc Ariſtoteles, *propter admirationem homines philoſophari cœperunt.*

CAP.

CAP. VIII.

Diviſio Philoſophiæ; ſive De ſpeciebus Diſciplinarum.

1. DIviditur Philoſophia, juxta diverſas quas ambitu ſuo complectitur diſciplinas, in *ſpeculativam* & *practicam*: & diſciplinæ, in *ſpeculatrices*, & *practicas*. Diſciplinæ ſpeculatrices, quæ priorem Philoſophiæ partem conſtituunt, verſantur circa τὰ θεωρητὰ, id eſt, quæ à nobis tantum cognoſci, non etiam fieri poſſunt, ſaltem vi cognitionis quam de illis habemus. Practicæ vero, quæ poſteriorem conſtituunt, circa τὰ πρακτὰ occupantur, hoc eſt, circa ea, quæ à nobis fieri poſſunt, cognitione, quam de illis habemus, nos eo dirigente.

2. Diſciplinæ ſpeculativæ ad duos ordines reduci poſſunt, *Phyſicam*, & *Mathematicam*. Phyſica agit de ſubſtantiis. Et cum hæ duorum generum ſint, *ſpirituales* & *materiales*, & ſub utroque genere, plura adhuc genera inferiora comprehendantur, nempe, ſub ſubſtantia ſpirituali, *Deus* optimus maximus, Angeli, & animæ rationales hominum, & ſi quæ alia ſint; ſub materiali vero, corpora animata, & inanimata, de ſingulis ſinguli tractatus inſtituuntur. Et qui de Deo agit, *Theologia naturalis* dicitur; qui de Angelis, *Dæmonologia*, & *Angelographia*; qui de anima, *Pſychologia*; & omnes illæ ſimul, præſertim tractatio generalis de ſpiritu, *Pneumatica* & *Pneumatologia*. Qui de corporibus

agunt, omnes, *Physica*, & *Physiologia* communiter vocantur; nos vero *Somatologiam* potius, vel *Somaticam* appellandam censemus. Singulis autem tractatibus, qui de singulis generibus corporum instituuntur, singula nomina reliquis conformia imponi possent, sicut & nonnullis imponuntur; ut cum tractatus de animalibus, *Zoologia* dicitur, tractatus de cœlo & corporibus cœlestibus, *Uranologia*, & sic de reliquis.

3. Disciplinæ *Mathematicæ* dicuntur, quæ de Quantitate tractant. Cum autem quantitas duplex sit, *continua*, & *discreta*, seu magnitudo, & multitudo, quæ de priori agit *Geometria*; quæ de posteriori, *Arithmetica* dicitur. His communiter accensent *Astronomiam*, *Opticam* & *Musicam*; ex quibus prima de affectionibus corporum cœlestium agit; secunda de linea visuali; tertia de modis & affectionibus sonorum. Sed minus recte prima & tertia ad Matheſin annumerantur, ut in Elencticis dicetur.

4. Disciplinæ practicæ, aliæ sunt *Ethicæ* seu *Morales*, aliæ, nullo nomine communi, nisi *artium* veniunt. Quod tamen ad omnes fere disciplinas à nonnullis, extenditur. Disciplinæ morales, de honesto & turpi tractant: sive de iis, quæ homo ex officio tenetur facere, & vitare. Ex quibus illa, quæ generatim docet officia communia omnibus hominibus, in quocunque statu, Ethica *generalis* dicitur; quæ præcepta & leges vitæ solitariæ tradit, *Monastica* vocatur; quæ familias instruit *Oeconomica*; quæ respublicas, seu civitates, *Politica*.

5. Artes insigniores sunt, *Grammatica*, *Rhetorica*,

rica, *Logica*, & *Medicina*. Grammatica eſt ars recte loquendi in quacunque lingua. Rhetorica eſt ars bene dicendi, ad perſuadendum. Logicam ſupra definivimus. Medicina eſt ars, per quam dirigimur ad ſanitatem conſervandam, & reſtituendam. Ex his autem tres priores *Organicæ* vocantur, quia inſtrumenta, aut quaſi inſtrumenta parant, quibus reliquæ diſciplinæ utuntur; & idcirco hæ principales nuncupantur. Et omnes quidem ope utuntur Grammaticæ & Logicæ: Ethica vero, in ſpecie, Rhetoricam adhibet, ut affectus ad honeſta ſectanda, & turpia fugienda magis incitentur.

CAP. IX.

De Proprietatibus & Adjunctis Philoſophiæ, & Diſciplinarum.

1. EX affectionibus Philoſophiæ & diſciplinarum, quædam ſunt abſolutæ, quædam comparatæ, ſeu reſpectivæ. Affectiones abſolutæ ſunt *unitas*, *jucunditas*, *libertas*, *imperfectio*, & *utilitas*. Hæ enim ſingulis diſciplinis, & toti Philoſophiæ, abſolute conveniunt; hoc eſt, ſine reſpectu unius partis ad aliam. Comparatæ ſunt, *Diſtinctio*, *ſubordinatio* & *ordo*.

2. Quod ad *unitatem* attinet, oritur illa in diſciplinis ſpeculativis, ab objecto, & modo quo illud conſideratur; ſeu ab unitate objecti formalis. Adeo ut omnes illæ veritates ad eandem diſciplinam referendæ ſint, quæ idem objectum, ſub eadem ratione conſideratum, ſpectant. Ut

ad

ad Somatologiam, omnes quæ naturam, proprietates, & cauſas rerum naturalium, explicant. In practicis vero, oritur, ex fine proprio: ita ut omnia ad eandem diſciplinam pertineant, quæ ad unum aliquem finem acquirendum inſerviunt: ut ad Logicam, omnia quorum cognitio mentem dirigit in ratione ſua regenda.

3. *Unitas* autem totius Philoſophiæ provenit, partim à rebus, quatenus unius ordinis ſunt, nempe, ſcitu difficiliores, & digniores: præcipue vero ex origine, quatenus omnes illius partes ſunt ex lumine, & induſtria naturali. Unde omnes illæ veritates ad Philoſophiam pertinent, quæ de rebus iſtiuſmodi ſunt, & ex illo principio innoteſcunt.

4. *Jucunditas* Philoſophiæ, & diſciplinarum eſt, per quam, dum rationes, connexiones, & cauſas rerum, & ordinem ac pulchritudinem univerſi exhibent, mentem humanam ſumme delectant.

5. *Libertas* eſt, per quam Philoſophia & diſciplina, non autoritati humanæ, ſed ſoli dictamini rationis aſtringuntur. Philoſophus tamen Chriſtianus, rationem ſuam, ſacrarum literarum teſtimonio ſubmittere debet: nec quicquam contra illud admittere, quicquid tandem ratio dixerit. Nec placita majorum, ſine gravi ratione rejicienda ſunt.

6. *Imperfectio* in duobus conſiſtit. Primo, quod plurima ignoremus. Deinde quod de plurimis, quæ aliquo modo ſcire videmur, incerti ſimus. Non tamen, ut Academici ſtatuêre, omnia pro incertis habenda ſunt.

7. *Utilitas*

7. *Utilitas* philoſophiæ & diſciplinarum, varia eſt. Primo enim, utiles ſunt ad Deum in operibus ſuis agnoſcendum, adeoque reverentiam ipſius animis hominum incutiendam. Philoſophia igitur non eſt mater impietatis, aut Atheiſmi, ut quidam cauſantur.

8. Deinde ad noſmetipſos dignoſcendos, utilis eſt Phyſiologia, præſertim illa ejus pars, quæ de anima rationali præcipua noſtra parte differit. Ad fines ſeu differentias bonorum & malorum utilis eſt Ethica: Sicut & ad juriſprudentiam. Ex ea enim omnes leges humanæ, quæ juſtæ demum & ſalubres ſunt, originem ducunt. Ad Medicinam plane neceſſaria eſt notitia rerum corporearum, puta corporis humani, & ſeminum, ſuccorum, plantarum, partium animalium, metallorum, &c. ex quibus medicamenta conficiuntur. Ad Theologiam denique naturalem, utilis eſt tota Philoſophia, præſertim Pneumatica.

9. Utilis etiam eſt Philoſophia Doctoribus Eccleſiæ, ad quæſtiones mixtas, hoc eſt, quæ partim philoſophicæ, partim theologicæ ſunt, definiendas. Ut an perſonæ S. S. Trinitatis realiter diſtinguantur ab eſſentia divina. Hæc quæſtio definiri nequit, niſi teneamus quid ſit *eſſentia*, quid *perſona*, quid *diſtinctio realis*; quod præſtat Philoſophia. Deinde ad veritatem contra doctos adverſarios defendendam. Deniq; ut facilius myſteria fidei ipſi recipiant. Qui enim rationes rerum, quæ ante oculos quotidie obverſantes habet, non capit, facile percipere poteſt, non eſſe cur illa ideo rejiciat, quod rationes & modi eorum lateant.

10. Quod ad *diſtinctionem* diſciplinarum inter ſe attinet,

attinet, distinguuntur illæ præcipue ab objectis formalibus. Adeo ut illæ veritates, quæ de diversis objectis tractant, aut de eodem, sub diversa ratione formali, ad diversas disciplinas pertinere censendæ sint. Ex. g. Quæ de substantiæ immaterialis natura, & causis loquuntur, ad Somaticam, vulgo Physicam: quæ de quantitate continua, ad Geometriam: quæ de mente secundum naturam spectata, ad Psychologiam; verum quæ de ea dirigenda ad veritatem, Logicæ considerationis sunt: quæ de ea dirigenda ad honestatem, in Ethica tractantur.

11. *Subordinatio* disciplinarum est, per quam una ab alia pendet, quod tribus modis fit. 1. Ratione objecti: nempe cum objectum inferioris continetur in objecto superioris, ut species sub suo genere, pars sub toto. 2. Ratione principiorum; cum principia superioris ad conclusiones inferioris demonstrandas inserviunt. 3. Ratione finis; cum finis disciplinæ inferioris ordinatur natura sua, ut medium, ad finem superioris.

12. Ratione objecti & principiorum, omnes disciplinæ subordinantur (ut quidam volunt) Metaphysicæ, quæ agit de Ente in communi, ejusque affectionibus, & principia universalissima proponit, explicat, & confirmat: nos vero hac ratione Logicæ subordinari dicimus. Quia de Ente in communi, & attributis rerum communissimis, in Logica agendum est. Nec necesse est, aut expedit, quæ in illa traduntur, alibi repetere, nisi in transitu, & ex occasione.

13. Sed ratione objecti, & principiorum, una disciplina, speciali quodam modo subordinari alteri dicitur, cum subjectum illius, à subjecto ejus cui subordi-

ſubordinatur, differt ſolum per accidens aliquod. Sic Optica Geometriæ ſubordinatur. Hæc enim agit de lineis generatim; illa vero de linea viſuali, & quidem ex principiis prioris. Similiter Medicina, quæ agit de corpore animalis, ut ſanabile eſt, ſubordinatur Phyſiologiæ; quatenus hæc de corpore animato, præſertim humano differit. Unde (ut vulgo dici ſolet) *ubi deſinit Phyſicus incipit Medicus.* Et ejuſmodi ſubordinatio, ſubalternatio in ſcholis dicitur. Juxta quam etiam dividuntur quædam diſciplinæ, in ſubalternantes, & ſubalternatas.

14. Ratione finis, omnes diſciplinæ ſubordinantur Ethicæ. Hujus enim finis eſt bene & beate vivere, ad quem omnes actiones, & res humanæ referri debent. Omnia enim hominis bona, eo, natura ſua tendunt. Unde Ethica eſt diſciplina architectonica, & omnibus reliquis, modum & menſuram præſcribit: hoc eſt, ut omnes ita inſtituantur, quo, ad fœlicitatem generis humani, maxime inſerviunt. Sicut Logica architectonica eſt, quoad modum procedendi, ut veritatem aſſequantur.

15. Ordo diſciplinarum, per quem una eſt alia prior, poſterior, aut collateralis, triplex aſſignari licet: nempe, dignitatis, generationis, & tractationis. Ordine dignitatis, ratione objecti & finis ſimul, prima eſt Theologia naturalis, quæ de Deo differit. Succedit Pneumatica, deinde Somatica, proxime Ethica & Matheſis. Ratione vero finis, prima eſt Ethica; ſequitur Theologia naturalis, proxima eſt Pneumatica & Somatica; ultima Matheſis, quæ præcipue ad artes Mechanicas promovendas inſervit.

16. Ratione

16. Ratione Generationis, seu Inventionis, si ordinem quem homo observare debet, spectemus, prima est Ethica. Ante omnia enim considerare tenentur homines, qua ratione bene seu honeste vivendum sit: & quisnam sit ultimus actionum suarum finis. Si vero de ordine quem homo, jam ab integritate primæva lapsus, observavit; artes quæ victum & amictum immediate & peculiari modo concernunt, prius inventas esse putandum est. Deinde Somatica. Circa res enim corporeas artes illæ versantur, deinde Matheſis: proxime vero Psychologia, Ethica, Theologia naturalis, & Logica. Quem vero ordinem in his postremis, observarunt primi aut antiqui earum autores, nec facile, nec necessarium est dicere.

17. Quod ad ordinem tradendi, seu discendi attinet, illæ disciplinæ prius tradi debent, quæ ea continent, quæ prius sunt cognoscenda: unde primo omnium opera danda est disciplinis organicis, Grammaticæ, Rhetoricæ, & Logicæ. Et prius agendum de generibus, quam de speciebus; ut de spiritu & corpore in communi, quam de hoc aut illo spiritu in specie. Item in speciebus collateralibus tractandis, ex. g. spiritu & corpore, de ea prius agendum, cujus cognitio ad cognitionem alterius maxime conducit. Sin neutrius cognitio cognitionem alterius promovet, ordo tractandi arbitrarius erit. Denique cum tyronibus, & qui judicii infirmitate laborant, ordo facilioris intelligentiæ, (quem nonnulli, non satis recte, ordinem doctrinæ, oppoſite ad ordinem naturæ, appellant), observandus est. Sed de his satis.

Finis Protheoriæ Philoſophiæ.

Addi-

Additamenta ad Logicæ communis Cap. 3. Paragraphum octavam. Adde continuo quæ ſequuntur.

PRoprium enim ſi generatim ſpectetur, aliud eſt, *quod* aliis *communicari repugnat*, ſeu quod ita uni alicui convenit, ut nulli alii convenire poſſit; ut Deo æternitas à parte ante, infinitas, immenſitas, immutabilitas, &c. Et ejuſmodi propria eſſentia ſunt. Aliud, *quod* licet alii convenire potuit, *de facto tamen nulli alii convenit*; ut in prioribus exemplis. Cæſar enim primus imperator Romanorum fuit, potuit tamen alius quidam primus fuiſſe.

Ad Logicæ ſpecialis partem primam, De Geneſi, Cap. 4. poſt Parag. 6. inſere quæ ſequuntur, & integra fiat Paragraphus, ſic:

7. QUodlibet enim totum, qua tale eſt, declaratur, ſeu deſcribitur mentione facta partium omnium, ſaltem ſub ratione aliqua generica, & unionis. Pars autem ſigillatim, & ut pars, deſcribitur, oſtendendo cujuſnam totius pars ſit, & quodnam officium, ſeu uſum in eo præſtat, præſertim ſi organica fuerit. De ea etiam inquiri poteſt, ſitne eſſentialis, an integralis, quem ſitum ad reliquas partes, & qualem unionem cum illis obtineat, nempe, phyſicam, an moralem, ſeu relativam.

Ibid.

Ibid. Cap. 9. Paragrapho 5. Adde continuo quæ ſequuntur.

SI igitur, in diſputationis progreſſu, quæſtio ſeu concluſio repetenda veniat, cavendum ne varie loquamur, nunc plus nunc minus dicentes; prout à Carteſianis, in quæſtione de uſu ſenſuum in ſcientiarum acquiſitione, factum eſt. Hi enim quandoque dicunt *ſenſibus non nimis fidendum*, quod facile conceditur; alias vero, *omnia quæ ſenſus dictant*, quatenus per illos proponuntur, *pro incertis eſſe habenda*, quod concedi non debet. Voces quidem mutare licet, modo tamen per eas idem ſemper ſignificetur.

Ad Logicæ ſpecialis partem 2. Cap. 7. poſt Parag. 2. inſere quæ ſequuntur & fiat Paragraphus nova.

3. CUM Exegeſis ſingularum partium inſtituitur, cavendum eſt, ne partis unius explicatio alterius explicationem abſorbeat, aut ad ſe trahat: ſive opera danda eſt, ut nihil de ſingulis dicatur, niſi quod illis, prout à reliquis diſtinguuntur, peculiare ſit. Unde quæ de pluribus communiter dicenda, ſimul in principio, ante ſingularum expoſitionem, expedienda ſunt.

FINIS.